


~~[illegible]~~
cuiusq. amicorum

Ad ~~usum~~

Ad vsum R. Bartholomei
Caverij

662. 28 Aprilis

COMPENDIVM LIBRI QVINTI,

Sententiarum celeberrimi

IVLII CLARI.

IN QVO, PRÆTERMISSA OPINIONVM VARIETATE;
Ob memoriam ſtudioſorum, veræ practicæ Criminalis, aurum purum doctrinę tanti Iuriſc. & concluſionum ab eo receptarum, candidè traditur.

Cui additæ ſunt, tabulæ quædam, quaſi ſynopſides ſubtiliſſimæ; ad firmiorem memoriæ tenacitatem, & ipſius practicæ facilitatem.

Cum Triplici Indice locupletiſſimo.

AVCTORE

GALDERICO GALINO IVRISC. CATHALANO.
Ab inclyta Ciuitate Gerundæ, Pro S. C. Maieſtate, tertij ordinarij Status Mediolani Auditore.

AD ILLVSTRISS. D. D.

IVLIVM ARESIVM

Excellentiſs. Senatus Mediolani Præſidem Ampliſsimum.



MEDIOLANI, Apud Iacobum Lantonum. M. DC. XXI.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Imprimatur

Fr. Abundius de Como Inquiſ. Generalis Mediol.

Fr. Aloyſ. Bariola Auguſtinianus, Conſultor S. Offitij; pro Illuſtriſs. D. Card. Archiepiſc.

Vidit Saccus, pro Excellentiſsimo Senatu.

SVMMA PRIVILEGII.

Per Illuſtriſſimum, & Excellentiſs. D. D. Gomezium Suarez de Figueroa, & de Cordoua Ducem Feriæ &c. Gubernatorem feliciſsimum Status Mediolani &c. Galderico Galino V.I.D. & pro S.C. Maieſtate, tertij ordinarij dicti Status Auditori, conceſſi.



Lluſtriſsimus, & Excellentiſsimus D.D. Gomez Suarez de Figueroa, & de Cordoua, Feriæ Dux, & Gubernator præſentis Status, &c. ſuis literis, & Priuilegio particulari, precibus Galderici Galini V.I.D. & Auditoris Regij conceſſo, ſub die Dat. infraſcriptæ: prohibuit, vt nullus Impreſſor, Bibliopola, Mercator, aut alia quæuis perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat, audeat per annos ſex proxime venturos, in præſenti Statu Mediolani, nec alijs in locis iuriſdictioni ſuæ ſuppoſitis, imprimere, aut imprimi facere; nec vendere, aut vendi facere; nec etiam alibi impreſſos, aut impreſſum introducere per ſe, nec per interpoſitam perſonam; etiam ſub quolibet prætextu nouæ additionis, aut aliàs præſentem librum, cuius titulus eſt *Compendium libri Quinti ſententiarum Iulij Clari*, ſine licentia, ordine, commiſsione, & facultate in ſcriptis obtenta dicti D. Galderici Galini ſupradicti libri Auctoris, ſub pœna omnibus, & ſingulis contrafacientibus, & pro qualibet vice, ſcutorum centum auri, & perditionis omnium librorum, Regiæ cameræ pro tertia parte; & dicto Auctori, & denuntiatori, pro alijs duobus reſpectiue applicandorum, qui quidem denuntiator celabitur ſub ſecreto ad ſui libitum, & voluntatem: prout in dicto Priuilegio, ad quod habetur relatio latius continetur. Dat. Mediolani ſub die 11. menſis Auguſti 1621.

SVMMA PRIVILEGII.

Per Illustrissimos, & Excellentiss. D. D. Gene-[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Illustrissimi, & Excellentissimi D. D. Ge-[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Privilegio particulari, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Bibliopolis, Mercatoribus, aliisque [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] per annos [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] imprimi [illegible], vel vendere, aut vendi facere, nec etiam [illegible] [illegible] introducere [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Regis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Authori [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Dat. [illegible] die 11. mensis Augusti 1621.



ILLVSTRISSIMO D. D. IVLIO ARESIO

E Consilio Secreto S.C. Maiestatis, & eius Præsidi eximio, Excellentissimi Senatus Mediolani.

GALDERICVS GALINVS P. E. F.



Ingulari Dei munere factum reor, (Præses amplissime,) vt à prima pueritia, eximium literarum splendorem, ac decus tanto studio expetiuerim; vt ad instar Pythagoræ, relicto Gotholaniæ natiuo solo; non Spartam adire, aut in Cretam

opta-


optauerim nauigare, vt Minois, & Lycurgi leges agnoscerem: sed ad inclytos Minoes, & præclaros Lycurgos; Senatores Excellentissimi tui Senatus; & ad tuum, ac illorum me conferre conspectum; quorum legum, sanctionum, & consultorum, ita celebris fama per orbem micat, ac fulget; vt ad celsitudinis culmen perducta esse videatur. Sperabam enim fore, vt sicut Struthiocameli, ex ipso oculorum inspectu, vna cum Solis calore, virtute valent informem formandi partum, & animandi quod antea vita carebat; ita vnusquisque Iurisprudentiæ cupidus, in sola Senatorum, tuaque constitutus præsentia; (qui tanti Senatus es Præses, Caput, & Sol) licet antea in ignorantiæ tenebris, vti mortuus delitesceret; vitam sapientiæ, & animam legum, valeret perfectè comparare. Nec in cassum; in me met enim experientia, ipsam optimè fulsit spem. Nam quemadmodum, Menonis illa saxea statua, (vt in Thebanorum legitur monumentis) ex eo tantummodo, quod ad orientem Solem fuit conuersa, & eius fulgentissimis radijs illustrata; vocalem quendam sonum emisit, & verè loqui ante omnes consueuit; ita etiam nomen meum, statim atque in tuum, ac præclarissimi Senatus conspectum ductum fuit; adeo tuis fulgentissimi Solis radijs, adeo Struthiocamelorum oculis illustratum, ac animatum; adeo omnium voto, & consensu approbatum, ac decoratum fuisse

fertur;

fertur; quòd licet antea ex semetipso, quasi marmorea statua, nihil penitus, aut loqui, aut scribere auderet; nunc iam tali ob tot honores potitur anima; vt audacter aggrediatur, & loqui, & Typis vocem emittere. Nullam autem potest, nec magis canoram, quam absolutissimi operis, celeberrimi Iulij Clari, aui tui Compendium in lucem edere; nec magis genuinam, quam illud patrocinio tuo munire. Canora, quia ipsius breuitate, vnusquisque sine labore, gaudebit Armonia totius Practicæ criminalis. Genuina, quia arctaris triplici lege, quasi funiculo triplici, (qui difficilè rumpi solet) ad ipsius patrocinium subeundum; diuina scilicet, naturali, & ciuili. Diuina, ob honorem, & tutamentum parentibus debitum; maximè tanto, tamque excelso auo, qui tuæ insignis prosapiæ est decus, & ornamentum. Naturali, eo quia Senatus Præses; quicquid enim in hoc opere meum est, Senatus partum esse confiteor. Ciuili denique, quia vti tutor, tuearis eos necesse est, qui sub tua se constituunt tutela, & auctoritate; quam, licet summam acceperis à maioribus, antiquissima nobilitate clarissimis; auxisti tu tamen eam, & eruditione non vulgari, & admirabili morum integritate. Eruditio se se extulit; præsertim, cum à Potentissimo Rege nostro, & illius supremo consilio, in gubernaculo Iustitiæ totius Status Mediolani, fuisti magna tua cum gloria constitutus. Integritas vi-

tæ,

tæ, virtusque tanquam in arce sua, sic in pectore tuo ita viguit; vt celebrem tui nominis famam, immortalitati tradiderit. Hinc illa tua ingens moderatio, hinc comitas, hinc lenitas, hinc humanitas, hinc nusquam intermissa liberalitas fluxit. Ex quibus fit, vt non tam Magnes ferrum, aut Naphta ignem, aut Cæcias nubes attrahat, quam tu splendore virtutum, animos omnium, in studium tui conuertas. Nec dubium quin apud te, temeritatis reprehensionem incurrerem, (cum popularem gloriam sapientum more contemnas) si hæc ignorantibus per censerem: verum cum iam ita pateant, vt nemo ferè sit qui vel me tacente, in eorum ignoratione versetur, plus aliorum iudicium extimesco quàm tuum. Iudicabunt alij, tam multas laudes, non posse breuissima commemoratione perstringi; at epistolæ ratio me purgat; quippe cum sit compendij, debet esse compendiosa. Tu, cum me ab omni assentatione alienum noueris, facilè pro tua incredibili sapientia iudicabis, me non id auribus tuis, sed veritati voluisse dare: quo meam in te constantem reuerentiam, & obseruantiam eximiam, testatam in perpetuum relinquam. Patere deprecor, opusculum hoc, claritate tanti nominis illustrari: nam licet non egeas tu meo preconio; at ego vehementer tuo patrocinio. Vale.



In Compendium Practicę Criminalis ad Lectorem.

PRÆFATIO.



Diuinum illud matris naturæ portentum, totius artis medendi corypheus Hippocrates; inter alia Aphorismata, (candide Lector) quæ nostræ hominum posteritati, veluti columnæ salutis humanæ, scripta reliquit; primas tenere videtur primum, in quo causas ita breuiter, & sub compendio, exarandi tot apophtegmata; quasi naturæ, seu diuinitatis arcana, miro quodam describit artificio. Vita inquit breuis, Ars longa, Occasio præceps. Sententia quidem summis laudibus efferenda, ac tali duce, tantoque digna; ex qua dilucidè liquet, hominum brumas, longitudinem facultatis, & ruentem occasionem, ei dedisse causam, vt omnia breuitate regularet. Eadem penitus cogitatio, meum impulit animum, ad

b pra-

practicam criminalem ſub compendio reſtringendam. Nec abs re: Si enim vita humana, quaſi flos efflorescens decidit: Si hæc verba, orior, & morior; vno ſolo caractere ſecernuntur: Si Principes illi, qui Dij immortales habebantur; ex ſententia Orphei, Homeri, Heſiodi, & Platonis, dicuntur filij Thetydis; ſcilicet, fontis illius qui interpretatur; ſcaturiens, & tranſiliens; hoc eſt, vnico inſtanti naſcens, & interiens: Si in ſacris diuinæ ſcripturæ Elogiis, aſſimilatur hominis vita, Araneæ, Vmbræ, Fumo, Vapori, Puncto, & alijs pleriſque momentis; neminem latere debet, nihil velocius, nihil fugacius, nihil humana breuius vita.
Rurſus, ſi omnes ferè cauſæ criminales, generantur ex multitudine paſſionum animi, & oriuntur tanquam à ſuo fonte, & prima matre; ex vaſto, ac inextricabili cordis hominum Labyrintho: ſi ex hac immenſitate reſultat, vt ſicut adynaton eſt perueſtigare duos homines, adeo in vultu, in facie, & in cæteris qualitatibus pariles, quin aliquid inueniatur diſcriminis inter ipſos: ita nunquam reperiuntur duæ cauſæ criminales, adeò ex omni parte conformes; vt ex qualitate facti, aut perſonarum, aut teſtium, aut loci, aut temporis, non adſit inter eas aliqua diſsimilitudo; meritò pars crimina-
lis

lis Iurisprudentiæ, nedum ars longa, ſed ſcientia omnium longiſsima dici poteſt. Tandem, ſi in cauſis criminalibus, ferè ſemper tractatur de damno irreparabili; hominis ſcilicet vita, libertate, & exiſtimatione; quæ quidem omnia, veluti vitrum adeò vno franguntur ictu, vt non poſſint amplius conſolidari; nunquam enim reperitur aliquis balſamus ita valens, vt cicatrices honoris, & famæ, omnino abſtergere poſsit: Si quemadmodum error primæ digeſtionis (vt medici atteſtantur) non emendatur in ſecunda; ita errores qui fiunt in cauſis, Iudicijs, & Iuſtitia criminali, vix vnquam corrigi poſſunt; tritum remanet ac indubitatum, vt Hieroglyphicum illud, ſeu pigmentum occaſionis caluæ, ab Heroe, & non ſatis laudato Fidia cunctis mortalibus relictum, & ab Auſonio Poeta, præclaro quodam Epigrammate celebratum, haud quaquam oſtendere poteſt, quam præceps, & lubrica ſit, occaſio Iuſtitiæ criminalis. Quapropter, ad debellandos tot inimicos, adeò interſemet contrarios; & communi hominum ſciendi deſiderio ita infenſos, vt è proprijs quaſi caſtris, intellectum, memoriam, & voluntatem, in caſtellis obſident ignorantiæ: nullum firmius tutamentum, aut aptius ſtratagema inuenire

potui, quam practicam criminalem ſub compendio regulare: cum enim ipſius breuitate, paruo temporis interuallo, quilibet poterit habere præmanibus, omnia quæ in practica continentur; & ita, obſeſſos in quocunque occurſu caſuum ſubleuare; triumphabit certè, de breuitate vitæ, longitudine artis, & occaſionis præcipitantia. Non autem poteram aliunde, fortiora carpere arma, quam ex libro quinto ſententiarum celeberrimi Iulij Clari: ſicut enim magiſter Bartolus, lucerna dicitur Iuris Ciuilis; ita noſter Clarus, clarum lumen, & lucidiſsimus lychnus, totius Iuris criminalis, ab omnibus Iure meritò appellandus videtur. Et licet ab initio cogitaſſem, conficere quoddam Compendium, quaſi quintam eſſentiam totius practicæ criminalis; quod quidem fuiſſet breuiſsimum, & forſitan ob ſtylum nouum, Gnaris Iuriſconſultis, & veteranis criminaliſtis non ingratum. Tamen poſtea exiſtimaui fore, vt tyronibus (quibus præcipuè conſulendum cenſeo) breuitas quintæ eſſentiæ, proculdubio gigneret obſcuritatem. Quocirca, curaui ſimul de breuitate, & claritate; & ideò illud conſtruxi longiori quàm putaueram ſtylo: & ad maiorem facilitatem, dedi titulos omnibus quæſtionibus: & ferè ſemper vſus fui ijſdem verbis Iu-
lij

lij Clari; ad hoc, vt studiosus cum ad ipsum recurrat fontem, nullo negotio inueniat, regulas, & conclusiones. Quia verò in Iure nostro, erubescimus sine lege loqui; ideò annotaui in margine totius operis, cunctos versiculos Clari; vt ipsorum signo, possit quiuis, se munire luculentissimis allegationibus. Et tandem, tabulas quasdam addidi, in fine cuiuslibet. §. vt saltem coruscare videatur, aliquis radius illius quintæ essentiæ quam prædixi. Ne despicias quæso, laborem hunc non exiguum; polliceor enim tibi, ipsum hilari amplectenti vultu, tradere (diuino auxiliante numine) Ideas quasdam, & tractatus in materia Ciuili, quibus vnusquisque mediocris ingenij conspiciet, quo modo vita breuis, Ars lõga, & Occasio pręceps, possunt vno contextu conciliari. Vale.





INDEX TITVLORVM,

Eo ordine quo in hoc compendio continentur.

Vtilissimus, ad intuendam vnico contextu, ex illius sola lectura, seriem in genere totius Processus criminalis.

do

FINIS.



IN-



INDEX TITVLORVM,

Ordine Alphabetico dispositorum, quo facilius reperiri possint.

Ca-

H

I

L

N

P

FINIS.



INDEX MATERIARVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc compendio continentur.

Actio

fami-

Deli-

E

F

L

M

Offi-

P

Q

R

T


FINIS.

SVMMA PRIVILEGII,

Per Illustrissimum, & Excellentiss. D. D. Gomezium Suarez de Figueroa, & de Cordoua Ducem Feriæ &c. Gubernatorem felicissimum Status Mediolani &c. Galderico Galino V. I. D. & pro S. C. Maiestate, tertij ordinarij dicti Status Auditori, concessi.



Llustrissimus, & Excellentissimus D.D. Gomez Suarez de Figueroa, & de Cordoua, Feriæ Dux, et Gubernator præsentis Status, &c. suis literis, & Priuilegio particulari, precibus Galderici Galini V.I. D. & Auditoris Regij concesso, sub die Dat. infrascriptæ: prohibuit, vt nullus Impressor, Bibliopola, Mercator, aut alia quæuis persona cuiuscunque conditionis existat, audeat per annos septem proxime venturos, in præsenti Statu Mediolani, nec alijs in locis Iurisdictioni suæ suppositis, imprimere, aut imprimi facere; nec vendere, aut vendi facere; nec etiam alibi impressos, aut impressum introducere, per se, nec per interpositam personam; etiam sub quolibet prætextu nouæ additionis, aut aliàs presentem librum, cuius titulus est. Compendium libri Quinti sententiarum Iulij Clari, *sine licentia, ordine, commissione, & facultate in scriptis obtenta, dicti D. Galderici Galini supradicti libri Auctoris, sub pœna omnibus, & singulis contrafacientibus, & pro qualibet vice, scutorum centum auri, & perditionis omnium librorum, Regiæ cameræ pro tertia parte; & dicto Auctori, & denuntiatori, pro alijs duabus respectiuè applicandorum, qui quidem denuntiator, celabitur sub secreto, ad sui libitum, & voluntatem: prout in dicto Priuilegio, ad quod habetur relatio latius continetur. Dat. Mediolani sub die 11. mensis Augusti M. DC. XXI.*





IVLII CLARI I. C. CLARISSIMI, LIBRI QVINTI,

Sententiarum receptarum.

Compendium, ob memoriam Studiosorum veræ Practicæ Criminalis selectum.


AVCTORE
Galderico Galino I.C. Cathalano, ab Inclita Ciuitate Gerundæ.

Pro S. C. Maiestate Tertij ordinarij Status Mediolani, Auditore.

---

§. *PRIMVS.*

De diuisionibus, & essentia Delictorum.

Vers. 1. OMNIA Delicta; aut publica sunt, aut priuata. Publica sunt; quorum accusatio, vel persecutio, cuilibet de populo permissa est. Priuata vero; quorum accusatio, vel persecutio, regulariter non permittitur nisi parti læsę.

Priuata.

Hæc differentia, & distinctio delictorum, est maximi effectus in multis: nã condemnatus de crimine publico, vt in plurimum

efficitur infamis, non autem condemnatus de crimine priuaro.

Hac tamen. Ad distinguẽdum vero perfectè, quæ delicta hodie sint connumeranda inter publica, quæ inter priuata (omissis decisionibus Iuris Canonici, Iuris Ciuilis, Regni Neapoli, Regni Franciæ, & aliorum) recurrendum est ad statuta, vel consuetudinem peculiarẽ illius loci, in quo est commissum delictum, & secundum illam declarare.

Præmittendum. Delicta rursus; alia sunt merè ecclesiastica; alia merè secularia; & alia mixta, siue communia. Merè ecclesiastica sunt illa; quorũ cognitio spectat tantummodo ad Iudicem ecclesiasticum; etiamsi per laicos commissa sint; vt est crimẽ Hæresis, & Simoniæ. Merè secularia; quę si à laicis cõmittantur, soli Iudices seculares de illorum meritis cognoscunt; vt est Homicidium, Furtum, & his similia. Communia vero; quæ si à laicis committantur, vterque Iudex; ecclesiasticus scilicet, & secularis de ipsis cognoscere potest: prout sunt, Adulterium, Concubinatus, Sodomia, &c.

Habes etiã. Delictorum etiam; quædam sunt nominata, quædam innominata. Delicta nominata sunt; quæ à lege habent particulare nomen Iuris: Verbi gratia, Furtum, Adulterium, & huiusmodi. Innominata vero, quę non habent speciale nomen Iuris, sed tantummodo facti: vt est verberare, percutere, ingredi domum alienam, & similia. Inter delicta autem huius Generis hæc est differentia: quod nominata non possũt fieri sine maleficio. Innominata vero; & cum crimine fiunt, & sine crimine fieri possunt.

Sunt etiam. Delicta tandem; alia sũt leuia; alia grauia, seu atrocia; & alia atrocissima. Super quibus non traditur à Doctoribus certa regula; sed ab ipsis ea mensurantur, aut Arbitrio Iudicis; aut ex qualitate pænæ pro illis impositæ. Interrogatus Senatus Excellentissimus Mediolani à Serenissimo, & potentissimo Rege nostro; quæ viderentur delicta atrocia? Respondit, sibi videri atrocia, Crimen rebellionis; Læsę Maiestatis; Homicidij ex proposito commissi; Falsificationis monetæ; Tertij homi-

mi-

micidij, scilicet commissi ab eo, qui alia duo homicidia prius commisisset, etiamsi pro eis condemnatus non fuisset; Vulneris illati proditoriè cum sclopo rotato, etiamsi mors non sequatur; Tertiæ tonsationis seu diminutionis monetarum; Raptus Virginis honestis parẽtibus ortæ, etiamsi copula non sequatur; Vsus Venereus cũ sacra Virgine, in habitu intra Monasterium degẽte, Sodomia; Famosorum latronum, in vijs grassatio; & Falsificatio sigilli Principis, aut Senatus. Et hoc responsum placuit. S.C.Maiestati; & ideo in hac prouincia Mediolani seruandum esset pro lege.

Vltra tamen prædicta animaduertẽdum est: quod omnia delicta, pro quibus à lege vel statuto imponitur simpliciter pæna mortis naturalis, vel Ciuilis; scilicet triremium perpetuò; & talis pœna est in vsu; ita quod à Iudicibus imponitur, & exequitur, dicuntur grauia, & atrocia.

Atrocissima vero dicuntur illa; pro quibus lex vel statutum, imponit pœnam grauiorem, simplici morte in ipso genere mortis: Verbi gratia, quia vult pro talibus delictis, reos insui culeo; vel igne comburi, vel in frustra scindi, vel rotæ inseri, vel trahi ad Caudam equi, vel huiusmodi: Vt in Crimine Hęresis, Parricidij, Assasinij, Latrocinij ad viam publicam, Sodomiæ, Incendiarij, Falsæ monetæ &c. Vel quando addit alias qualitates, vltra pęnam mortis: puta, quando extendit pęnam etiam in filios; vt in crimine læsę maiestatis. Vel concedit aliqua specialia aduersus delinquentes; vt in crimine Raptus virginum, & mulierum honestarum. Vtilitas huius differentiæ maxima est: nam (apud nos) cõceduntur Iudicibus latiores habenæ in atrocioribus, & permittitur eis in talis delictis Iura transgredi nõ solum in condemnando, & puniendo; sed etiam in procedẽdo: quia deuenitur ad Torturam etiamsi Indicia non sint in totum sufficientia, neque ita probata vt de Iure regulariter requiritur; & plerumque etiam non edita Copia Processus informatiui.

Grauius semper reputa-

Est etiam. tur delictum, quod fit cõmittendo; quam quod fit omittendo. Et nihil intereſt an cõmittatur verbo; vt Blaſphemia, Iniuria verbalis, & ſimilia: aut facto, ad hoc vt appelletur maleficium. Licet enim maleficiũ dicatur, quaſi malefactũ; & ſic ꝓpriè à malefaciendo; nihilominus tamẽ verificatur item in delicto verbali; quia etiam qui maledicit, malefacit; imò & qui malè cogitat dicitur quandoque malefacere, & ex mala cogitatione punitur.

Sed quaro.

Quaro etiã. In omittendo pariter videtur delinquere contumax: Quamuis enim contumacia ex ſe nõn ſit delictum; attamen bannitus pro delicto in contumaciam, poteſt dici propriè bannitus ex maleficio; eo quia nõ bannitur propter ſolam contumaciam; ſed pro delicto, quod (vigore ſtatuti, vel conſuetudinis) probatum remanet ex cõtumacia.

Notandum autem eſt; quod ſi contumacia habeat admixtum contemptum Iudicis, tunc contumacia talis, dicitur delictum; & tanquam delictum eſt punienda. Contemptus enim Iudicis ex ſe delictum eſt; & tanquam tale eſt puniendus.



Oía delicta; aut sunt.

- **Publica.** Quorũ accusatio, vel persecutio, cuilibet de populo permissa est.
  - Merè ecclesiastica. — Quorum cognitio spectat solum ad Iudicem ecclesiasticum; etiamsi per laicos cõmissa sint. — V.g. Hæresis, & simonia.
  - Merè secularia. — Quæ si à laicis cõmittantur soli Iudices seculares cognoscũt. — V.g. Homicidiũ, furtum, &c.
  - Mixta siue communia. — Quæ si à laicis committantur, vterque Iudex cognoscit. — V.g. Adulteriũ. Concubinatus. Sodomia, &c.

Aut Rurs⁹.

- Nominata. — Quæ habẽt particulare nomen à Iure. — V.g. Furtum. Adulterium, &c.
- Innominata. — Quę non habẽt nomen à Iure, sed à facto. — V.g. Verberare. Percutere, &c.

- Leuia.
- Atrocia. — V.g. Crimen rebellionis.
  - Læsæ Maiestatis.
  - Homicidij deliberati.
  - Falsificationis monetæ.
  - Tertij Homicidij.
  - Vulneris p̃ditorij cũ sclopo rotatæ.
  - Tertiæ tonsationis monetarum.
  - Raptus Virginis.
  - Vsus venerei cum Virgine in Monasterio.
  - Sodomiæ.
  - Grassationis in vijs.
  - Falsificationis sigilli, Principis, aut Senatus.
  - Et Tandem, omne pro quo imponitur pœna mortis naturalis, aut ciuilis.
- Atrocissima. — Omnia illa, pro quibus imponitur pœna grauior morte; in ipso genere mortis. — V.g. quãdo re⁹, in frustra scinditur, vel comburitur, &c.

- **Priuata.** Quorũ accusatio, vel p̃secutio, non permittitur nisi parti lęsæ.
  - In cõmittendo.
  - In omittendo. — V.g. contumacia: maxime quãdo habet ad mixtum cõtemptum Iudicis.



§. ADVLTERIVM.

Vers.1.



VARIIS modis Crimen Adulterij proponitur in Iudicio. Aut enim maritus accusat vxorem tantum: Aut vxorem,& Adulterum simul. Aut è conuerso, vxor accusat maritũ de Adulterio cum alia muliere commisso: Aut agit tantummodo ad separationem Thori.

Tribus autem.

Tribus modis committitur Adulterium. Primo inter virum coniugatum & fęminam nuptam; & hoc dicitur duplex Adulteriũ; nam vterque ipsorum violat proprium thorum, & alienum. Secundo, inter virum coniugatum,& mulierem solutam. Tertio, inter virum solutum, & mulierem nuptam.

Propriè vero Adulteriũ in viro est, quando violat alienum Thorum, licet ipse non sit coniugatus: in muliere autem,quãdo violat proprium thorum,licet adulter sit solutus. Quando autem vir coniugatus coit cum soluta; tunc de Iure Ciuili neque ex parte Viri, neque ex parte mulieris, dicitur Adulterium: Et sic non potest puniri ea pęna qua adulteri puniuntur. De Iure vero Canonico, vbicunque maritus vel vxor, habeat rem carnalẽ cum alio, quam cum proprio coniuge appellatur Adulterium.

Quaero nunquid.

Si meretrix matrimoniũ contraxerit; & post contractum cessauerit à meretricia vita, & honestè cum viro viuit; committens Adulterium cum ipsa poterit accusari, & de Adulterio puniri. Secus autem si post contractum matrimonij perseuerauerit in meretricali vita; nam tali casu, nec illam carnaliter cognoscens debet aliqua pœna puniri: nec ipsa meretrix de Adulterio est puniẽda.

Est autem hodie.

Adulteriũ hodie est crimen Priuatum; nam eius accu-

accusatio non permittitur nisi marito, patri, & alijs certis personis propinquis; extraneis penitus exclusis.

Hoc crimen. Et Nota, quod est delictum mixtum, siue Cõmunis Fori; quapropter potest puniri per Iudicẽ secularem; & etiam per Iudicem ecclesiasticum.

Sed quaro. Pęnæ Adulterij sunt adeò incertæ, quod vix potest dari certa regula. Nã de Iure Canonico, & sic in Foro ecclesiastico, laicus adulter, tam masculus, quam fęmina excommunicatur; & deinde fœmina in Monasterium deponitur; & si maritus eam nolit recipere, ibi cogitur toto tẽpore vitæ suæ permanere, & pęnitentiam agere. Et sic, iste est vnus ex casibus, in quibus Episcop⁹ potest punire laicos. Clericus vero deponitur, & vlterius in Monasterium toto tempore vitæ suæ detruditur. De Iure autem Ciuili antiquo, erat pęna mortis ꝓ Adulterio: tam in masculo, quàm in fœmina. Hodie tamen in Foro seculari, variæ in varijs Prouincijs (tam propter Ius commune nouum, quam propter Ius illarũ municipale, aut consuetudinarium prã cticantur, & obseruantur pænæ circa mulieres. In Senatu enim Mediolani quãdoque mulieres de Adulterio conuictæ; fuerunt cõdemnatæ in fustigationẽ, & exilium arbitrarium. Quo ad masculos etiam, licet in ipsis remanserit firma dispositio Iuris ciuilis antiqui: tamen in omnibus ferè prouincijs, videmus pęnam mortis pro Adulterio, esse immutatam in pœnam pecuniariam: & sic in conflictu tantæ diuersitatis recurrat cautus Iudex, ad constitutiones, statuta, stylum, & consuetudinem loci vbi de Adulterio est Iudicandum; & non errabit. Animaduertẽdo rursus, quod dicta de Adulterio commisso, cum vxore aliena, amplientur etiam in commisso cum Sponsa alicuius per verba de præsenti, etiam si à viro cognita adhuc non fuerit: non autem in Sponsa per verba tantummodo de Futuro. *Sed hæc omnia.*

Stante Statuto in aliqua Ciuitate, quod Adulteri puniantur pœna pecuniaria. Si Iudæus cõmittat Adulterium cum Iudæa, punietur pęna statuti, & non pęna Iuris communis; *Pone stat.*

quæ

quæ (vt diximus) est pęna mortis. Debent enim Iudæi Iudicari secundum leges quibus Iudicantur alij de Ciuitate. Et certum est, quod pœna imposita ab statuto, tollit pœnam Iuris communis. Si vero cõmiserit Adulterium cũ Christiana; quia coitus Iudæi cum Christiana (etiam soluta, & meretrice) est punibilis de per se; committitur duplex Crimen; & sic grauius debet puniri quã disponatur per Statutum. Quapropter erit iusta pœna, condemnatio ad Triremes perpetuo.

Sed Pone. Nota, quod licet pro Adulterio sit, imposita ab statuto pœna reiterabilis; tamen si aliquis cum vxore alterius, pluries (etiam ex interuallo) rem carnalem habuerit, & sic plura Adulteria reiterauerit: nõ propterea punitur pluries, sed tantummodo semel pro vnico Adulterio.

Habet etiã. Aliam pęnam habet etiã Adulterium: scilicet, quod si adulter fuerit in ipso actu Adulterij deprehẽsus, potest à Patre mulieris impune occidi.

Alia quoq;. Similiter propter Adulterium de Iure Canonico; potest agi ad separationẽ thori; nec nõ ad dotis, & donationis propter nuptias priuationem. Ex qua pęna apparet immanitas huius criminis; nam licet Iure diuino cautum sit; vt quos Deus coniunxit homo non separet: tamen ex causa Adulterij cõceditur ipsius matrimonij separatio. Quinimò si Adulterium esset notorium posset maritus absque aliqua sententia Episcopi, propria Auctoritate vxorem Adulteram expellere.

Et scias. Nota: quod si separetur matrimonium propter Adulterium commissum à viro: tenetur ipse vxori; dotem suam restituere. Si vero separetur propter adulterium commissum ab vxore, ipsa amittit dotem in beneficium mariti, nec potest illam amplius repetere. Et hoc tam de Iure Ciuili, quam de Iure Canonico: & siue maritus vxorem criminaliter accuset, siue ciuiliter eam conuincat de Adulterio.

Sed quid si. Si aliquis ducat in vxorem illam, quam propter aliquod legitimum impedimentum non poterat de Iure vxorem ducere; & illa commiserit Adulteriũ, propter quod fuerit dote pri-

priuata per sententiam Iudicis; licet postea matrimonium fuerit declaratũ nullum, & sic Adulterium illud non potuerit dici adulterium: nihilominus tamen, non potest mulier dotem repetere. Quia considerandus est, status ille matrimonij, qui erat tempore commissi criminis, saltim putatiuè; & intentio praua ipsius mulieris.

Adde quod. Quibus in casibus vxor nedum amittit dotem; sed etiã bona paraphernalia. Et maritus Adulter perdit donationem propter nuptias; quam vxor eo casu lucratur.

Scias etiam. Notandum autem est; quòd mulier amittit dotẽ non solum propter Adulterium, sed etiam propter solum osculum, alteri viro quam marito datum; Vel quia aliquis sibi manus ad mamillas posuerit. Ratio est, quia cum crimen Adulterij sit difficilis probationis, & oscula dicantur proxima, & ferè immediata illius præparatoria; optime statutum est, vt eo ipso quod mulier cõuincitur osculum amatori dedisse, dicatur etiam de Adulterio conuicta. Quod tamen intellige quo ad processum ciuilem; nõ autem ad puniendam eam criminaliter pœna ordinaria Adulterij.

Facta autẽ. Facta thori separatione, propter vxoris Adulteriũ, tenetur nihilominus maritus ad duo. Primò, ad vxorem alendam. Licet enim sit adultera, non propterea desinit esse uxor, etiã post thori separationem. Secũdò, ad castitatem seruandam: si enim ipse fornicetur; tenetur vxorem iterũ in consortium admittere: & potest cogi, tam ex officio Iudicis; quam ad petitionẽ ipsius vxoris.

Caueat etiam maritus postquam sciuerit vxorem Adulteram, se cum ea carnaliter commiscere: quia propter talem commixtionem, perdit Actionem & Ius, & videtur Adulteriũ remisisse. Quia censetur ex hoc, mores suos approbasse. Et vltra, peccat mortaliter vir, qui rem habet cum vxore Adultera, non facta prius pœnitentia: sed certè Adulteri hodie ad hoc non aduertunt; & malè. *Caueat etiã*


Licet regulariter crimina non prescribantur nisi spatio viginti annorum. Attamen accusatio sim- *Vnũ tamen.*

plicis Adulterij præſcribitur quinquennio. Adulterij cum inceſtu, non præſcribitur niſi viginti annis: ſicut & cætera crimina.



Adulteriũ hodie, est crimẽ priuatũ. Et

- Committitur.
  - Inter virum coniugatum, & fœminam nuptam.
  - Inter virum coniugatum, & mulierem solutam.
  - Inter virum solutum, & mulierem nuptam.
- Proponitur.
  - Quando maritus accusat in Iudicio vxorem tantum.
  - Aut vxorem, & Adulterum simul.
  - Aut è conuerso vxor accusat maritũ.
  - Aut agit tantummodo ad separationem Thori.
- Probat.
  - Quo ad processum criminalẽ, & pęnã ordinariam.
    - Testibus, & alijs legitimis probationibus.
  - Quo ad processum ciuilem.
    - Nõ solũ legitimis ꝓbationibus; sed etiam Inditijs, & coniecturis.
      - V.g. ex osculis.
      - Aut quia aliquis manus ad mamillas mulieri posuerit.
- Punitur.
  - De Iure Ciuili.
    - Iuxta statuta particularia, & consuetudinem.
  - De Iure Canonico.
    - In Clerico.
      - Pœna depositionis; & monasterij detrusionis ad vitam.
    - In laico.
      - In masculo.
        - Pęna excommunicationis.
        - Separationis Thori.
        - Pœna, quod perdat lucrum dotis, & donationem propter nuptias.
      - In fœmina.
        - Pęna excommunicationis.
        - Separationis Thori.
        - Detrusionis ĩ monasteriũ.
        - Perditionis dotis, & bonorum paraphernalium.
- Pręscribitur.
  - Simplex.
    - Quinquennio.
  - Cum incestu.
    - Spatio viginti annorum.



§. ASSASSINIVM.

Vers.1. SSASSINVS est ille, qui aliquē Christianū occidi pretio mādat alteri, siue infideli, siue Christiano.

Hinc infertur, quod ad hoc vt quis propriè dicatur Assassinus requiritur, quod ille interfectus esset Christianus. Hæc tamen qualitas tanquam notoria in territorio Christianorū non videtur probanda. Si autem è conuerso reus probaret, interfectum fuisse infidelem: tunc à crimine Assassinij esset absoluendus.

Quæro nunquid. Nota: Quod si episcopus fuerit Assassinus comprehenditur etiam sub dispositione Iuris punientis Assassinos.

Sed quæro. Pęna Assassinij est; quod tales sunt diffidati à toto populo Christiano; & possunt impunè offendi. Deinde, Assassinus debet puniri pęna mortis: & aliquibus in locis trahitur ad caudam equi. In alijs, per frustra scinditur; quæ cōsuetudo introducta est, propter Criminis immanitatem, & ad terrorem aliorum.

Cæterùm: Assassinus non gaudet immunitate ecclesiæ, & sic ab ea potest extrahi per Iudicem secularem. *Item licet.*

Rursus; licet regulariter in criminalibus, probationes debeant esse luce meridiana clariores, tamē in hoc delicto sufficiunt probabilia argumenta; et ad condemnandum; non solum pœna extraordinaria; sed etiam pœna corporis afflictiua. *Præterea.*

Quamuis ex Generali consuetudine Italiæ, non puniatur affectus, nisi subsequatur effectus: tamen in crimine Assassinij, pluribus in locis fuit punitus, & punitur conatus, etiam non sequuto effectu: & sic non erraret Iudex qui hāc practicam sequeretur. Se- *Scias etiam.*

na-

natus Mediolani; secundum qualitatem facti, & personarum diuersimode in hoc articulo Iudicauit; quandoque pœnam ordinariam imponendo, quandoque mitiorem: & ob id, videtur iam dicta practica Arbitrio Iudicis derelicta.

---

§. *ASSASSINIVM.*

Assassinium.	Cōmittitur.	Quando quis aliquem Christianum, occidi pretio mandat alteri, siue infideli siue Christiano.
	Probatur.	Non solum legitima probationē, sed etiam argumentis probabilibus.
	Punitur.	Pœna mortis; & in aliquibus locis, talis reus trahitur ad caudam equi; in alijs in frustra scinditur.
		Affectus, etiam, non secuto effectu.
		Pœna item; quod tales sunt diffidati, à populo Christiano; & possunt impune offendi.
		Pœna etiam; quod Assassinus non gaudet immunitate ecclesiæ.





§. BLASPHEMIA.

Verſ. 1. MNE conuitium, contumelia, vel maledictum; prolatum in Deũ, vel Sanctos eius eſt Blaſphemia.

Sed nũquid. Nota, ꝙ ẽt dicere, Al diſpetto di Dio; eſt vna ex blaſphemijs connumeratis inter atroces: & ita declarauit Senatus.

Sed quæro. Pœna Blaſphemię diuerſæ ſunt. Nam de Iure diuino, eſt pœna mortis. De Iure Canonico, & ſic in foro eccleſiaſtico cogĩt Blaſphemans ad publicam pœnitentiam ante fores Eccleſiæ faciendam; ſi fuerit laicus: non autem ſi clericus. Et Ratio eſt, ne propter huiuſmodi publicam ſatisfactionẽ, vileſceret clericalis ordinis auctoritas. De Iure autem Ciuili, pœna blaſphemiæ eſt vltimi ſupplicij. Hodie tamen, ob defectum religionis, & Iuſtitiæ hæc pęna de conſuetudine non ſeruatur; (quæ tamen eſt cõſuetudo peſſima, magna indigens reformatione) & ſic hodie in Seculari foro, ſtandum eſt Statutis, vel conſuetudini locorum in quibus Ius dicitur, aut arbitrio Iudicis ſecundum qualitatem Blaſphemiæ. Senatus Mediolani, plerunque arbitratur graues pęnas (præſertim in atrocibus Blaſphemijs) Quandoque ictuũ funis: Quandoque Triremium ad Tempus; quandoque in perpetuum. Et etiam ſecũdum qualitates Blaſphemiæ & perſonarũ, arbitratur quandoq; vſq; ad pœnam furcarum.

Eſt autem animaduertẽdum, quod licet aliquis ſit imputatus de Blaſphemia, admittitur tamen ad obijciendum, & probandum contra perſonas, & dicta teſtium quicquid vult, ſicut in alijs delictis. *Reperio.*

Crimen Blaſphemiæ eſt communis Fori: Et ideo poteſt Blaſphemans puni- *Hoc crimen.*

ri,

ri, tam per Iudicem ecclesiasticum, quam per secularem.


Sed Pone. Nota tamen; quod si Blasphemans fuerit Iudæus; tunc solus Iudex secularis est competens, & potest de eo cognoscere; nisi in casu negligentiæ, ipsius Iudicis secularis: nam tunc ob talem negligentiam, potest pariter Iudex ecclesiasticus de ipsa Blasphemia cognoscere, & Iudæum punire.


Excusari potest Blasphemans, propter Iram; propter simplicitatem, & rusticitatem notoriam; & etiam propter ebrietatem. *Excusari.* Non autem (apud nos) *Item potest.* propter cõsuetudinem loci. Quia talis Blasphemandi consuetudo, abusus potius est dicendus; cuius nulla debet haberi ratio.




- Blaſphemiæ crimen.
  - Committitur.
    - Dicendo contumeliam, conuitium, vel maledictum in Deum, vel Sanctos eius.
  - Cognoſcit ei⁹ cauſa.
    - In Chriſtiano.
      - Ab vtroque Iudice. Quia quo ad Chriſtianum, eſt mixti fori.
    - In Iudęo.
      - A ſolo Iudice ſeculari.
  - Punitur.
    - De Iure diuino.
      - Pœna mortis.
    - De Iure Canonico.
      - In clerico.
        - Pœnitentia ſecrèta.
      - In laico.
        - Pœnitentiæ publica ante fores eccleſię facienda.
    - De Iure Ciuili.
      - Pœna mortis. Quę tamen hodie non eſt in vſu; ſed in eius locum pœna ſtatutaria; aut arbitraria.
  - Excuſatur
    - Propter iram, ſimplicitatem, ruſticitatem notoriam; & ebrietatem.
  - Nõ excuſatur.
    - Propter conſuetudinem loci, quia talis conſuetudo, potius abuſus eſt dicendus.







§. *FALSVM.*

Verſ. 1. NTER publica delicta, connumeratur crimen falſi; non ſolũ ſi agatur de teſtamento falſo, ſed etiam de quocunque alio inſtrumento: Et ideo quilibet de populo, etiamſi eius particulariter non interſit, poterit de falſo accuſare.

Sciendũ eſt. Multis modis falſitas, & circa multa committi poteſt. Committitur namque circa teſtes; circa inſtrumenta, & ſcripturas; circa monetam, &c.

Et inprimis. Circa teſtes poteſt falſitas committi. Primò, ſubornando teſtem ad dicendum falſum teſtimonium. Secundò, producendo in Iudicio teſtem falſum. Tertiò, dicendo falſum teſtimonium. Quartò, vtendo dicto ipſius teſtis falſi.

Subornans. Subornans igitur teſtes ad dicendum falſum; dicitur falſum committere; ſicut & ipſe teſtis falſum deponens. Et licet de Iure non credatur ipſis teſtibus dicentibus ſe precibus alicuius falſum teſtimoniũ perhibuiſſe. (Et ratio eſt, quia cum ſint ſocij criminis & periuri: non deberet eorum dictum, neque etiã ſufficere ad inquirẽdum.) Conſuetudo tamen obſeruat contrarium: quod ſcilicet creditur huiuſmodi teſtibus ita dicẽtibus, quo ad hoc vt procedatur ad inquiſitionem, contra eos à quibus aſſerunt ſe ſubornatos. Et Practica eſt, quod confirment eorum dictum in Tortura; & tunc ſi vna cum eo ità in tortura confirmato, cõcurrat aliquod aliud adminiculum; ſufficiens eſt, non ſolum ad inquiſitionem, ſed etiam ad torturã: & ita obſeruatur. *Sed nũquid.*

Producens. Producens ſcienter falſos teſtes, dicitur & ipſe falſum committere; quæ quidem Falſitas verificatur, producendo tantummodo vnum falſum; & li- *Pone ſtat.*

cet ſtatutum extaret, & loqueretur in numero plurali; nihilominus tamen ſufficit, quod producat vnũ ad hoc vt dicatur incidiſſe in pœnam ſtatuti.

Teſtis qui. Teſtis, ꝗ falſum teſtimoniũ deponit in Iudicio dr̃ falſum committere. Poteſt autem falſum deponere, aut in Iudicio criminali, aut in Iudicio ciuili. Si falſitas igitur commiſſa ſit in Iudicio criminali, & teſtis dolo malo depoſuit ad offenſam contra innocentẽ, punitur tanquam homicida. Et ideo Senatus aliquãdo Iuſsit furcis ſuſpendi quoſdam teſtes, qui in cauſa criminali falſum teſtimonium ad offenſam depoſuerant; Aliquando mitius agens condemnauit alium ad Triremes per decennium. Aliquando alios fuſtigari tãtum mandauit. Si verò deponat fálſum ad defenſam debet puniri pęna extraordinaria, Arbitrio Iudicis. Cæterum ſi falſitas ſit commiſſa in cauſa Ciuili, Aliquando teſtitali amputatur lingua; Aliquando fuſtigari mandatur, ſecundum cauſæ & perſonarum qualitatem.

Cõuincitur. Cõuincit̃ teſtis de falſo. In primis ſi ipſemet fateat̃ falſum depoſuiſſe: nulla enim maior eſt probatio, quã proprij oris confeſſio.

Conuincitur item, ſi ipſemet contraria depoſuerit Iudicialiter: hoc eſt, Aut in eodem Iudicio; dicendo contrarium eius, quod prius dixerat; Aut in diuerſis Iudicijs; dicendo in vno contrarium, eius quod dixerat in alio: & his caſibus, ſemper punitur de falſo. Quando vero in vno, aut pluribus Iudicijs; dicit teſtis contrariũ eius quod dixerat extraiudicialiter, nec dicitur falſarius, nec poteſt de falſo puniri. *Aut vero.* *Et in hoc propoſito.*

Conuincitur pariter teſtis de Falſo; per alios teſtes, numero plures qui cõtrarium deponant. Si autem ſunt tantum duo teſtes, contraria interſe deponentes; nulli creditur contra alterum ad hoc vt puniatur de falſo. Debet tamen Iudex tali caſu, ſuper ipſa contrarietate diligenter inquirere quis eorum falſum dixerit; & vbi cõtra aliquem ipſorum teſtium extarent aliquæ prężumptiones, aut ſuſpiciones poſſet ſubijci Torturę, in quo caſu verſabitur multum religio Iudicis; Qui *Conuincitur etiam.* *Sed Pone.*

qui-

quidem debet etiam animaduertere antequam ad Torturam deueniat, ne destruat intentionem Fiſci; aut indebitè lædat Ius partis.

Scias tamē. Dicta teſtium ſunt inter ſe, quantum fieri poteſt concordanda, vt euitetur falſum, non ſolum ſi plures ſe contradicant, ſed etiam ſi vnus teſtis videatur ſibi ipſi contrarius.

Solet etiam. Cum negatiua regulariter ex ſe ſit improbabilis, ideo teſtis deponēs ſuper negatiua, videtur ſuſpect⁹ de falſo. Non autem ex eo ſolo, quia deponat ſuper negatiua poterit puniri de Falſo: poterit tamen puniri pœna extraordinaria ob temerariam aſſertionem. In dubio verò ſemper verba illius, ſunt intelligēda, vt talis falſitas quam incurrit deponens ſuper nega-

Sed quid ſi teſtis. tiua euitetur. Si depoſitio teſtis nō fuerit falſa, circa factum principale, aut circa qualitates ſubſtantiales, ſed tantummodo circa alia extrinſeca; non poteſt puniri pœna falſi. Poterit autem puniri pęna ſtellionatus.

Pone teſtis. Si teſtis negat ſe dixiſſe prout notarius ſcripſit; notario contrarium aſſerente; regulariter creditur notario. Ad hoc autem vt notarius vel teſtis puniantur de Falſo, nulli creditur, nec notario contra teſtē, neque teſti contra notarium. Ob idque eſt optima Cautela illa, qua aliquando vtuntur Iudices in cauſis arduis; facere ſcilicet, quod teſtes ipſi poſt eorum depoſitionem, manu propria atteſtationes ſuas ſubſcribant. Procedūt autem ſupradicta quādo in ipſo examine nullus præſens fuiſſet, præter ipſos notarium & teſtem. Si enim vltra notarium fuiſſet etiam præſens Iudex, tunc abſolutè ſtatur ei, qđ reperitur ſcriptum, quicquid teſtis poſtea dicat.

Licet teſtis nō fuerit Iu- *Tu ſcis.* ratus ſi falſum depoſuerit; & talis falſitas fuerit nocibilis punietur de falſo. Ratio eſt; quia licet teſtis non Iuret; non tamen propterea dicitur eius depoſitio eſſe ſine forma. Si autem falſitas non fuerit nocibilis, tunc non punietur; ſaltē pœna ordinaria Falſi.

Ad hoc vt teſtis dicatur *Quæro nunquid.* Falſus, ſufficit probare qđ dixit falſum in ſua depoſitione, licet non probetur, ſe fuiſſe corruptum pecu-

nia, aut alio modo. Et è conuerso, licet probetur pecuniam accepisse pro te stimonio ferendo, si non constat se falsum deposuisse, imò apparet veritatem dixisse non poterit puniri de falso. Potest nihilominus puniri aliqua pœna extraordinaria; ex quo turpiter accepit pecuniam, pro eo quod tenetur gratis facere; & hoc nisi accepisset pro suis expensis, vel operis, nam eo casu potuit licitè accipere. Si autem fuerit in dubio, numquid falsum, aut verũ dixerit; tali casu negari non potest talem testem, esse valde suspectum de falso; ex quo constat pecuniã accepisse, & non constat de veritate dicti; & ideo potest Iudex illum torqueri facere, super falsitate principalis depositionis; & deinde etiam illum punire extra ordinem, ob turpitudinẽ pecuniæ acceptę.

Sed quid è conuerso.

Pœna autẽ testis.

Pœna testis falsum deponentis, de Iure Canonico est; in clerico depositio & detrusio in Monasterium. De Iure vero Ciuili, est pœna falsi.

Item testis.

Similiter testis fals⁹ tenetur satisfacere parti, oẽ damnũ, quod cõtingit, propter illud falsum testimoniũ. Hoc tamen intellige, vt procedat in foro contentioso: secus autem in foro conscientiæ: nam in hoc foro non tenetur, nisi de falso testimonio, non autem de damno ex illo subsequente. Quod nota, quia de facili, quis responderet contrarium.

Vtens dicto.

Vtens dicto falsi testis, dicitur etiam falsum committere; si sciuerit tale testimonium esse falsum, alias secus. Et quia scientia est difficilis probationis; ideo inuenta est illa practica, qua quotidie vtuntur Aduocati, & Procuratores; hoc est, quod faciunt interrogari partẽ quæ producit testem, an velit vti ipsius dicto, cum termino ad deliberãdum: & si in eo termino respondeat se velle vti, tunc habetur pro sciente. Et est notandum, quod Iudex inquirens non potest ex officio hanc interrogationem facere.

Fabricans.

Committitur Rursus falsitas vt dictum est, circa instrumenta: nam Notarius Fabricans falsum instrumẽtum, dicitur falsum committere; & de Iure communi punitur pœna Falsi.

Pœna autẽ notarij.

De

De Iure Longobardorum erat pœna amputationis manus dextræ. Nunc autem in hoc Ducatu Mediolani ꝓ prima falsitate, Notarius vt in plurimum punitur citra mortem, sed si plures committat, igne cõburitur: & ita practicatur.

Producens. Producens falsum instrumentum, dicitur falsum cõmittere, si sciebat illud esse falsum.

Vtens falso. Vtens falso instrumento scienter, falsum committit: & talis scientia probatur, saltem præsumptiuè; eadem cautela & practica, quæ dicta est in vtente falsis testibus: scilicet, ipsum producentem interrogando, an velit vti ipso instrumento, cum termino ad respondendum; & si in termino respondeat velle vti; punitur de falso tanquam scienter producens. Et est notandum, quod statuto dicto termino, tenetur clare respondere, & sine vlla conditione vel adiectione; an velit vti, vel non? Et hoc, siue sit factum proprium, siue alienum: & siue posit de eo verisimiliter esse instructus, siue nõ. Verum est, quod si agatur de facto alieno; de quo nõ sit verisimiliter instructus, Iudex debet illi (si eam petat) concedere longiorem dilationem ad respondendum, quam si ageretur de facto proprio; & ita obseruatur.

Nota tamen, quod vtẽs falso instrumento, mitius punitur quam ille qui Fabricauit, aut fabricari fecerit: nam vtẽs solummodo punitur pœna relegationis; Fabricans autem pœna ordinaria Falsi. *Scias etiam.*

Notarius, non modo fabricando falsa instrumenta dicitur falsum committere, & incidere in crimen, & pęnam falsi, sed etiã si in instrumento aliquid apponat, quod verum non sit: Verbi gratia, si in instrumento mutui, apponat verbum numerauit, cum tamẽ tempore celebrati contractus, nulla fuerit numerata pecunia. Aut si scripserit rogauit Titius, spopõdit Mœuius vnico contextu, & probetur quod tempore confecti instrumenti Titius erat absens. Et ratio est; Quia notarius non potest ponere in instrumẽto, nisi ea quæ reuera percipit sensu corporis tempore confecti instrumenti. Aut si omiserit apponere solemnitates requisitas in in- *Notarius autem.* *Sic etiam si.* *Pariter etiã.*

inſtrumento de quo eſt rogatus: Sed nota, quod propter hoc, non punitur de falſo, niſi in caſibus à Iure *Adde quod.* expreſſis. Aut ſi confecerit inſtrumentum ſuper re illicita, extra caſus à Iure *Item Notarius.* permiſſos. Aut tandem, ſi negauerit ſe eſſe rogatū de inſtrumento, de quo reuera fuit rogatus. Quod intelligendum eſt, niſi Notarius eſſet vir bonæ opinionis, & eſſet multū tempus, quod fuiſſet factum inſtrumentum: nam tunc excuſaretur; quia ex curſu lōgi temporis præſumitur obliuio. Bene verum eſt; quod ſi pars faceret ſtatui Notario, terminum ad reſpondendum; an eſſet de eo rogatus, & negaret nō excuſaretur tali caſu, à pęna Falſi.

Sunt etiam. Committitur etiam crimen falſi in alijs caſibus. Puta, falſificando literas Papæ, Regum, &c. Et nota, quod clericus committens crimen in literis Apoſtolicis, ſtatim eſt degradandus, & tradendus curiæ ſeculari. *Abradens.* Aut abradendo inſtrumenta; vel literas confirmatorias Principis; vel literas de Iuſtitia. *Aperiens.* Aut aperiendo, vel deſigillando literas alienas, vt illas oſtendat aduerſario. *Adſcribens.* Aut adſcribendo ſibi legatum in teſtamento alieno, ſiue in ſcriptis; ſiue nuncupatiuo; ſi tamen Notarius probaret per teſtes, quod teſtator tale legatum ſibi reliquiſſet euitaret pœnam falſi. *Prohibens.* Aut Prohibendo aliquem teſtari, dummodo conſtet, & defunctum voluiſſe teſtari; & ei Prohibitum fuiſſe: Quibus duobus probatis; punitur talis ꝓhibens, pœna extraordinaria arbitrio Iudicis.

Vendens. Licet vendens eandem rem duobus, incidat de Iure in crimen falſi: ſi verò alienet duobus alio contractu, punitur tantum pęna ſtellionatus. Huic tamen Iuri, derogatum eſt, per Generalem conſuetudinem.

Trita eſt. Licet etiam trita ſit cōcluſio apud omnes; quod ſuſpicio falſi pro veritate habetur; *Eſt igitur.* Eſt tamen talis concluſio intelligenda, vt procedat in Ciuilibus ad elidendam aliquam probationem: non autem in criminalibus, ad puniendum aliquem de falſo. Hoc enim caſu ad probandam falſitatem, non ſufficiunt coniecturæ; neque ſuſpiciones; ſed probationes le

giti-

gitimæ, & quæ de neceſſitate concludant.

Sed quæro. Pœna falſi regulariter, eſt deportatio cum publicatione bonorum. Hæc tamen pœna hodie non eſt in vſu; neque imponitur alicui de conſuetudine. Et ideo dicendum eſt; quod vbi adſunt Cōſtitutiones, vel ſtatuta ſuperinde diſponentia; imponenda eſt pœna in ipſis ſtatutis expreſſa. Deficiente autem ſtatuto; recurrendum eſt ad conſuetudinem; quaſi hoc tali caſu, Arbitrio Iudicis relinquatur. Apud nos verò puniuntur falſarij, vt iā ſupra dictum eſt.

Itē propter. Item propter falſitatem commiſſam in cauſa: hoc eſt, circa acta ipſius cauſæ; pars ipſa falſitatem committens cauſam amittit; non autem ſi falſitas commiſſa ſit, circa teſtes, aut inſtrumenta. Quod procedit, ſiue cauſa fuerit cū fiſco, ſiue cum alio quolibet priuato.

Excuſatur. Excuſatur autem reus à crimine, & pœna falſi, multis modis. Primò quando ille, qui falſum committit, non eſt in dolo: nam vera eſt Iuris concluſio, quod falſitas ſine dolo committi non poteſt. *Præterea.* Deinde, quando illud quod dicitur falſum, adiuuatur primordio veritatis: Eſt enim pariter certa cōcluſio Iuris; quod non poteſt dici falſum illud; quod iuuatur primordio veritatis. Rurſus, quādo falſitas nemini præiudicat nec actu, nec potentia: nam regulariter nemo incidit in pœnam falſi, niſi falſitas commiſſa, ſit notabilis; quia ſcilicet alicui præiudicet; aut potuiſſet præiudicare: & ita obſeruauit Senatus. *Item excuſatur.* Hinc infertur; quod quando ſcriptura quæ dicitur falſificata, aut dicta teſtis falſi, ſunt ipſo Iure nulla, eo quia deficiunt aliàs in forma, & ſubſtantia; ita quod (licet falſitas non fuiſſet detecta) nec alicui præiudicāt actu; nec potentia in futurum poſſunt præiudicare; tunc talis falſificans ſcripturam; aut teſtis taliter falſum dicens non puniuntur pęna ordinaria falſi. Bene verum eſt, quod poterit teſtis extra ordinē puniri pęna ſtellionatus. Ex quibus Generaliter cōcluditur; quod licet falſitas non nocibilis, non ſit punienda pœna ordinaria falſi, debet tamen puniri pœna extraordinaria, ſecun-

cundum qualitatem facti, & personarum, arbitrio Iudicis.

Item debet. Debet Iudex omni studio laborare, vt reos à pœna falsi excuset; & sic quantum potuerit, studere vt dicta testium cõtraria deponentium, ad concordiã reducat. Pariter etiam instrumentum iuuare debet, omni interpretatione, & distinctione, ne falsum iudicetur.

Dixi etiam. Committitur denique falsitas, vt supra dictum est; circa monetam; & multis modis. Primò, fabricando falsam monetã. Secundò adulterando. Tertiò, diminuendo. Quartò, illam sic falsificatam, vel adulteratam, vel diminuitam expendendo.

Falsificans monetam Imperatoris, punitur pœna ignis.

Falsificans monetam Ciuitatis, punitur pœna capitali. Quod intellige, non capitali, id est mortis; sed capitali, id est deportationis.

Radens, aut minuens, monetam auream, si liber fuerit, Bestijs subijcitur: si seruus, vltimo supplicio punitur. *Radens.*

Expendens autem falsam monetam; si nummi sunt plumbei vel stannei, incidit in pœnam Falsi: Si verò non appareat, quod essent plumbei vel stannei, punitur pœna extraordinaria Arbitrio Iudicis. *Expendens.*




§. FAL-

Falsi crimē, publicū est: Et

- Cōmittitur circa.
  - Testes.
    - Subornādo testē, ad dicēdū falsū testimonium.
    - Producendo in Iudicio testem falsum.
    - Dicendo falsum testimonium.
      - In Iudicio criminali.
        - Ad offensam.
          - Dolosè puniuntur; vt Homicidę.
        - Ad defensam.
          - Puniuntur pœna arbitraria.
      - In Iudicio ciuili.
        - Aliquando testi imputatur lingua.
        - Aliquando fustigatur.
    - Vtendo scienter dicto ipsius testis falsi.
  - Instrumenta.
    - Producendo scienter instrumētum falsum.
    - Quando Notarius cōficit instrumentum falsum.
      - Pro prima falsitate.
        - In hoc Ducatu punitur citra mortem.
      - Pro pluribus.
        - Igne cōburit.
    - Vtendo scienter falsis instrumentis.
      - Punitur reus pęna relegationis.
  - Scripturas.
    - Falsificando, litteras Papæ, Regum, &c.
    - Abradendo.
    - Aperiendo literas alienas.
    - Adscribendo sibi legatum in testamento.
    - Prohibendo aliquem testari.
  - Monetā.
    - Fabricando falsam monetam.
      - Imperatoris.
        - Punitur reus pęna ignis.
      - Ciuitatis.
        - Pœna deportationis.
    - Adulterando.
    - Radendo, aut minuēdo,
      - Liber Homo.
        - Bestijs subijcitur.
      - Si seruus.
        - Vltimo supplicio.
    - Expendendo.
      - Si sit plūbea.
        - Punitur pęna falsi.
      - Si nō cōstet de quo metallo.
        - Punitur pęna arbitraria.
- Conuincitur.
  - Confessione rei.
  - Ob contrarias depositiones Iudiciales.
  - Per alios testes numero plures.
- Punitur pœna.
  - Statutaria, & consuetudinaria; seu eis deficientibus Arbitraria.
  - Amissionis causæ; si falsitas sit commissa circa acta causæ.
- Excusatur.
  - Quando falsum committens non est in dolo.
  - Quando adiuuatur primordio veritatis.
  - Quando falsitas nemini præiudicat, nec actu, nec potentia.



§. FORNICATIO.

Verſ.1. E Iure Ciuili; ſimplex fornicatio, ſiue coitus ſoluti cũ ſoluta, nõ eſt punibilis, neque etiã coniugati cum ſoluta: maxime ſi talis mulier ſoluta eſſet meretrix; Adeò quod etiam ſi quis per vim ſtuprauerit meretricem non nuptam non poteſt puniri, neque etiam crimine iniuriarum. De Iure autem diuino, fornicatio ſimplex eſt prohibita: eſt enim peccatum mortale. De Iure etiam Canonico punibilis eſt; Quia eo Iure, omnis coitus punibilis eſt præter *Sed quæro.* matrimonialem. Eſt autem eius pœna in laico Arbitraria; in Clerico verò ſuſpenſionis; niſi haberet in ſe aliquam inſignem deformitatem, quia tali caſu clericus eſt deponendus. *Cæterum.* Si autẽ fuerit notorius fornicator remanet ipſo Iure ſuſpenſus ab officio.

Notãdum tamen eſt; qđ coitus, qui fit inter clericum & mulierem ſolutam; non eſt neq; Inceſtus, neq; Sacrilegium, ſed ſimplex fornicatio, ſicut inter laicum ſolutum, & ſolutam.

Damnatus coitus dicitur ille, qui aliqua lege exteriori, & humana punitur; & fit multis modis. *Frequenter.*

Cum concubina; & appellatur concubinatus; qui quidem de Iure Canonico punitur; in laico pœna Arbitraria; in Clerico vero Priuationis beneficij, & reſtitutionis fructuum perceptorum. De Iure autem Ciuili, & ſic in foro ſeculari (quicquid ſit de iure cõmuni) conſuetudine receptum eſt; quod concubinatus non ſit prohibitus, nec puniatur per Iudices ſeculares, niſi in quantum requiſiti ab eccleſiaſticis brachium ſuũ impartiunt. *Et in primis*

Ad concubinatum plura de iure requirũtur, quę ſi non concurrant, tranſit in crimen ſtupri; quod eſt *Vnũ tamen.*

omni

omni Iure punibile.

Cum Virgine. Cum Virgine: & appellatur propriè ſtuprum.

Cũ puella. Cum puella nondum viri potente.

Cum puero. Cum puero; & appellatur Sodomia.

Cum nupta. Cum nupta; & eſt Adulterium.

Cum vidua. Cum Vidua.

Cum affine. Cũ affine, vel cõſanguinea: & appellatur Inceſt⁹.

Cũ moniali. Cum moniali; & appellatur ſacrilegium: & punitur pęna Capitis, tam de Iure communi; quam per conſtitutiones huius Ducatus. Et etiam communiter per ſtatuta Italiæ.

Cum presbytero. Cum presbytero, pariter eſt prohibita mulieris fornicatio. Nota tñ, quòd ſi ipſius coitus fuerit cũ muliere ſoluta, non ſacrilegium, ſed tantum ſimplex fornicatio appellatur.

Cũ domina. Cum domina; ſi vaſſallus ſcilicet cum ea ſe commiſceat. *Mulieris.* Si autem ſeruus cum domina coeat, flammis eſt comburendus: & ipſa capite punienda. Non tamen è contra, ſi ancilla rẽ habeat cum domino; imò remuneratur ancilla. Quia amatores debent donare amaſijs ſuis, nõ è cõuerſo.

Cũ ſubdita. Cum ſubdita, punitur ẽt coitus in domino feudi.

Item in officiali. Item in officiali cognoſcente carnaliter mulierẽ ſibi ſubditam.

Cũ pupilla. Cum pupilla; punitur tutor, vel curator ſe carnaliter commiſcens; maximè ſi durante adhuc tutela, vel cura eam ſtuprauerit: & pęna eſt deportatio, & cõfiſcatio omnium bonorum.

Cum carcerata. Cum carcerata; coiens cuſtos carceris punitur pęna trium ictuum funis, & vltra arbitrio Senat⁹; etiãſi carcerata fuerit meretrix. Ratio eſt; quia licet coitus cum meretrice ſit impunitus, etiamſi per vim fiat; nihilominus ratione loci, & cuſtodiæ, non eſt impunitus dimittendus. Si verò aliquis ex carceratis cognoſcat meretricem pariter carceratam, nulla propter hoc punitur pęna.

Cũ Iudæis. Cum Iudæis etiam coitus eſt prohibitus. Poteſt autem hoc dupliciter contingere; ſcilicet, ſi Iudæus cognoſcat mulierem chriſtianam; & è conuerſo, ſi Chriſtianus cognoſcat mulierem Hebræam. Iudæus ergo cognoſcens mulierẽ Chriſtianam puniendus erit pœna extraordinaria, arbitrio Iudicis citra mortem. Quod intellige quãdo talis coitus, eſt For-

nicatio ſimplex; ſi enim fuerit Adulterium, aut alius coitus punibilis pœna mortis; punietur pariter pœna mortis. Non enim eſt rationi conſonum quod Iudæi eſſent melioris conditionis, quam Chriſtiani.

Cum animali. Cũ animali Bruto coit⁹, inter nefandos connumeratur: puta, ſi vir coierit cũ aſina: qui coitus fit cõtra naturam humani generis; & punitur pęna mortis; & etiam mandatur occidi pecus.

Cũ mortua. Cũ mortuá quoq; coitus eſt punibilis: & hoc faciens eſt grauiter puniẽdus, tanq̃ cõtrectator cadauerum.

Inter mulieres. Inter ipſaſmet mulieres, cadit etiã coitus punibilis qñ interſe actum Venereũ faciunt, fricando & ſe corrũpendo: qui coitus punitur citra mortem arbitrio Iudicis, quãdo eſt ſimplex fricatio. Qñ vero ſimul coeunt, non ſimpliciter fricãdo, ſed imponẽdo aliquod inſtrumentũ materiale, puta ligneum vel vitreum, puniuntur pœna mortis.

Raptus. Raptus ẽt; inter maximè dãnatos coit⁹ cõnumerat̃, & punit̃ vltimo ſupplicio.

Dicitur etiã Dãnatus pariter; & punibilis eſt coitus illius, q eodẽ tpe duas, vel plures ducit vxores. Cuius pęna (Vltra qđ efficit̃ infamis) p cõſtitutiones hui⁹ ſtatus eſt ſcutorũ 500. vel triũ ictuũ eculei, & vlterius arbitrio Senatus. Qui quidẽ, qñ qs plures vxores habet eodẽ tpe quã duas; ſolet grauius arbitrari, prout ĩ eo, q quatuor mulieres, eodẽ tpe viuentes in vxores duxerat; nã fuit publicè fuſtigatus, & ad triremes per triennium tranſmiſſus.

Sed Pone. Mulier quę habens maritũ abſentem, de eius morte certum nunciũ accepit; aut alias per publicam famam, poſt longã abſentiã pbabiliter credere potuit illũ defunctum eſſe: ſi ſecũdo nubat, debet excuſari; Si verò nubat non adhibitis dictis circunſtantijs, punitur de Adulterio.

Omnes autẽ Oẽs aũt coitus, cuiuſcũq; generis ſint, ſi cũ violentia cõmittantur, grauius puniri debẽt. Et ideo p cõſtitutiones huius Ducatus; cognoſcẽs carnaliter mulierẽ per vim punitur pęna capitis: quas tñ Senatus nõ ſemper obſeruat, licet grauiſſimè puniat. Quidam enim, pro violentia illata mulieri (ẽt qđ haberet pacẽ) fuit tranſmiſſus ad Triremes per quinquennium.

§. FOR-

Fornicatio. Aut,

- Simplex.
  - Punitur.
    - De Iure Diuino. — Pœna peccati mortalis.
    - De Iure Canonico.
      - In Laico. — Pœna arbitraria.
      - In Clerico. — Pęna suspensionis.
  - Non Punitur. — De Iure Ciuili.
- Dãnata.
  - Cum concubina; & appellatur cõcubinatus.
    - Punitur. — De Iure Canonico.
      - In Laico. — Pęna arbitraria
      - In Clerico. — Pœna priuationis.
    - Non Punitur. — De Iure Ciuili; de consuetudine.
  - Cum Virgine; & est Stuprum.
  - Cum puella nondum viri potente.
  - Cum puero, & est Sodomia.
  - Cum nupta; & est Adulterium.
  - Cum Vidua.
  - Cum consanguinea; & est incestus.
  - Cum moniali. — Punitur pœna capitis.
  - Cum Presbytero.
  - Cum domina: Aut,
    - Vassallus.
    - Seruus. — Flammis est comburendus; & ipsa capite punienda.
  - Cum subdita.
    - Dominus feudi.
    - Officialis.
  - Cum Pupilla.
    - Tutor.
    - Curator.
    - — Puniuntur pœna deportationis, & cõfiscationis omnium bonorum.
  - Cũ carcerata.
    - Custos Carceris. — Punitur tribus ictibꝰ funis; & vltra Arbitrio Senatus. — Etiãsi fuerit meretrix.
    - Alius Carceratus. — Nulla pœna punitur. — Si fuerit meretrix.
  - Cum Iudæis.
  - Cum animali Bruto. — Punitur pœna mortis; & etiam occiditur pecus.
  - Raptus. — Punitur vltimo supplicio.
  - Inter ipsas mulieres. — Si imponunt aliquod instrumentum materiale puniuntur pœna mortis.
  - Cum quis duas simul ducit vxores. — Punitur pœna 500. Aureorum; vel tribũ ictuũ eculei.

§. FVRTVM.

Vers. 1. VRTVM est cõtrectatio rei alienæ fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam *Furtorũ autem.* vsus, possessionisve. Cuius duo sunt genera; manifestum, & non manifestum. Fur manifestus est ille, qui cum ipso furto deprehenditur. Et est notandum, qđ licet non deprehendatur, si tamen fuerit visus furari, dicetur fur manifestus.

Quaro nunquid. Si alicui res furatæ fuerint, & adsit suspicio, quod in aliqua domo poterit furtum inueniri, nõ solent Iudices in hoc Ducatu concedere licentiam ipsismet Dominis, perquirendi domos alienas, ne sequantur scandala; sed solent ipsi Iudices mittere executores suos, siue consules viciniæ, qui perquirant; præsentibus etiam quandoque ipsis dominis. *Solent etiã.* Quandoque solent proponi edicta, vel impetrari litterę, quas vocant monitorias, quibus sub pœna excommunicationis committitur scientibus rem furatam, vt illam indicent.

Sed nũquid. Si ille apud quem, reperitur res subtracta, fuerit persona bonæ famæ, & conditionis, non propterea præsumitur fur. Secus autem si fuerit malæ famæ: tunc enim præsumitur fur. Ex tali autem prȩsumptione, non oritur Indiciũ sufficiens ad cõdemnationẽ, sed bene ad Torturam.

Nota; quod si furtum factum fuerit in re magna, dicitur graue delictum. *Quaro an Furtum.*

Pœna Furti de iure communi est citra mortem. De cõsuetudine autem, Fures famosi; hoc est, infamati de pluribus furtis (Fur .n. qui furari consueuit, dicitur famosus latro) laqueo suspenduntur. Plura furta dicuntur tria; & ideo de generali consuetudine, ꝑ tribus furtis suspẽduntur Fures. Animaduertat itaque Iudex, in hoc seruare statuta; aut specialẽ cõsuetudinem loci illius in quo Ius dicit. Non extantibus autem statutis, neq; consuetudine in hac materia tenendum est; quod Fur etiam propter multa furta non est pęna mortis afficiendus; sed obseruari debet *Sed quaro.* *Scias tamẽ.*

bet

bet Ius commune, vt citra mortem puniatur; nisi fuerit Incendiarius. Fures.n. incendiarij, etiam pro primo furto de consuetudine suspenduntur. Posset etiã esse locus, in quo furtum committeretur adeo insignis, vt etiam pro primo Furto, quamuis exiguo, esset fur suspẽdendus. Quod quidem seruatum fuit per parlamẽtum Parisiense, in quodam, qui crumenam cũ 60. solidis tantum, inciderat in Camera ipsiusmet Parlamenti. Deficiẽtibus, autem huiusmodi qualitatibus; Pro vno Furto, quãtumuis magno, non potest quis pœna mortis puniri.

Sed an pro vno.

Sed Pone.

Nota tamẽ, & tene mẽti, quod stante statuto, quod pro tertio Furto, aut quod pro tribus Furtis quis suspendatur; si aliquis cõmiserit duo Furta extra territorium, & vnum in territorio; pro illo tertio furto est suspendendus. Quod tamẽ intellige si Fur de quo agitur, fuerit subditus ratione originis, vel domicilij, illi Iudici, in cuius territorio tertium furtum commisit. Si verò fur non fuerit subditus Iudici, tunc est distinguendum, & sunt põderãda verba Statuti. Aut enim Statutum dicit pro tribus Furtis; & tali casu nõ est suspendendus, quia reuera non potest dici cõmisisse tria Furta; ex quo illa duo fuerunt extra territorium commissa, pro quibus non potest hic puniri. Aut verò statutum dicit ꝓ tertio Furto, & hoc casu cum statutum puniat tertium furtum, & istud commissum in territorio, sit ꝓculdubio tertium, venit propterea suspẽdendus; & ita obseruatĩ ĩ practica. Rursus, si statutũ diceret quod famosus, vel publicus fur suspendatur, vtique illa furta extra territorium cõmissa aggrauarent: ita vt pro tertio in territorio cõmisso esset suspendendus. Nam ex interpretatione facta à consuetudine (vt dictum est) ille dicitur fur famosus qui tria furta commisit; & nulla fit distinctió, an cõsuetudo furãdi sit ĩ vno territorio an in pluribꝰ.

Quæro etiã.

Stante item statuto prædicto; licet quis pro duobus furtis factis, fuerit aliàs punitus; si tamen postea commiserit tertium furtum, pro ipso tertio est suspendendus. Illa enim duo prima, non computantur ad ea puniendum, sed

ad aggrauandum tertium furtum: & ita obſeruatur in hoc Ducatu. Pariter idẽ tenendum eſt, ſi pro duobꝰ primis furtis, fuerit reus per Gratiam Principis abſolutus.

Sed quid ſi.

Vnũ tamen. Eſt tamen valde notandum, quod in hoc propoſito, ad hoc vt dicantur eſſe tria Furta; debent eſſe diſtincta, non ſolum re, ſed etiam tempore.

Eſt igitur pœna. Pœna igitur Furum, in caſibus prædictis eſt; vt furca ſuſpendãtur; & ideo non debet eis caput amputari, ex quo hæc pœna propriè eſt contra ipſos à conſuetudine introducta.

Pœna autẽ. Pœna autem quadrupli, quæ à Iure communi impoſita erat pro furto, hoc ie non eſt in conſuetudine, ſed pœna corporalis tantũ. Et dato, quod adhuc vigeret; fur tamen in foro conſcientiæ non teneretur ad talem pœnam. Quia Fures in Foro conſcientiæ, ſolũmodo tenentur ad reſtitutionem rei furatæ.

Item contra. Contra Furem, pariter Iuratur in litem. Et ideo conſtito de furto; ſi non appareat de quantitate rerũ furatarum; neque ea facile probari poſſit, ſtatur in hoc iuramento illius, cui furtum factum eſt; & ita practicatur. Et in hoc propoſito, tunc dicitur non poſſe facile probari, quando res furatæ non extant.

Excuſatur. Excuſatur tamen Fur à pęna Furti; ſi probet, quod ille cui furatus eſt, erat eiꝰ debitor, & qd ab eo creditum ſuũ conſequi non poterat: licitũ.n. eſt ei, qui nõ poteſt à ſuo debitore pecuniam, vel rem aliquam cõſequi, ęquiualentẽ rem, ſeu quantitatem ei ſubripere.

Item excuſatur. Aut ſi probet, quod rẽ ipſam de cuius furto imputatur, accepit de voluntate dñi cuius erat. Furtum.n. non dicitur furtũ; niſi contrectetur res aliena inuito domino. Et tali caſu nõ ſufficit ad probandũ ſola proteſtatio domini, dicẽtis rẽ acceptã fuiſſe de ipſius voluntate; niſi cõcurrant aliæ coniecturæ, & veriſimilitudines; puta, quia eſſet eius cõſanguineus, vel amicus, vel eſſet ſolitus talia donare; vel qd res eſſet modici valoris; vel his ſimilia quæ relinquuntur arbitrio Iudicis.

Quandoque etiam. Aut ſi probet, furtũ feciſſe propter neceſsitatẽ: nã tpe extremæ neceſſitatis licitũ eſt furari.

Sed vidi. Et nota, quod licet is qui furatꝰ eſt tpe neceſſitatis, peruenerit

nerit postea ad pinguiorē fortunam, non tenetur restituere. Cū.n. factū fuerit Iure permittente, nō est vlterius de restitutione tractandum.

Posset etiā. Non aūt erit optima excusatio; si aliquis allegauerit furtū esse domesticū; & ideo nō debere puniri. Nā talis excusatio de consuetudine non admittitur, nisi in leuibus. Et ita fuit laqueo suspensus quidam famulus, cui dominus pecuniam tradiderat, vt alteri mutuaret, & ipse illam in vsus suos conuerterat: Et plures alij tam ancillæ, quā serui domestici. Quia non modo tales fures; sunt corporaliter citra mortem puniendi, vt pluries seruatū fuit in hoc ducatu; sed debent furcis suspendi tanquam grassatores, seu famosi fures.


Pariter. Neque etiam erit optima excusatio, allegantis rē furatam esse Modici valoris, & quod de re minima nō videtur curandum. Nā actio furti, datur etiam de re minima: puta, pro Gallina, vel pro ansere; imò etiā & pro ouo. Propter autem rei modicitatem solet aliquando pœna mitigari.

Sed hic incidenter. Emens rem furtiuam tenetur ad eius restitutionem, etiam nullo reddito pretio. Si tamen illām acquisiuit bona fide, tenetur si extet: Si autem bona fide consumpta est; tenetur solum, quatenus est factus locupletior.

Pro complemento. Circa materiam Furti commissi in Caupona, aut naui notandum est. Quod si hospites consignauerint eorum valisias Cauponibus, sicuti quotidie contingit, & ipsis hospitibus reddat valisia aperta, vel desigillata, statur iuramento hospitis contra Cauponas: & scias quod hoc casu, ad hoc vt sit locus Iuramento nō est necesse, quod hospes aperuerit Valisiam Cauponi, ita quod Caupo sciret quæ res essent in Valisia.

Non attingam. Si familia furtum fecerit, dominus familiæ soluendo pœnam pro vno, nō liberat alios si criminaliter agatur: maximè si pęna imponenda sit corporalis.

- **Furtum.**
  - **Cōmittitur.** Quando res aliena contrectatur fraudulenter inuito domino.
    - Manifestum.
      - Si cum furto fur deprehendatur.
      - Si fuerit visus furari.
    - Nō manifestū.
  - **Punitur.**
    - De Iure cōmuni.
      - Citra mortem.
    - De cōsuetudine.
      - Pro primo furto.
        - Si fuerit cum incendio. Aut in loco insigni: Licet exiguo.
          - Pęna furcarū.
        - Si non habuerit has qualitates; licet magno.
          - Citra mortem.
      - Pro tribus furtis distinctis; re, & Tempore.
        - Pœna furcarum.
    - Quod contra furem iuratur in litem, quo ad valorem constito, de furto.
  - **Excusatur.**
    - Si ille à quo furatur sit debitor furis.
    - Si rem fur acceperit de voluntate domini.
    - Si factum fuerit propter necessitatem extremam.
  - **Nō excusatur.**
    - Ex eo quod sit domesticum: nisi in leuibus.
      - Imò domestici sunt furcis suspendendi tanquam grassatores.
    - Ex eo, quod sit modici valoris.
      - Quia actio furti datur et pro re minima.
        - V. g. pro Gallina, & pro ouo.

§. HAERESIS.

Vers. 1. ICET aliqui dixerint, quod Hæreticus propriè dicitur in duobus casib⁹ tantum. Primo; quando sētit de Articulis Fidei aliter quam Romana Ecclesia. Secundò quando male sentit de Sacrāmentis Ecclesiæ. Tamen vltra prædicta, Hæreticus etiam verè dicendus est ille, qui habet peruersum dogma, vel gignit nouas opiniones falsas, aut veteres falsas, & ab Ecclesia damnatas sequitur: & ideo, si aliquis asserat simplicem fornicationem, aut Periurium, nō esse peccata mortalia iudicandus erit Hæreticus.

Ad hoc autem. Ad hoc autem vt aliquis dicatur hæreticus, requiritur Primò, quod sit baptizatus: nam Iudæi, Pagani, vel mahometani non sūt hæreticj. Deinde, quod scienter erret in fide Catholica, approbando falsa pro veris incerta ꝓ certis, vel è conuerso. Rursus, quod sit pertinax in sua opinione; alias nunquam dicitur hæreticus. Et sic nota, quod si quis habet fidē implicitam, quia scilicet credit illud, quod credit Sancta Mater Ecclesia; sed falso opinetur (motus ratione naturali) quod Pater sit maior, vel prior filio; vel quod in Trinitate tres personæ sint res à se inuicem distinctæ, non est hæreticus, neque pecat; dummodo hunc errorem suum non defendat, imo hoc ipsum credat, quia credit Ecclesiam sic credere; & suam opinionem fidei Ecclesiæ supponat. Dubius item in his quæ sunt fidei, tunc dicendus est hæreticus, quādo in tali dubitatione habuit firmitatem animi, & quandam pertinaciam propter quam perseuerat in illa dubitatione, alias sec⁹.

Qui metu mortis, vel tormentorum, vel ex alia causa, ore Christum negat, credit tamen corde; licet mortaliter & grauissimè peccet, tamen non iudicatur hæreticus: & solent tales reconciliari Ecclesiæ per Episcopum; & absolutionis, & reconciliationis literas ab eo impetrare. *Sed nunquid ille.*

Crimen hæresis est merè ecclesiasticum, & ideo *Hoc crimen.*

eius cognitio, ad solos Iudices Ecclesiasticos spectat; Eius autẽ punitio ad Iudices laicos.

Et scias ꝑ hoc. Qđ adeò verũ est, vt neq; etiã possit Iudex secularis, postq̃ ei tradit᾽ est à Iudice ecclesiastico reus de Hæresi condẽnatus, super ipso crimine aliquo modo cognoscere, neque pęnam à Iure impositam commutare. Bene autem potest, suspectos de Hæresi detineri facere, vt deinde eos tradat suo Iudici Ecclesiastico competenti: & ita obseruat Senatus.

Sed quis. Episcopus est Iudex ordinarius in causa Hæresis. Inquisitores autem hæreticæ prauitatis, sunt Iudices delegati. Et potest vterque eorum procedere simul, & diuisim; & licet vnusquisq; ipsorũ possit absoluere; condemnare tamen aliquem, non possunt nisi vterque interueniat.

Scias tamen. Et nota: quod licet Iudex ecclesiasticus de hoc crimine solus cognoscat; non tamen ipse condemnat ad pœnam ignis; sed tantummodo declarat reum esse Hæreticum, & remittit Iudici seculari puniendum: Et ita obseruat consuetudo.

Pęna Hæresis est; quod Hæreticus si nolit ad fidẽ ecclesię redire, de consuetudine igne comburitur. Si autem pęniteat, & paratus sit redire ad fidem Ecclesiæ, & abiurare suam Hæresim, tũc euitat pęnas de Iure hæreticis impositas, & ad perpetuos carceres est condemnandus. Quam tamen pęnam possunt dicti Iudices ecclesiastici in aliã commutare: Nisi talis Hæreticus esset relapsus; nam tunc etiamsi velit pęnitere, & ad fidẽ Ecclesiæ redire, omnino est igne cremandus. Est tamen notandum, quod quando hæreticus non relapsus, ante sententiam pęnitere & abiurare paratus est, non modo euitat pęnam mortis; sed etiam confiscationem bonorum; licet ipso Iure à die commissi delicti sit imposita. Quæ quidem pęnitentia quolibet tẽpore admittitur, & amplectitur ab Ecclesia, etiam post condẽnationem; nam Ecclesia, nulli gremiũ claudit, nisi his qui sunt in hæresim relapsi. *Sed quæro.* *Sed vsque.*

Et nota. Et nota, quod licet aliquãdo fuerit decisũ; quod si aliquis imputatus, & cõuictus de Hæresi, puta

quod

quod dixerit, seu tenuerit aliquod hæreticum, & contra fidem sanctæ Ecclesiæ, & paratus sit abiurare hæresim, & fateri illam opinionem esse hæreticam, & erroneam; nolit tamen cõfiteri, quod ita dixerit, sed dicat se semper credidisse, & credere, illud quod credit, & tenet Sancta Mater Ecclesia; talem non esse admittendum ad abiurationem, nisi fateatur se ita dixisse, prout conuictus est: imò si perseueret in negando, esse igne cremandum, tanquam impenitentem. Tamen quia hęc opinio videtur rigorosa; eo quia cũ iste non sit pertinax in errore, non videtur hæreticus, ideo remittenda est determinationi Sanctę Matris Ecclesiæ.

Idem etiã. Si hæreticus nollet facere emendam, ad quam esset condemnatus; puta, vt publicè incideret cum aliquo signo pęnitentiæ; si vna cum ipsa contumacia; concurrerent aliquæ aliæ coniecturæ, per quas appareret, illum adhuc non bene sentire de Ecclesia; tali casu ferè videtur dicendum, hunc tanquam verè relapsum esse flammis comburendum. *Vnũ tamen.* Isti autem impænitentes non statim debent relinqui Iudici seculari; non enim dicuntur relapsi; sed sunt monendi, & hortandi, non semel tantũ, sed pluries, vt ad fidem reuertãtur, & vbi pæniteãt, sunt ipsi quoque ad reconciliationem admittendi.

Bona condemnatorũ de crimine Hæresis, nedum sunt ipso Iure confiscata; sed ipse Hæreticus statim à die commissi criminis, amittit administrationẽ omnium bonorum suorum: Et si fuerit Clericus Beneficiatus applicantur de Iure Canonico illius bona Ecclesiæ, in qua est beneficiatus; & si non habuerit beneficium applicantur Fisco Ecclesiæ Cathedralis. Si vero fuerit laicus, ápplicantur Fisco seculari. Hoc autem Ius, plurimis in locis diuersimodè obseruatur. *Item bona.* Ex quo fit; vt in hac materia applicationis bonorũ Hæretici, omnino standũ sit peculiari consuetudini locorum & secundum illam Iudicare. In hoc ducatu seruatur, quod bona Hæreticorum diuiduntur ęquis portionibus; inter fiscum Ducalem, & Episcopum, & Inquisitorem; hoc tamen Stylo, quod liquidatio

tio bonorum fit per procuratores fisci Regij, & sic p magistratum extraordinarium: & ponuntur bona ad proclama, & omnia fiunt perinde, ac si in totum esset applicāda fisco Regio: & deinde facta liquidatione, datur vnicuiq; sua portio: & ita fieri debere declarauit Senatus, consentiente etiam Reuerendissimo Inquisitore.

Et scias quod licet. Nota; quod licet regulariter bona damnatorū, conseruentur filijs; nihilominus tamen bona Hęreticorum confiscantur, etiā existentibus filijs ipsorum Hæreticorum, catholicis, & orthodoxis.

Itē propter. Propter Hæresim similiter, separatur matrimoniū. Scias tamen; quod vxor, quę recessit à viro lapso in hæresim, siue ex Iudicio ecclesiæ siue non; si ipse reuertatur ad fidem, compellitur ad eum redire, nisi velit ingredi religionem: nā eo casu, si fuit separata Iudicio ecclesiæ, potest illam ingredi, nec tenetur ad virum redire.

Itē clericus. Si hæreticus fuerit clericus, priuatur omni officio & beneficio ecclesiastico; & amittit omnem ecclesiasticam potestatem. Filij verò hæreticorum, & eorum receptatorum si fuerint clerici (quicquid sit de Iure) pia consuetudine est obtentum, quod nec sint priuati ipso Iure, nec etiam per sententiam priuentur.

Quæro nunc. Pęnæ statutæ contra filios hæreticorum, non cōprehendunt filios natos antequam parētes labem hęreticam contraxissent, sed eos tantummodo, qui postea nati sunt.

Præterea. Plures aliæ pęnæ, & alia plura specialia, habet crimen hæresis. Nam Hæreticis non est seruāda fides à priuatis.

Vlterius. Pro Hæretico pariter; nec Aduocatus, nec Procurator potest præstare patrocinium; quando scilicet, constat illum esse hæreticum, & persistere in hæresi: secus autem si aduocatus vellet probare, quod ex processu non constat: aut quod est paratus redire ad Catholicam fidem. Solent tamen episcopi, & Inquisitores semper concedere veniam aduocatis in quibuscunque causis Hæreticorum, vt pro eis intercedant.

Habet etiā. In causis rursus Hæreticorum, sufficiunt minores probationes quā in alijs; ne-

nedum ad inquirendum, sed etiam ad faciendã plenam probationem Criminis.

Item de crimine. Cæterum, contra hęreticos defunctos potest etiã inquiri, & eorum memoria damnari; non solũ contra veros hæreticos; hoc est, eos qui per veras probationes de hæresi sunt cõuicti; sed etiam contra hæreticos præsumptos; illos scilicet, qui citati in causa fidei, fuerunt contumaces per annum, & deinde mortui sunt.

Item licet. Tandem, licet Papa non possit pro aliquo crimine accusari, potest tamen pro crimine hæresis accusari, & condemnari.

Quæro an occultus. Occultus hæreticus; ille scilicet, qui solum corde deuiat à fide Catholica; non tamen verbo, scripto, aut facto aliquod signum hæresis ostendit; non incidit in pęnam excommunicationis, neque in alias pęnas à Iure hæreticis impositas. Ratio est, quia ecclesia nõ iudicat de occultis.

Sed hic incidenter. Omnia facta, quæ de sui natura, prçseferũt aliquid, qđ est manifesta hæresis; dicũtur sapere manifestã hæresim: verbi gratia, baptizare imagines, rebaptizare pueros, & his similia.

Successiuè. In inuocatione autem dæmonum, distinguendũ est: Nam, aut fit vt quis sciat futura: Et hoc sapit hæresim manifestam; quia tribuit Diabolo id quod est proprium Dei; scilicet ventura præscire. Aut fit ad alium finem; verbi gratia, ad tentandam pudicitiam mulieris, & alia huiusmodi; & non sapit hęresim, quia aduocatur Diabolus ad id, quod ei maximè conuenit, cum sit tentator animarum. Et nota, quod hoc secundo casu Iurisdictio non spectat ad Inquisitores; sed ad ordinarium, qui in hoc crimine potest esse, tam secularis quã ecclesiasticus: nam crimẽ hoc dicitur sortilegij, & est cõmunis fori, & sic vterque Iudex potest procedere.

Pęna autem, huiusmodi criminis sortilegij diuinationis, maleficiorum, & incantationum, licet de Iure sit vltimi supplicij, & confiscationis bonorũ; de consuetudine tamen non seruatur, sed aliquando imponit pœna fustigationis. Aliquando tales ducuntur in publicum cum mitra depicta in capite; & postea eijciuntur.

§. HO-

Hęresis crimé.

- Cõmittitur.
  - Quando quis sentit de articulis fidei aliter quam Rom. Eccle.
  - Quando malè sentit de Sacramentis Ecclesiæ.
  - Quando gignit nouas opiniones falsas, aut sequitur veteres falsas.
- Nõ cõmititur.
  - Ab habente fidem implicitam. — Nisi errorem suum defendat.
  - A dubio in fide. — Nisi in dubitatione perseuerauerit.
  - Ab eo qui metu mortis, ore Christum negat; non tamen corde. — Peccat tamen grauissimè.
  - Ab aliquo nisi fuerit.
    - Baptizatus.
    - Scienter errans.
    - Pertinax.
- Proponit.
  - Contra Papam.
  - Contra defunctum.
  - Minoribus probationibus, & eis remanet probatum.
- Iudicat.
  - Quando est cum sortilegio. — Ab vtroq; Iudice: est. n. mixti fori.
  - Quando est merũ crimen Hæresis.
    - Quo ad cognitionem causæ. — A solo Iudice Ecclesiastico.
      - Ab Episcopo tanquam ordinario.
      - Ab Inquisitore tãquam delegato.
    - Quo ad impositionem pœnæ. — A Iudice seculari.
- Punitur.
  - Quando est sortilegium. — Citra mortem.
  - Quando reus est mere Hæreticus.
    - Relapsus.
      - Pœna mortis, ita quod igne comburitur.
      - Pœna confiscationis bonorum, quæ applicatur iuxta consuetudinem loci.
    - Non relapsus. — Si pœniteat, & abiuret suam Hæresim, euitat eius pœnas; & condemnatur ad perpetuos carceres.
  - Pœna separationis matrimonij.
  - Pęna, quod Hæreticis non est seruanda fides à priuatis.
  - Pęna, quod pro Hæretico nec Aduocatus, nec Procurator patrocinatur. — Solent tamen episcopi, & inquisitores concedere veniam patrocinandi.

§. HO-



§. HOMICIDIVM.

Verſ.1. MNE Homicidium; aut eſt ſimplex, aut deliberatum; ad quas duas reduci poſſunt, omnes aliç ſpecies Homicidij. Simplex homicidiũ eſt illud, quod cõmittitur ſine qualitate animi deliberati. Deliberatum autem; quod cõmittitur ex propoſito, cũ illa qualitate animi deliberati. Homicidium ſimplex committitur quatuor modis; ſcilicet, neceſsitate, caſu, Culpa, Dolo.

Neceſsitate dicitur cõmitti Homicidium; quando quis ad ſuam neceſſariã defenſionem alium interficit.

Caſu autẽ. Caſu; quando quis aliũ occidit ſine Culpa, aliud facere cogitans: verbi gratia, cum quis ludendo ad iaciendum palum in loco ſolito, hominẽ interfecit.

Culpa dicitur. Culpa; quando non doloſè, neque animo occidẽdi, ſed inaduertenter, aliquis alium interficit. *Nota verò, ex ſententia Auctoris, quod interpretãdus eſt hoc in loco Juli⁹ Clar⁹: hoc eſt, vt verbũ inaduertenter, intelligatur nõ ſic ſimpliciter ſumptũ: ſed inaduertẽter; ideſt, cum aduertere deberet. Delictum enim, aut culpa, non oritur ſimpliciter ex mera inaduertentia; ſed ex inaduertentia cum obligatione aduertendi.* Hoc igitur homicidium, licet ſine dolo commiſſum, poteſt puniri criminaliter; non quidẽ pœna ordinaria homicidij, ſed extraordinaria pro modo culpæ; Aliquãdo pecuniaria; Aliquãdo exilij; Aliquando triremium ad Tempus.

Semper ergo punitur mitius, homicidium commiſſum ſine dolo, & ſine animo occidendi; quam illud quod committitur dolo. Adeò quod ſtante ſtatuto, quod homicida decapitetur, intelligendum ſemper eſt, quãdo homicidium eſt dolo commiſſum, nõ quando culpa.

Ad hoc autem vt homicidiũ culpoſum poſſit criminaliter puniri; requiri-

tur quod culpa ſit lata: Quia iſta aut æquiparatur dolo; aut ſaltem eſt valde proxima dolo. Si vero culpa fuerit leuis, aut leuiſsima; tunc non debet criminaliter puniri; talis enim culpa æquiparatur caſui; & ſic dicitur potius homicidium caſuale, quam culpoſum.

Inter varia, & infinita ferè exempla, Homicidij ex culpa commiſsi, poni poſſunt; verbi gratia, ſi quis verſus turbam hominum proijciat lapidem, ex quo hominem interfecerit; certum enim eſt, quod nō adfuit dolus in illo homine interficiendo, ſed tantum culpa in proijciendo lapidem: & ideo non erit puniendus pœna ordinaria, ſed tantum extraordinaria. Aut ſi quis Architectus, qui aſcenderit machinam, & eam non ligauit ſufficienter, & tota machina cecidit ſuper caput exiſtentis ſub ea, & occidit eum. Aut poteſt poni exemplum in eo, qui culpa ſua cauſam dat Homicidio; Verbi gratia, in portitore qui noluit in portum recipere currus onuſtos, vt eos transfretaret, & dum ipſorum curruum vectores per aquas tranſirent; vnus eorum ſubmerſus fuit.

Dicitur etiã

Dicitur etiam culpoſum Homicidiũ; quando quis citra animum occidendi alium percuſſit, ex qua tamen percuſſione ille mortuus eſt: cuius rei vt plurimum ſolet ſumi coniectura, ex genere armorum, vel inſtrumenti, cum quo fuit illata percuſſio: puta, ſi cũ baculo, prout contigit in illa muliere, quæ percuſſit baculo ſuper Capite ancillam, quam credebat eſſe ex viro ſuo prægnantem, ex qua percuſſione iſta deceſſit, & illa fuit deportata per ſeptennium in inſulam. Aut ſi cum pugno, ēt armato. Aut cũ mãnaria. Aut cum ligone. Aut calce. Aut ſi qs habēs enſem, percutiat cũ pomo enſis; nō autē cum ipſo enſe, punctim, nec cæſim. Aut ſi habens roncam percutiat cum haſta; certum eſt quod iſti nō dicuntur habere animum occidendi. Et multo magis dicendum eſt, ſi quis nō animo percutiendi, aliũ percutiat, ex qua percuſſione mors deinde ſequatur; verbi gratia, ſi quis volens ſe defendere à Cane, proiecit lapidem aduerſus Canem, & hominem tranſeun-

feuntem occidit.

Dicũt etiam. Si aliquis autem volens occidere Titium, occiderit Sempronium; non homicidium culposum, sed potius dolo commissum dicendum est; Et sic talis Homicida erit puniendus pę na ordinaria homicidij; nõ autem extraordinaria. Est tamen notandum quod ex eo, quod respectu Sempronij occisi, cessat qualitas animi deliberati; casus esset gratiabilis habita legitima partis remissione. Et ita in simili casu fuit decisum à Senatu; quod licet factus fuerit insultus contra aliquem animo deliberato illum occidendi, & alius superueniat ad rixam, & occidatur; iste dicitur occisus in rixa, & nõ animo deliberato; & ideò Homicida est admittẽdus ad Beneficium decreti gratiosi.

Dolosum. Dolo autẽ dicitur committi homicidium; quãdo quis animo aliquem occidendi, illum interficit. Huiusmodi tamen homicidiũ dicitur simplex; quando hæc deliberatio illum occidendi, non ex interuallo præcessit; sed vel in rixa, vel calore iracundię superuenit.

Deliberatũ. Homicidium deliberatum, committitur etiam quatuor modis. Primò, ex proposito absque alia qualitate. Secundò ex insidijs. Tertiò proditorie. Quartò per Assasinium.

Ex proposito. Ex proposito igitur, cõmitti dicitur homicidium, quãdo quis aggreditur alium, præuia animi deliberatione, ex interuallo pręcedente, & illum interficit. Dicitur ex interuallo; quia si aliquis obuium habuerit casualiter inimicum suum, & ira commotus illum interfecerit, non dicitur homicidiũ animo deliberato commisisse; nisi appareat, quod antea deliberasset illum interficere; & ambulasset armatus animo illum occidendi: tunc enim etiam quod illũ casu obuium habuerit, & occiderit, dicitur animo deliberato illum occidisse: & ita obseruatur in Senatu. Quæ quidem nota; quia hoc, quando scilicet dicatur Homicidium commissum animo deliberato, vel non; est valde vtile scire in hoc Ducatu; in quo, non solent Principes concedere gratiam Homicidiorum animo deliberato commissorum. Item, quia Homi-

cidæ animo deliberato nō ſunt tuti immunitate eccleſiæ.

Animus aūt Animus deliberatus, cū ſit quid intrinſecum, (quorum ſolus Deus eſt ſcrutator) non poteſt colligi niſi per coniecturas; verbi gratia, ſi præcedant inimicitiæ, minæ, tractatus (qui quidem præſumūtur quando committitur homicidium, cum multitudine perſonarum; niſi ex accidenti, ſeu caſu, tales perſonæ ſuperuenerint) & his ſimilia. Circa tamen has coniecturas, diligenter eſt animaduertendum; quod aliud eſt præſumere animū occidendi, aliud præſumere animum deliberatum. Animus enim deliberatus ex nullis coniecturis argui poteſt; niſi ſolummodo ex ijs, ex quibus veriſimiliter colligitur premeditatio ex interuallo, homicidij committendi. Et ideo, licet veriſsimum ſit, quod ex loco corporis, in quo facta eſt percuſſio, vel illatum vulnus; Aut ex genere armorum; Aut ex multitudine vulnerum, & his ſimilia; preſumatur animus occidēdi; non tamen præſumitur deliberatus. Hinc eſt, quod etiam ſi quis poſt acceptā iniuriam; ſtatim cōgreget multitudinem ſociorū armatorum, & reuerſus interficiat eum, qui ſibi iniuriam intulit, illum multis vulneribus confodiendo: certè ex quo durabat calor iracundiæ, non dicetur homicidium animo deliberato commiſiſſe, ſed in rixa: Et ita pluries per Senatum deciſum fuit. Quando autem ſedato calore, & (vt vulgo dicitur in Hiſpania) *á ſangre fria*, poſt acceptam iniuriam, quis aliū interficit, tunc recurritur ad coniecturas; quæ quidē ſunt præparatio armorum, congregatio ſociorum, & alia huiuſmodi; ex quibus veriſimiliter colligitur, qđ antea ex interuallo cogitatum, & deliberatum fuit, homicidium illud committere.

Secundò; ex inſidijs dicitur Homicidium cōmitti, quādo aliquis expectat alium, poſitus in loco, qui ab illo veriſimiliter præuideri non poterat, animo eum occidendi, illumque ex improuiſo venientem aggreditur, & interficit. Quod quidem pariter vtiliſsimū eſt ſcire; quia interficiēs aliquem ex inſidijs, ſi confugiat ad eccleſiam, *Ex inſidijs.*

non

non gaudet eius immunitate.

Proditorie. Tertio; Proditoriè dicitur committi homicidiũ, quando aliquis nulla præcedente inimicitia, aliũ interficit: puta, quia veniens tecum, tanquam socius itineris nulla interueniente rixa te percutio: Vel dum sederes mecum in mensa; vel si, cum me tibi amicum esse fingerẽ, te à tergo percutio: nam his casibus, dicor te proditorie interfecisse. Quod etiam oportet scire; nã in homicidio proditorio omnes conueniũt, quod licet homicida fugiat ad Ecclesiam, non gaudet eius immunitate.

Per assassinium. Quartò, Per Assasinium committitur homicium, quando fit mediante pecunia.

Pluribus. Pluribus autem Formis, potest committi homicidium. Aut quando quis proprijs manibus, alium interficit. Aut quando mandat alteri, vt homicidium committat: quo casu, tenetur de homicidio propter mandatum, perinde ac si ipse interfecisset. Aut quando dat auxilium, aut consilium alteri, ad homicidium committẽdum. Aut quando quis se ipsum interficit, aut vult interficere, quo casu punitur pariter de Homicidio. Aut quando dat alicui aliquid mortiferum ad comedendum, vel bibendũ. Aut quã do datur alicui poculum amatorium, ex quo illud accipiens moriatur. Aut quã do quis, falsum testimoniũ dicit, ad offensam contra alterum. Aut quando quis mittit aliquem per viam, in qua sciebat esse eius inimicos, vt occideretur: & ita obseruauit Senatus. Aut quando facit scienter, aut dat venenum malum, ad aliquem occidendum: si enim ex tali veneno sequatur mors; procul dubio illlud dans, est pœna capitis puniẽdus: & ita iudicauit Senatus. Si verò non sequatur mors, punietur pœna extraordinaria: & ita practicauit Senatus in quodam, qui pro veneno propinato fuit trãsmissus ad triremes per decennium. *Punitur etiã* Aut quando Iudex, innocentẽ ad mortem condemnauit: si enim id fecerit pecunia corruptus, vel ira commotus; punitur pœna capitis, vt homicida. *Item Iudex.* Aut quando dedit operã, vt accusatus, vel inquisit⁹, aliquid falso confiteretur,

per

per quod innocens postea damnaretur ad mortem. Aut quando indebitè posuit aliquem ad torturam: vel adeò modum excessit in torquendo, vt mortuus sit; punitur pœna capitis, vt Homicida. Aut quando medicus malum medicamentum scienter adhibet eo animo, vt infirmus moriatur, tenetur vt Homicida. Si verò propter imperitiam, vel culpam, infirmo præbet causam moriendi, punitur pœna extraordinaria; & tenetur ad damna & interesse.

Itē medicus.

Sed quæro.

Pœna ordinaria Homicidij, hodie est pœna mortis: tam in nobili, committēte homicidium, quam in plebeio. Adeò quod, etiam si extaret Statutum, vel cōsuetudo, vt pro homicidio imponeretur pęna pecuniaria, tale statutum aut consuetudo, nullius essent momenti, & sic non obseruāda. Sed posito quod valerent: licet Perusij extet statutum, quod si forensis ibi occidatur, puniatur Homicida pœna pecuniaria; Adhuc tamen tali casu, si Perusinus alibi occidatur, punietur occisor pœna mortis: & ita teneas.

Sed nūquid.

De Iure aūt

De Iure autem Canonico, laicus pro Homicidio excommunicatur; Clericus deponitur, & priuatur beneficijs: non quod sit priuatus ipso Iure, sed venit per sententiam priuandus. Vltra pœnam supradictā; priuatur etiam homicida, successione eius quem interfecit, quando ex testamento, vel ab intestato, talis successio ad eum pertineret: non quod ab ea excludatur, tanquam incapax; sed quia admittitur ad ipsam hæreditatem; & deinde fiscus illam aufert tanquam ab indigno: etiā si extent filij homicidę, ipsis enim etiam pręfertur Fiscus.

Priuatur ēt.

Sed quid si.

Si autem maritus vxorē interfecerit, lucrū dotis, non transit ad fiscum, sed ad hæredes ipsius vxoris.

Et hæc conclusio.

Et nota, quod hoc idē dicendum est, etiam si maritus occidat vxorem, Iure, vel consuetudine permittente; puta, propter Adulterium; nam neque eo casu lucratur dotem, iuxta formam statuti, vel pacti.

Tenetur ēt.

Deinde, tenetur etiam Homicida ad interesse animæ occisi; scilicet, ad dandum, vt pro ea fiant orationes, ieiunia, eleemosynæ,

synæ, & huiusmodi; secundum facultates ipsius homicidæ: & denique ad soluendum damna, expensas, & interesse parti læsæ.

Excusatur autem. Excusatur Homicida pluribus ex causis. Primò, si probet, quod commisit homicidium, ad sui necessariam defensionẽ. Est enim indubitata Iuris Conclusio; quod Homicidium factum ad sui defensionẽ nõ est punibile; cum licitum sit vnicuique, vim vi repellere. Quæ quidem conclusio procedit etiam in foro conscientiæ, & est apud Theologos receptissima.

Hæc autem. Ampliatur dicta conclusio, vt locum habeat, non solum pro defensione vitæ, & corporis sui, sed etiam pro defensione rerum suarum. Et ratio est; quia bona, & res; vitæ æquiparãtur. De Iure autem Canonico non est omnino recepta hæc ampliatio; eo .n. Iure non licet furem interficere pro rebus tãtum seruandis: nisi cum aliquibus conditionibus, quæ infra positę sunt.

Idemque. Ampliatur rursus dicta conclusio; Adeo quòd liceat alicui alterum interficere, pro defensione proprij Honoris: nam periculum famæ æquiparatur periculo vitæ. Et ideo si immineat periculum alicuius iniuriæ personalis, poterit quis licite aggressorem interficere.

Ampliatur deinde, vt habeat locum, non solum pro defensione proprij corporis; sed etiam pro defensione eorum, qui sunt sanguine coniuncti; Imò etiã pro defensione alterius extranei. *Item locum.*

Quę omnia procedunt; etiam si ille qui me vult offendere sit clericus: aut alia persona in dignitate posita: nam & ipsa potest à me impunè occidi, pro mea defensione, & propinquorum meorum; imò etiã & extraneorũ. Et nota in hoc proposito; quod ille qui percutit clericũ se defendendo, non incidit in excommunicationem; etiã si in defendendo modum excedat, dummodo id ex proposito non faciat. *Præterea ẽt.*

Nota pariter, quod non solum licet insultato, occidere ipsum insultantem; sed etiam alium non offendentem, si ab insultante se aliter defendere non poterat, nisi istum interficeret. Quinimò, quocunque modo ego me defendẽdo per *Adde quod.*

cutio,& occido alium, nō debeo puniri pœna homicidij; quia videor dare operam rei licitæ: & ita fuit decisum per Senatum.

Atque adeo. Adeò vera est, conclusio supradicta: quod etiam si insultatus, posset se fugiendo saluare; potest nihilominus ipsum insultantem impune interficere. Insultatus enim ab aliquo non tenetur fugere, ēt qđ posset sine periculo illud facere; qđ ꝓcedit indistinctè; id est, siue insultatus sit persona cui esset dedecori fugere, siue non: siue sit aggressus ab æquali, siue ab inæquali.

Sed quomodo. Nota etiam, & tene menti; quod ad hoc vt dicatur constare, quod fecit ad sui necessariam defensionem: non est necesse vt probetur ĩ specie, ista necessitas defensionis; sed sufficit quod reus probet simpliciter, quòd fecit ad sui defensionem. Hinc est; quod ad probandum aliquē fuisse in periculo vitæ, sufficit probare, quod eius aduersarius veniebat armat⁹ cōtra ipsum. Non enim tenetur quis expectare, quod prius ab alio percutiatur, vel offendatur: sed si ille sibi mortem minetur: hoc est, non verbis tantum, sed facto: scilicet, quia cū effectu contra ipsum venit; potest ipse statim illum percutere. Est enim iusta causa timoris, quod veniat animo percutiendi, etiamsi non expectetur percussio.

Scias tamē. Est autem animaduertēdum; quod talis defensio, propter quam quis iuxta prædicta, excusatur ab Homicidio, debet esse facta cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quod quidem moderamen circa tria cōsistit: scilicet, modum, tēpus, & causam. Si enim Aggressus excedat modū in se defendendo, vtique erit puniendus: non pœna ordinaria homicidij; sed solum de excessu; pœna extraordinaria, & mitiori arbitrio Iudicis. Et hoc non solum quando excessisset modum ex culpa, sed etiā si excessisset modū ex dolo. Hinc infertur, quod si aliquis insultet me cum baculo, non licet mihi illum percutere cum gladio; si aliter me defendere poteram. Hinc etiam infertur, quod si post sedatam rixā, vulneratus ex interuallo insultum faciat in vulnerantem, non videtur id fecisse causa defensionis sed vin-

dictæ. Sed in omnem casum, occidens aggressorem se defendēdo, nunquā tenetur de occiso. Sed debet mitius quam Capitali pœna puniri.

Sed hic occurrit. Si reus in suo examine negauerit se Titiū occidisse: deinde habita Copia ꝓcessus, videns se de ipso homicidio conuictum esse, velit probare, quod illum interfecit ad sui defensionē; erit vtique admittendus ad talē probationē. Quia reus non prohibetur proponere diuersas, & etiam contrarias exceptiones.

Potest etiā. Excusat etiā Homicida; si probet illum qui ab ipso interfectus est, fuisse in insidijs positum, & ipsum expectasse, vt interficeret: nā licitum est tales insidiatores præuenire, & eos interficere. Quod tamen intellige vt procedat, dummodo ex huiusmodi insidijs tale periculū, & adeo præsens immineret, vt non satis tuto vitari posset, nisi insidiator occideretur: sed si, aut ipse insidiator cōprehendi, aut vitari potuisset; tali casu non erit homicida, ab aliqua pœna extraordinaria excusand⁹.

Alia etiam est. Excusantur item rei alia defensione; quæ oritur ex incertitudine eius, qui Homicidium perpetrauit: quādo scilicet, aliquis à pluribus est interfectus, & ignoratur quis eorum illum vulnerauerit. Aut quādo sunt plura vulnera lęthalia; & ignoratur ex quo vulnere mortuus sit. Quæ quidē omnia bene nota; quia quotidie contingunt in practica: ad cuius claram intelligentiam, & veram resolutionem; distingue, & fac tres casus.

Primus est, quando Homicidium est deliberatū, & ex proposito: & tunc absolutè facienda est conclusio, quod omnes qui in ipso homicidio interuenerunt, tenentur pœna ordinaria homicidij, & tanquam Homicidæ sunt condemnandi; siue defunctus ex vno tantum vulnere, siue ex pluribus decesserit; siue vnum tantum vulnus esset lęthale, cætera verò non lęthalia: & siue appareat quod omnes vulnerauerint, siue appareat non omnes vulnerasse; siue sit dubium, quinam vulnerauerint, vel ne. Ratio huius conclusionis est; quia non potest negari, quod etiam illi qui non occiderunt, præstiterunt auxilium occiden-

cidentibus: ex quo resultat alia Iuris indubitata cõclusio, quod præstans auxilium ei, qui committit homicidium animo deliberato debet puniri pœna mortis. Animaduertendum tamẽ est; quod appareat certe, vel præsumptiuè, quod omnes fuerint conscij ipsius homicidij committẽdi: potest enim esse, quod idem homicidium respectu vnius dicatur commissum animo deliberato; & respectu alterius dicatur commissum ex improuiso: verbi gratia, si quis sciens inimicum suum alicubi esse, & deliberans eo accedere ad illum interficiendũ, conuocet amicos suos prætextu, quod vellet ire deambulatum per Ciuitatẽ, & deinde illos (nihil tale cogitantes) conducat ad illum locum, & inimicũ suũ interficiat; tali enim casu, tutius erit quod illi, qui tale auxilium præstiterunt, torqueantur super sciẽtia; & vbi negauerint, condemnentur in pœnam extraordinariam pecuniariã, vbi vero constabit de scientia, oẽs sunt capite puniendi.

Secundus casus est, quãdo liquidò non apparet, homicidium fuisse animo deliberato patratum; sed bene adsunt aliquæ suspiciones; & tunc stante dicta incertitudine, pariter sunt omnes torquendi, super illa qualitate animi deliberati, & vbi nihil fateantur, debent omnes de ipso, tanquam simplici homicidio, in pœnam extraordinariam condemnari, ratione incertitudinis.

Tertius autẽ casus est; quando certo apparet, homicidium ipsum, ex improuiso, & in rixa commissũ fuisse: & tunc similiter est distinguendum: Quia multis etiã modis, potest hæc incertitudo considerari. Aut enim vnicum vulnus est illatum, ex quo vulneratus decessit, & ignoratur quis ex pluribus illud intulerit; & tũc oẽs puniunt de occiso; nõ tñ pœna ordinaria homicidij, sed tantum pœna extraordinaria arbitrio Iudicis imponenda. Bene verum est, quod in isto casu si appareat quis fuerit principalis auctor, siue incœptor rixæ; ex eo qđ cõtra eũ insurgit ex hoc, adeo valida iuris præsumptio, vt ipse solus habeatur pro Homicida, videtur qđ secundum Iuris rigorem posset forte ipse talis capi-

te

te puniri: talis autẽ rigor in Senatu Mediolani non seruatur. Rarò enim propter homicidium in rixa commissum, condemnatur aliquis ad pœnam mortis.

Sed hic incidenter. Et nota, quod in casu supradicto, ex quo vnicum est vulnus, & non apparet quis ex pluribus illud intulerit, & consequenter quis fuerit Homicida: est formãda inquisitio contra omnes æqualiter de Homicidio narrando factum, & dicendo, quod vnus eorũ vulnerauit, & alij auxiliũ præstiterunt, neminem nominando pro Homicida: & si fuerint contumaces, omnes condemnantur in contumaciam in pœnam Homicidij: & ita faciendum esse declarauit Senatus. Si vero compareant; tunc vel omnes torquentur, vel cõdemnantur pœna pecuniaria, vt dictum est.

Aut vero plura. Aut vero sunt plura vulnera illata; & certi sunt vulneratores, & certa etiã vulnera à singulis ipsorum illata; sed ignoratur ex quo vulnere in specie mortuus sit: & tunc, aut omnia vulnera erant lęthalia; & tali casu proculdubio omnes tenentur de occiso. Aut vnum, vel plura erant lęthalia, & aliqua non læthalia; Et tunc illi tantum qui intulerunt lęthalia, tenentur de occiso, alij vero de vulneribus tantum, pœna ordinaria vulnerũ; & pęna pecuniaria Iudicis Arbitrio, pro Auxilio ad homicidium. Aut tandem sunt certi Vulneratores, sed ignoratur quæ vulnera à singulis eorum illata fuerint: & tunc, aut omnia vulnera erant lęthalia, & omnes tenentur de occiso, vt dictũ est; Aut erat vnum tantum vulnus lęthale, & alia non lęthalia; & hoc casu, omnes quidem de occiso tenẽtur, non tamen sunt puniẽdi pœna ordinaria, sed tantum extra ordinem, Arbitrio Iudicis.

Quandoque etiam. Excusantur etiam quandoque, qui de Homicidio sunt imputati, dicendo; quod vulneratus non ex ipso vulnere, sed ex alia causa decessit: & vt habeas in hoc articulo perfectam resolutionem debes distinguere tres casus. Primus; quando certum est, vulnus illatum fuisse mortale; & tunc si mors superueniat, proculdubio vulnerans tenetur de occiso, & puniendus est pœna ordinaria homicidij. Secundus quando

certum est, quod vulnus non erat mortale; & tunc ex quo constat, vulneratū mortuum fuisse ex alia causa, quam ex ipso vulnere, non tenetur vulnerans de occiso. Tertius casus est, quando sumus in dubio, an vulnus esset lęthale vel nō: & tunc, Aut nō apparet, de aliqua negligentia, seu culpa vulnerati, & eo casu, ex euentu secuto præsumitur decessisse ex vulnere, & punitur vulnerās de Homicidio. Aut apparet de aliqua negligētia seu culpa prout adfuit in quodā rustico, qui in capite vulneratus, iuit ad laborandum cum bobus ad solem: & tūc vulnerans non tenetur de occiso, sicque non debet puniri pœna ordinaria homicidij, sed alia pœna extra ordinem: & ita obseruatur in hoc Ducatu.

Scias autem. Licet aūt regulariter, quo ad hoc, an Vulnus fuerit lęthale vel ne, & an vulneratus decesserit ex vulnere, an ex suo malo regimine stetur Iudicio medicorum, & peritorum, etiāsi non sint doctores; qui tenentur iurare de credulitate, & Iudicio suo, non autē pręcisè de veritate. Tamen in hac Prouincia non seruatur; quod ita absolutè stetur iudicio peritorū: quinimò multoties, nulla fides adhibetur huiusmodi peritis; præsertim deponētibus ad defensā, quod vulnus non erat lęthale, vel quod vulneratus decesserat ex malo regimine; quia solent id de facili deponere; tum vt faueant inquisitis; tum vt ipsi effugiant culpam malæ curationis; cum etiam fraudulenter corrupti pecunia. Propterea tutius est dicere, quod in hoc standū sit Arbitrio Iudicis; qui considerata qualitate, & loco vulneris, & relatione medicorū; illa præsertim quæ fieri solet, quando denunciant vulnera illata, ex debito eorum officij; considerata etiam longitudine temporis, quo vulneratus superuixit post vulnus illatum, & alijs probationib[9]; æstimabit an ex ipso vulnere, an alia causa decesserit.

Cæterùm si vulneratus post illatum vulnus, processit de malo in peius, & intra breue spatium mortuus est: eo casu, præsumitur mortuus ex vulnere; & vulnerans tenetur de occiso. Longum tempus in hoc proposito, solet dici quadra- *Cæterum.*

dra-

draginta dierum. Similiter si vulneratus post illatum vulnus ambulauit per triduum, licet postea moriatur, non præsumitur ex vulnere decessisse.

Sed pone. Si fuerit contra aliquem lata sententia in pœnam Homicidij, ex relatione peritorum, qui dicũt vulnus fuisse mortale; & ipse velit probare contrarium: Licet de Iure quolibet tẽpore veniat admittendus. Et ratio est, quia sententię latę ex consilio peritorum, nunquam transeunt in Iudicatum: & ideo possunt quandocũque retractari, ex consilio aliorum magis peritorum. Attamen (quicquid sit de Iure) in hoc Ducatu non admittetur post condemnationem, & sententiam latam. Ratio est; quia aduersus sententiam latam in causa criminali, omne remedium à constitutionibus est sublatum. Admittetur tamen reus ad hoc probandum ante sententiam; non obstante relatione iam facta, per huiusmodi peritos; siue ita retulissent ex necessitate officij (prout tenentur ex forma statutorum, vel cõsuetudinis q̃ viget in multis Ciuitatibus) siue etiam ita retulerint ex Iussu Iudicis, qui illos miserit ex officio ad inspicienda vulnera. Et nota, quod neq; in hoc ducatu seruat̃ quod mittantur Periti ad inspicienda vulnera ad instãtiã imputati, nisi ipso reo constituto in carceribus; & tali casu fit electio peritorum à Iudice citato fisco, ac parte offensa, & cum magna causæ cognitione; ad hoc ne destruatur intentio fisci, & delinquens impunitus euadat.

Sed quid si reus. Si autem reus probet, quod vulneratus non decessit ex vulnere per eum illato; quia scilicet alius superuenit, qui illum alio vulnere in totum exanimauit. Tunc animaduertendum est; quod, Aut iste secundus illum prius vulneratum, interemit de mandato, aut voluntate primi vulnerantis; & tali casu vterque est puniendus pœna ordinaria Homicidij. Aut non interuenit, illius mandatum neque voluntas: & tunc distingue iterum. Aut enim primum vulnus nõ erat lęthale; vel licet esset lęthale, non erat tale, vt esset omnino certũ quod vulneratus fuisset ex eo periturus; & eo casu,

pri-

primus tenetur tantum de vulnerato, secundus autē de occiso. Aut verò erat indubitatum, quod ex primo vulnere euadere non poterat, & tunc (non obstante secundo) etiam primus vulnerans tenetur de occiso.

Vltima est. Excusatur vltimo Reus alia defensione; proponendo scilicet, quod sibi licitum fuit, impunè, & Iure permittente, illum quem occidit interficere; cuius rei tria possunt afferri exēpla; scilicet, in Fure, in Adultero, & in Bannito; qui quidem omnes videntur impunè occidi posse.

Imprimis igitur in fure distinguendum est, inter furem nocturnum, & diurnum. In Fure nocturno, hęc est facienda conclusio: Quod licet impunè illum occidere, cum infrascriptis tamen quatuor requisitis, & non aliàs. Primò, quod istud fiat ab occisore pro defensione sui ipsius, vel rerum suarum; aliàs nō potest quis occidere furē, si recedat sine rebus suis. Secundò requiritur, quod volens occidere furem nocturnum, clamet. Tertiò, quod eum non recognouerit, neque habeat testes qui potuerint illum recognoscere, & contra eum deponere de furto. Quartò tandem requiritur, quod eum capere non potuerit.

In diurno autem fure, similiter est facienda alia cōclusio; quod liceat illum interficere si telo se defendat. Quod intellige vt procedat, quando quis dubitat, an venerit ad furandum, vel ad occidendum; neque potuit ei parcere absque proprię vitę periculo; hoc enim casu, vtiquè potest illum impunè interficere. Aut quando reperitur à domino exportare res suas, & cum illis aufugere, neque aliter poterāt recuperari; qa scilicet nolebat eas restituere, & telo resistebat.

In adultero pariter, est hæc conclusio facienda: quod licitum sit patri impunè occidere adulterum deprehensum cum filia in Adulterio; concurrentibus tñ his omnibus quinque requisitis; & nō aliàs. *Dixi etiam.*

Primò, quod Pater eodē impetu occidat etiā filiā. Secundò, quod filia sit in ipsius patris potestate. Tertiò, quod illū occidat in domo sua, vel generi nō autem alibi. Quartò, quod

filia

filia ſit nupta. Quintò, & vltimo, quod illum deprehendat in ipſa turpitudine. Quæ quidem omnia locum habent, etiam ſi talis adulter ſit clericus: poteſt enim pater illũ ita deprehenſum, citra excõmunicationem percutere. Procedunt item ſupradicta, etiam ſi talis Adulter fuerit, Iudex, vel Magiſtratus. Et ideo caueant officiales à Thoris alienis, ne aliquid tale eis contingat.

Sed quid dicendum. Maritus etiam poteſt adulterum, cum propria vxore deprehenſum interficere; ſi Adulter ſit vilis perſona, & fuerit deprehenſus in domo propria, non tamen alibi. Si verò adulter non ſit vilis perſona, non licet illum impunè occidere. Bene verum eſt, quod ſi illum occidat, non punitur pœna vltimi ſupplicij, propter iuſtum dolorem, ſed mitius: nam ſi occiſor eſt humilis perſona damnatur in metallum; Si verò eſt honeſtior relegatur in inſulam; vel mittitur in exilium.

Et nota, quòd licet adulter cum vxore deprehenſus, clericus ſit; nihilominus tamen maritus ipſum percutiens non incidit in pœnas excommunicationis. Hæc intellige in marito, non autem in ſponſo per verba de futuro: Attamen caſu quo ſuccederent, ſufficeret habere abſolutionem à proprio Epiſcopo; nec teneretur illam impetrare à ſummo Pontifice. Omnia ſupradicta procedunt in foro cõtentioſo. *Sed hæc quidem.*

Dubium eſt. Nota rurſus; quod nedũ pater, & maritus, poſſunt occidere Adulteros in caſibus ſupradictis: ſed etiã poſſunt illud idem quibuſcunque alijs mandare: & ita ſeruatur in practica. *Plerunq; ęt.* In Bannito ſimiliter dicendum eſt: Quod licet de Iure communi bannitus non poſsit impunè offendi. Et ratio fundatur in maxima æquitate: ne ſcilicet homines ea ex cauſa inter ſe ipſos ſæuiant. Et ſi dicatur, quod banniti ſunt Hoſtes ciuitatis, à qua exulant. Reſpondetur, quod regulariter non licet Hoſtes interficere; imò eſt ſpeciale, in trãsfugis ad hoſtes; qui propter periculum reuelationis ſecretorum, impunè occidi poſſunt. Attamen quia communiter per Italiam, extant Statuta quod banniti poſsint impunè offendi; Vtique ſtante, huiuſ-

iusmodi Statutorum dispositione, occidens bannitũ, siue sit bannitus pro delicto graui, siue ex leui causa, erit à pœna Homicidij liber, & prorsus immunis. Cum enim talia statuta, sint introducta pro quiete cõmuni, sunt validissima; non solum si simpliciter disponant licere bannitũ offendere, sed etiam si illum offendenti, aut occidenti præmium constituant. Nullum enim est inconueniens; vt ad ea quæ licitè permittuntur, homines ét propositis pecunijs alliciantur.

Sed nũquid. Nec interest in foro contentioso, an occidens bannitum, id faciat zelo, Reipublicæ; an ob priuatam vindictam, vel animo effundendi sanguinem humanũ; quomodocunque enim id faciat, erit à pœna prorsus immunis. *Est tamen.* Quæ quidem procedunt, siue statutum dicat absolutè, quod bannitus posit occidi; siue dicat tãtum quod posit offendi.

Sed an stãte Stante autem huiusmodi statuto. Nota, quod si mulier fuerit bannita; Quãtumuis posit quis eã impunè occidere; non tamen poterit eam impunè adulterare. Cum enim statutum conditum fuerit pro quiete publica, certè adulterium commissum cũ muliere bannita, nihil pertinet ad publicam quietem. Et ideo cũ commissum fuerit extra mentem statuti, non est impunitum relinquendum.

Stante rursus dicto statuto; censetur bannito in dictum bellum à banniente: & ipse factus hostis Ciuitatis, à Ciuitate à qua est Bannitus. *Stante hoc.* Stante tamẽ, hoc statuto; non poterit filius occidere patrem bannitum. *Sed hic quæro.* Licet enim pater sit bannitus, nõ tamen desinit esse pater, neque Iura naturalia amittit; & sic erit talis filius pœna amputationis capitis puniẽdus. Ratio est, quia quantumuis talis Pater, censeatur effectus hostis patriæ; hoc tamen est fictione Iuris; quæ quidem in re tã enormi, non debet veritatem natiuam patriæ Potestatis adumbrare: maximè, quia stante hoc statuto; non potest vassallus impunè offendere dominum suum: à fortiori ergo idem dicendum erit in Patre; nemo enim sani capitis negabit maiorem reuerentiam, debere filium

filium patri; quam vaſſallũ domino ſuo. Bene verum eſt, quod ſi talis Pater bannitus reuera eſſet effectus hoſtis Patriæ; ita quod actualiter arma contra patriam inferret; tali caſu filius, in eo actu patrem occidens; eſſet vtique excuſandus.

Quæro aliquis.

Si aliquis fecerit pacem cum inimico ſuo; & promiſerit eum nõ offendere ſub pęna: ſi tempore quo fecit pacem, iam erat bannitus; aut fuit poſtea bannitus ex eadem cauſa, pro qua fuerit contracta pax; non poterit vigore huius ſtatuti, talem inimicum impunè offendere. Si vero poſt initam pacem fuerit bannitus, ex alia cauſa quam ex ea, propter quam fuit contracta pax inter ipſos; poterit talis impunè offendi.

Sed an licebit.

Nota etiam; & tene mẽti. Quod Bannitus qui poteſt impunè interfici, poteſt etiam, occidi Proditoriè: & ita apud nos obſeruatur. Si tamen aliquis fidem expreſsè dediſſet bannito, eum non offendendi, & illum interficeret: eſt rationi conſonum, quod talis decapitetur. Quia ẽt hoſti fides ſeruanda eſt.

Item quæro.

Nota deinde, quòd ſi ali qui occiderint Bannitum qui habebat gratiã à Principe, ſed nondum erat cancellatus de Albo, ſeu numero bannitorum; diſtinguendum eſt. Aut enim cõſtat, quod occiſores ſciebant de tali gratia, & ſic bannum fuiſſe ſublatum; & ſunt proculdubio pœna ordinaria puniendi. Aut conſtat, quod ignorabant, ſed tamen perquirendo, illud facilè ſcire potuiſſent; & tunc ex hac culpa ſunt etiã pœna aliqua extraordinaria condemnandi. Et ratio eſt, quia antequã quis, ad huiuſmodi actum Homicidij de ſui natura doloſũ, & ab omni lege reprobatũ deueniat, debet curioſè inquirere, & non pręcipitanter currere ad illum committendum. Caueant tamen banniti, quia niſi probetur præciſè ſcientia occidentium, nunquam condemnantur in pœnam homicidij. Et quando probatur ſciẽtia per coniecturas, puniuntur tantum in pœnam extraordinariam. Et ideo curent ſe quam primum de albo deleri, poſtquam à Principe gratiam impetrarunt. Licet enim antequam occidãtur, pro-

Sed quid ſi bannitus.

H te-

testentur se habere gratiã; tamen si aliter nõ fecerint fidem de ipsa gratia, occidentur impunè, quia occisores nõ tenentur illis credere, nisi ostendant.

Maior est. Si Bannum fuerit nullũ; & occisor habebat notitiã huiusmodi nullitatis; debet puniri pęna ordinaria. Si verò non habebat notitiã, imò probabiliter ignorauit nullitatem banni; tũc nulla pęna punietur: nam qui occidit bannitum condemnatum, & positum in Albo, id facit sub fide publica statuti id permittentis.

Successiuè quaro. Pẽdente appellatione à sententia banni, non potest de Iure bannitus impunè offendi; neque pendente causa nullitatis ipsius bãni: neque etiam pendente tempore ad appellandum. In hac autẽ Prouincia, nunquam super his dubitatur: cum in causis criminalib⁹ sublata sit omnis appellatio.

Quaro etiã. Postquam bannitus est captus, per familiam officialis; nullo modo potest impunè offendi.

Vlterius quęro. Occidens bannitum extra territorium, à quo est bannitus; non potest puniri, si captus fuerit in loco statuti permittentis bannitum impunè offendi posse. Et ità obseruat Senatus.

Occidẽs bannitum quẽ ignorabat esse bannitum; non obstante tali ignorãtia gaudet beneficio huius statuti; quantum ad hoc, vt euadat pœnam homicidij. Sed si vltra impunitatem, statutum constitueret præmium occidẽti, seu præsentanti bannitum; talis ignoranter occidens, aut præsentans, non consequitur illud præmium. *Fuit etiam.*

Si aliquod statutum dicat; quod bannitus in centum possit impunè offendi: Et aliquis est bannitus ex vna causa in quinquaginta; & ex alia causa in alia quinquaginta: licet iste videatur bannitus in centum; nihilominus tamen non poterit impunè offendi, nec comprehendit ipsum, talis statuti dispositio. Quia regulariter in materia odiosa non fit cumulatio. Si tamen Iudex ꝑ diuersis maleficijs illũ condemnasset in vnica summa, quæ omnes summas comprehenderet, & excederet summam centum; tũc esset talis occidens excusandus. *Sed quaritur.*

Nota,

Sciendũ est. Nota, quod defenſio, & exceptio, proueniens virtute huius ſtatuti, eſt peremptoria; & ideo impedit littis conteſtationem.

In hoc etiã. Stante huiuſmodi ſtatuto; ſi aliquis velit offendere bannitum, & bannitus ſe defendendo, occidat ſuum aggreſſorem; non debet puniri bannitus; ſaltẽ pœna mortis. Quia propriæ vitæ, & ſalutis defenſio, eſt de Iure naturali, & ideo lege humana, aut ſtatuto tolli non poteſt. *Alia quoq;.* Eſt tamen notandum, quod cõtra offendentem bannitũ, non poteſt Iudex ex officio inquirere.

Sunt etiam. Alij etiam ſunt caſus in quibus, licitum eſt propria auctoritate alium interficere: puta, ſi ille cõtra quẽ decreta eſt captura, reſiſtat familiæ officialis, neq; aliter capi poſſit; tali enim caſu permittitur familiæ illum interficere.

Vltimo quæro. Licet de Iure in hoc crimine Homicidij, puniatur affectus, etiamſi non ſequatur effectus: Nihilominus tamen de cõſuetudine generali (quicquid ſit de Iure) non punitur in eo affectus, niſi ſecuto effectu. Hinc eſt, quod inferens vulnera etiam animo deliberato occidendi, ſi poſtea non ſequatur mors; non pœna Homicidij, ſed tantum de vulneribus punitur.



§ HOMI(

- Omne Homicidiũ: Aut eſt.
  - Simplex. Quando fit ſine qualitate animi deliberati; & cõmittitur. Quatuor modis.
    - Neceſſitate. Quando quis ad ſui neceſſariã defenſionem alium interficit.
    - Caſu. Quando aliud facere cogitans.
    - Culpa. Quãdo ſine animo occidẽdi inaduertẽter; cum aduertere deberet
    - Dolo. Quãdo animo occidendi; ſed non ex interuallo.
  - Deliberatum. Quando fit cum qualitate animi deliberati; & committitur. Quatuor modis.
    - Ex propoſito, abſq; alia qualitate. Quãdo quis aggreditur alium, præuia animi deliberatione, ex interuallo pręcedente; & illũ interficit.
    - Ex inſidijs. Qñ aliquis expectat aliũ poſitus in loco, q̃ ab illo veriſimiliter præuideri non poterat.
    - Proditoriè. Quando quis nulla p̃cedẽte inimicitia alium interficit.
    - Per Aſſaſſinium. Quando mediante pecunia,

Homicidiũ Rurſus.
- Committitur pluribus formis.
- Excuſat.
- Punitur.

IDIVM.

proprijs manibus.
t quando mandatur alteri.
t quando datur Auxilium.
t quando quis se ipsum interficit; aut vult interficere.
t quando datur alicui venenum.
t poculum Amatorium.
t quando quis dicit falsum ad offensam.
t quando mittitur aliquis per uiam, in qua occidi debeat.
t quando Iudex innocentem ad mortem condemnat.
t dat operam, vt accusatus aliquid falso confiteatur.
t ipsum indebitè ponit ad Torturam.
t modum torquendi excedit.
t quando medicus scienter, malum adhibet medicamentum.

b necessariam defensionem.
- Vitæ propriæ, & consanguineorũ.
- Honoris, & famæ.
- Bonorum. — Factam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod consistit circa tria.
  - Modum.
  - Tempus.
  - Causam.

quia, factum sine dolo.

quia vulneratus, nõ ex vulnere, sed ex alia causa decessit. — Statur arbitrio Iudicis.

qa occisus, esset positus in insidijs, ad occidendũ homicidã.

quia factum fuerit Iure permittente: hoc est.
- In Fure.
  - Nocturno
    - Quãdo fit pro defensione propriæ personæ, aut bonorum.
    - Quando contra furẽ homicida clamat.
    - Qñ ipsũ nõ recognoscit, nec hẽt testes.
    - Quando eum capere non potest.
  - Diurno.
    - Quando fugit cum rebus.
    - Quando telo se defendit.
- In Adultero.
  - A marito.
    - Quando Adulter est vilis persona.
    - Quãdo deprehẽditur in domo propria.
  - A Patre mulieris.
    - Quando filia est nupta.
    - Quando est in ipsius potestate.
    - Quando eodem impetu occidit filiam.
    - Quando fit in domo sua vel Generi.
    - Qñ eos deprehẽdit in ipsa turpitudine.
- In Bannito.
- In resistente familiæ curiæ.

De Iure Ciuili. — Pœna mortis, tam in nobili, quã in plebeio.

De Iure Canonico.
- In Laico. — Pœna excommunicationis.
- In Clerico. — Pena depositionis, & priuationis beneficiorum.

Omni tamẽ Iure; pœna priuationis hereditatis occisi, siue ab intestato; siue ex testamẽto. Illã enim aufert fiscus ab Homicida, tãquam ab indigno.



§. INCESTVS.

Verſ.1. NCESTVS committitur, inter perſonas ſanguine coniunctas: Verbi gratia, ſi quis propriam filiam carnaliter cognouerit, vel materteram; & his ſimilia.

Sed nũquid. Committitur etiam; cognoſcendo carnaliter monialem. Si autem mulier rem habuerit cum clerico, etiam in ſacris conſtituto; non dicitur Inceſtus, ſed ſimplex fornicatio.

Sed quæro. Pœna Inceſtus; De Iure Canonico, in Clerico eſt depoſitio. De Iure autem Ciuili; quando committitur cum aliqua alia ſpecie fornicationis punibilis; puta, Adulterio, vel Stupro eſt pœna mortis. Quapropter in Senatu diuerſimodè puniuntur Inceſtuoſi, ſecundum diuerſas qualitates Inceſtus. Aliquando pœna fuſtigationis. Aliquãdo pœna ſtatuti pecuniaria. Et aliquando, quidam qui filiam ſuam annorum 16. violauerat fuit furcis ſuſpenſus.

Et ſcias. Si inceſtus cõmittatur, contrahendo inceſtas nuptias; talis contrahens ipſo iure amittit dominium bonorum ſuorum; & remanent ea confiſcata, abſque aliqua ſententia, ſeu declaratione. Quod intel- *Quæro nunquid.* lige in nuptijs tantummodo, quæ inceſtæ ſunt ſecundum Ius ciuile; Et in his, *Item quæro.* quæ ſunt propriè inceſtæ ratione conſanguinitatis; non autem in his quæ ſunt inceſtę largo modo; verbi gratia inutiles, vel illicitæ. In hoc tamen articulo, recurre ad conſuetudinem loci in quo Ius dicis, & non errabis. Optima enim interpres legum, eſt conſuetudo.

Præterea. Contrahentes ſcienter inceſtas nuptias, ſunt ipſo Iure excommunicati. Si *Sed quid ſi.* autem tale matrimonium contrahatur ſub conditione: hoc eſt, ſi Summus

Pon-

Pontifex diſpenſauerit; ceſſabunt tales pœnę, ac erit validiſsimum matrimonium. Et ita ſub hac forma, videmus quotidie fieri plura matrimonia.

Hæc autem. Pęnæ autem ſupradictę, non habent locum in ſponſalibus, ſed requiritur quod matrimonium, ſit carnali copula conſummatum.

Excuſatur. Excuſantur Inceſtuoſi ignorantia facti. Imò, pęna amiſsionis bonorum non habet locum, vbi in ipſis contrahentibus fuiſſet ignorantia Iuris, vel facti; etiam ex craſſa, & lata culpa.

Sed Pone. Excuſantur pariter bona fide, habita tempore contractus; licet poſtea detecta conſanguinitate perſeuerauerint.

Quæro etiã. Nota, quod etiam Iudęi contrahentes interſe nuptias in gradu prohibito ſecundum Ius ciuile, ſed permiſſo à lege Moſaica, excuſantur à dictis pœnis. Et ratio eſt, quia Iudæi non ſeruant diſpoſitionem Iuris ciuilis, prohibentis in eis inceſtas nuptias.




§. IN-

§. *INCESTVS.*

Inceſtus.

- Commit-titur.
  - Coeundo, inter perſonas ſanguine coniunctas.
  - Cognoſcendo carnaliter monialem.
- Nõ cõmit-titur.
  - Cũ clerico (eo quia clericus.)
    - Etiam in ſacris conſtituto.
- Punitur.
  - De Iure Canonico.
    - In Clerico.
      - Pœna depoſitionis.
    - In laico cõtrahente ſciẽter.
      - Pęna excommunicationis.
  - De Iure Ciuili.
    - Mixtus cum alio coitu punibili.
      - Pœna mortis.
    - Simplex.
      - Quandoque pœna fuſtigationis.
      - Quandoque pecuniaria.
    - Contrahendo inceſtas nuptias.
      - Pęna cõfiſcationis bonorum.
- Excuſatur
  - In Chriſtiano.
    - Quando matrimonium contrahitur ſub conditione.——
      - Verbi gratia, ſi Papa diſpenſauerit.
    - Quando non eſt conſummatũ.
    - Ignorantia facti.
    - Bona fide habita tempore cõtractus.
  - In Iudæo.
    - Quando contrahit in gradu permiſſo à lege Moſaica.



§. INIVRIA.

Verſ. 1. LVRIBVS modis committitur Iniuria; ſcilicet facto, & Verbo. Facto committitur; verbi gratia, ſi quis aliquem percuſſerit alapa: vel cubito: vel cum manu ſub mento: vel baculo: vel vulnerauerit, &c. Verbo, vt ſi quis alteri minatus fuerit: vel appellauerit aliquem falſarium: vel vſurarium: vel proditorem: vel baſtardum: vel infamem: vel accuſauerit de aliquo crimine, & ſuccubuerit: vel fecerit aliquem indebitè carcerari. Et his ſimilia.

Sciaſ autẽ. Nota in hoc propoſito, quod magna eſt differentia inter verberare, & pulſare; nam uerberare eſt, cum dolore cædere: Pulſare verò, ſine dolore.

Quæro nunquid. Si quis inuito me, intret in agrum meum cauſa venandi, poſſum agere contra eum, actione Iniuriarum.

Item iniuria. Nota, quod Iniuria facta vxori cenſetur facta viro. Et ideo ſi ſtatutũ diſponat, q̃d faciens iniuriam Magiſtratui puniat in centũ, habebit locũ etiã, in faciente iniuriã eius vxori.

Ex delicto Iniuriarum, duplex oritur actio, Ciuilis & Criminalis. Ciuiliter agitur, quando petitur æſtimatio Iniuriæ. Criminaliter autem, quando petitur iniuriantem puniri in pœnis Iuris. *Scire debet.*

In libello Iniuriarum, ponendus eſt annus, menſis, & locus illatæ Iniuriæ. *Vlterius quæro.* Non autem requirit, quod in eo querelans taxet Iniuriam ſibi illatam cum Iuramento; ſed ſufficit quod exprimat aliquam ſummam, ad quam æſtimet eius Iniuriam, ſalua taxatione Iudicis, qui poſtea edoctus de iniuria, ante ſententiam moderat & taxat; & deinde defert Iuramẽtum iniuriam paſſo; cui permiſſum eſt iurare vſque ad ſummã taxatam, uel minus: non autem vltra illam ſummam. *Sed nũquid.*

Pœna Iniuriæ, regulariter eſt Arbitraria Iudici, ſecundum facti, & perſonarum qualitatem. *Sed quære.* Rurſus, condemnatus Actione Iniuriarũ efficit infamis. *Item condemnatus.*

Actio Criminalis Iniuriarum tollitur, & præſcri- *Tollitur autem.*

bitur per lapſum anni continui; Actio autem Ciuilis perpetua eſt.

Itē tollitur. Tollitur item Actio iniuriarum, per remiſſionem partis expreſſam. Et etiam *Tollitur ēt.* per conuerſationem habitam cum offenſore; cenſetur enim ex hoc iniuriam tacitè remiſiſſe.

Quæro nunc. Non autem tollitur ex eo, quod aliquis ſe excuſet dicendo, quod non habebat animum iniuriandi: quia omnis iniuria, in dubio præſumitur facta animo iniuriandi; niſi contrarium probetur.

Sed Pone. Neque tollitur ex eo, qđ in eodē actu quo quis iniuriam intulit, fuerit proteſtatus, quod nolebat ex eo iniuriam facere; verbi gratia, ſi aliquis dicat alicui, Tu mentiris ſaluo honore tuo: niſi reuera ſubeſſent aliquæ coniecturæ, ꝑ quas talis proteſtatio adiuuaretur; & appareret quod non habuiſſet animum iniuriandi; tunc enim talis proteſtatio prodeſſet, & tolleret actionem iniuriarum.

Quæro etiā. Licet aliquis ab alio fuerit prouocatus; ſi tamen dixerit ei, Tu mentiris, vel huiuſmodi, tenebit actione iniuriarum. Quia regulariter in delictis, prouocatio non excuſat. Bene verum eſt, quod prouocatus ſolet ſemper mitius puniri: Et etiam Senatus in iniurijs verbalibus ſemper vtitur clementia.

Dicens alicui iniuriam *Item quæro.* quæ vera ſit; ad hoc vt intelligamus, an de Iure Ciuili teneatur nec ne; eſt diſtinguendum. Nam aut intereſt Reipublicæ, vt illud delictum ſciatur; puta, quod ille ſit homicida, vel latro &c. & tunc, ſi tale delictum probatur, non tenetur iniuriās actione iniuriarum. Si vero non probauerit delictum, tenetur. Et hoc, etiamſi tale crimē fuerit oppoſitum in iudicio excipiendo. Aut verò non intereſt Reipublicæ; puta, quia ſit cæcus, vel claudus, &c. Et tali caſu tenetur. De Iure autem Canonico, in omnem caſum tenetur. Et ratio eſt, quia eo Iure, alteri iniuriam dicens, licet vera ſit, non excuſatur, cum prius debeat præcedere charitatiua admonitio, vel correctio.

Licet iniurians dicat ſe pœnitere, & quod illud quod *Quæro quid.* dixit, fuit calore iracundiæ; non excuſabitur. Quia in delictis commiſ-


ſis,

ſis, nec pœnitentia ; nec calor iracundiæ ; excuſant aliquem à pœna. Bene verum eſt, quod quandoque prodeſt Ira, vt quis mitius puniatur : Et ita obſeruatur in practica.

---

§. INIVRIA.

- Iniuria.
  - Committitur.
    - Facto. — V. g. Si quis aliquem percuſſerit baculo, Alapa : vel vulnerauerit, &c.
    - Verbo. — Si quis appellauerit aliquem falſarium, infamem, &c.
    - Vi. — Si quis intret Agrum cauſa venandi inuito domino, &c.
  - Oritur ex ea duplex actio. —
    - Criminalis ad puniendum.
      - Tollitur.
        - Partis remiſſione.
        - Cõuerſatione habita cũ offenſore.
      - Nõ tollit.
        - Ob pœnitentiam.
        - Ob prouocationem.
        - Ex eo, quod dicat offenſor non habuiſſe animum iniuriandi.
        - Ex eo, quod vera ſit : niſi interſit Reip. eius ſcientia.
    - Ciuilis ad petẽdam æſtimationem iniuriæ. — Taxatur arbitrio Iudicis delato Iuramento parti.
  - Præſcribitur.—
    - Criminalis. — Spatio vnius anni.
    - Ciuilis. — Nullo tempore.
  - Punitur.
    - Pœna Arbitraria ſecundum facti, & perſonarum qualitatem.
    - Pœna infamiæ.



§. LAESAE MAIEST.

Verſ. 1.



CRIMEN Læſæ Maieſtatis, cõmittitur multis modis: & poteſt poni exemplum in ſubdito, qui fecerat tractatum contra perſonam Domini. Aut cõtra Statutum Principis, vel Reipub. Aut qui Ciuitatis ipſius dominium Tyrannicè occupauerit. Aut patriam oppugnauerit. Aut armat⁹ venerit in bello contra Principem ſuum. Aut quia cum hoſtibus domini Pacem, & amicitiam contraxerit. Aut quia tentauerit tanquam hoſtis occupare Caſtra, vel Ciuitates ipſius domini. Aut qđ Caſtra ipſa inuaſerit, & occupauerit. Poteſt etiam poni exemplũ in Cuſtode arcis, ſeu Caſtri, qui illud tradat Hoſtibus. Aut in eo, qui reuelauit ſecreta Principis.

Committitur. Committitur autem crimen læſæ Maieſtatis, non modo contra Papam, & Imperatorem; ſed etiam contra Reges, Principes, vel Ciuitates, quæ Superiorẽ non recognoſcunt.

Et nota, quod committitur etiam cõtra Principes inferiores, & Ciuitates quæ ſuperiorem recognoſcunt: nã attentãtes contra ipſorum ſtatum, puniuntur de conſuetudine crimine læſæ maieſtatis. Et ideo ſtante conſuetudine ita eſſet ſeruãdum, quo ad principalem delinquentem; licet quo ad filios aliud ſit. *Dubium eſt.*

Offendẽs Cardinalẽ, incurrit Crimen læſæ maieſtatis. Quia Cardinales sũt tanquam fratres Papæ, & pars Corporis ipſius. *Quæro numquid.*

Idem dicẽdum eſt in offendẽte Conſiliarium Principis. Quia conſiliarij etiã ſunt pars corporis ipſius principis. Et ideo illos offendens (ſiue id faciat in odium Principis, ſiue ob priuatum odium) indiſtinctè cenſendus eſt Principem offendere. Quod tamen intellige de conſiliarijs reſidẽtib⁹ apud perſonam Principis, & ſedentibus eius ſupremo conſiſtorio, & non aliter. *Quæro etiã.*

Nota, & tene menti: Qđ ille qui nõ eſt ſubdit⁹ Prin- *Vidi quandoque.*

cipi,

cipi, non dicitur contra eũ committere crimen læsæ maiestatis. Et ideò, licet aliquo particulari Iure; puta feudi, vel delicti, quis efficiatur de foro alicuius Principis; si tamen ratione originis, vel domicilij, ei non sit subditus, non dicitur committere contra eũ crimen læsæ maiestatis: & ita Rescripsit Senatus Potentissimo Regi nostro, Quod illegitime natus extra Dominium, ex subdito bannito propter rebellionem, & muliere extera, nõ dicitur rebellis etiam si sit legitimatus: Quæ est magna decisio.

Hinc infertur. Hinc infertur, quod licet clerici nati, in terris subditis alicui principali laico, sint naturaliter, siue originariè, de dominio & ditione illius Principis: nihilominus tamen cum post susceptum clericatũ, iam nõ dicantur verè subditi ipsi⁹ nec potest dici contra eũ committere crimen læsæ maiestatis. Caueant tamen Clerici ne talibus se immisceãt, quia licet hæc conclusio sit de Iure vera; tamen Principes seculares de facto seruant contrarium: & etiam aliquando Senatus in certa particulari causa, inclinauit cõtra præsbiterum in hac Principum sententiam.

Sed quaro. Pœna Criminis læsę maiestatis, est pœna mortis: & de consuetudine solẽt, huius Criminis rei, viui in frustra scindi, & appendi in locis eminentibus ciuitatum, seu castrorum, in q̃bus deliquerunt. Et etiã bona ipsorum sunt ipso Iure confiscata, licet confiscatio non sortiatur effectum, nisi secuta sententia. *Præterea licet.* Et de consuetudine in Italia (quicquid sit de Iure) habet locum talis confiscatio, etiam quando committitur crimen læsæ maiest. contra principes inferiores: nã quilibet Princeps, etiam recognoscens superiorem, publicat bona suorum rebellium.

Hæ autem. Hæ pœnæ, & aliæ quę impositæ sunt filijs reorum læsæ maiest. non habent locũ contra filias fœminas. *Sed nũquid.* Habent autem locum & extẽduntur contra filios naturales tantum.

Fuit etiam. Nota tamen; quod secus est contra filios natos, aut conceptos, ante delictum patris, in ipsos enim non habent locum; & ideo est eis danda legitima. In filio autem concepto post ban-

bannum ex hoc crimine patri datum, certum est qđ locum habent: & ideo ei non est danda legitima.

Praeterea quaero. Pœnæ autem supradictæ, non extenduntur contra nepotes; nisi vsque ad secundum gradum descendentium ex masculis inclusiuè; & vsque ad primũ gradum descendentiũ ex fœminis.

Quaero etiã. Est etiam Animaduertẽdum; quod dictæ pœnę quę comprehendunt filios; habent locum non solum in patre committente hoc crimen, verum etiam in matre.

Vnũ tamen. Nota tamen, qđ in quantum comprehẽdunt filios non habent locũ, nisi quando crimen læsæ Maiest. est commissum cõtra Papam, Imperatorem, Regem, vel Remp. Romanam.

Scias autẽ. Ratione atrocitatis huius delicti, lex contra eius reos nonnulla specialia introduxit. Primò; quod in eo puniatur affectus, etiam non secuto effectu: maximè si deuentum fuerit ad actũ ꝓximũ. Quinimò, qđ plus est, punitur in hoc crimine, ex sola scientia ille, qui tractatũ non reuelauit.

Item licet. Secundò, quod licet regulariter morte delinquentium, crimina extinguantur; in hoc tamen crimine, etiam post mortem cognosci, & procedi potest, & defuncti memoria damnari. Quod intellige quando cõmissum est, contra personam ipsius Imperatoris; vel directò contra ipsam Rempublicã Romanam; & sic in primo Capite, non autem in alijs: & hoc etiam casu, tale ius accusandi, & damnandi memoriam defuncti præscribitur quinquennio. Quando autem committitur, cõtra alios principes inferiores, vel Ciuitates extinguitur morte.

Hinc infertur, quod occidens rebellem; probando postea quod erat rebellis, liberabitur. Tutius autem erit si talis homicida id faciat consulto prius Principe; vel vbi huiusmodi rebellis reperiatur in actu, seu exercitio ipsius rebellionis. *Hinc infertur.*


Tertiò, quod licet de Iure communi; non possit absens regulariter de aliquo crimime condẽnari. In hoc tamen crimine potest contra absentem procedi; & si ipse fuerit contumax ad mortem condemnari. *Item quamuis.*

§. LAE-

§. LAESAE MAIESTATIS.

- Crimē lęsæ Maiestatis. —
  - Cōmittit.
    - Contra Papam.
    - Imperatorem.
    - Reges.
    - Principes.
    - Ciuitates.
    - Offendendo Cardinales.
    - Consiliarium Principis residentem apud personam.
  - Punitur.
    - Pęna mòrtis, & cōfiscationis bonorū: Quæ, ———
      - Extendit.
        - Cōtra absentē. / Contra filios. — Etiam naturales tantum.
        - Contra defunctos qn̄ cōmittitur in primo capite. — Et hoc ēt casu, tale Ius accusandi, & dānādi memoriā defuncti pscribit quinquennio.
      - Nō extēditur.
        - Contra filias fœminas.
        - Contra nepotes.
        - Contra filios natos, aut conceptos ante delictum patris.
    - Affectus, non secuto effectu. ———
    - Sola scientia illius, qui tractatum non reuelauit.
  - Non committitur.
    - Ab eo, qui non est subditus, aut ratione originis, aut ratione domicilij.





§. LVDVS.




Vers. 1. LVDVS de Iure prohibit' est; non solum ille, in quo sola sors versatur; sed etiam ille, in quo *Hec autem.* est mixtura ingenij & fortunæ; puta taxillorum, tabularum, & chartarum. Vbi vero solummodo versatur ingenium, talis ludus est permissus. Hinc est, quod ludus scaccorum, est de Iure licitus. Adeò quod etiam Clerici *Quaro nunquid.* possunt ludere ad scaccos.

Item quaro. Laicis autem vltra prædicta, licitum est facere torneamenta, & similia. Quia in his versatur corporis agilitas, & ingenium: neque in arbitrio fortunæ aliquid est positum.

Quaro etiã. Licitæ etiam sunt sortes, quas vulgo, *appuestas*, aut *scomessas* appellamus. Dubius enim euentus fortunæ, contractus illicitos non facit.

Pœna ludentis ad ludos *Sed quaro.* prohibitos, est extraordinaria arbitrio Iudicis, secundum facti, & personarum qualitatem.

Et nota, quod (quic- *Itẽ vinceñ.* quid sit de Iure) de consuetudine verò denegatur victo, repetitio eius quod perdidit in ludo, dũmodo fraus non interuenerit. Quæ quidem consuetudo, est omni Iure valida. Si tamen in ludo *Itẽ mutuãs* aliquis alicui pecuniam mutuauerit; de consuetudine obseruatur, quod talis pecunia vtique repeti possit; non solum inter laicos, sed etiam inter Clericos. Et ideò in lu- *Præterea.* do, & occasione ludi: & potest esse lis, & potest fieri transactio.



§.LV-

§. LVDVS.

Ludus.	Prohibetur.	Quando in eo adest mixtura ingenij, & fortunæ.	V.g. Taxillorum. Tabularum. Chartarum.
	Nō ꝓhibetur.	Quando in eo solummodo versatur ingenium.	Verbi gratia, scaccorum.
	Punitur.	Pœna Arbitraria; Carētia actionis repetēdi, id qđ ꝓditur.	


§. PARRICIDIVM.

Vers. 1. ARRICIDIVM committit ille, qui Patrem, vel filiū propriū interficit; & licet pater sit *Quero nunquid.* naturalis tantum, nihilominus tamen filius ipsum occidēs dicitur Parricida: & consequēter punitur pœna legis, vel statuti Parricidium punientis. Quia consideratur substantia filiationis, non autē qualitas.

Scias etiam. Parricida etiā dicitur ille, qui occidit aliquem ex ascendentibus, vel descendentibus.

Sed quid dicendum. Aut etiam fratrē, vel sororem, aut alium transuersalem intra quartū gradū.


Sed quære. Pœna Parricidij est pæna mortis. Et de consuetudine in hoc ducatu, licet per constitutiones imposita sit pena, quod Parricidę trahātur ad caudam equi, & deinde rotæ ligneæ intexantur: illud de rota nō obseruatur, sed tales rei decapitantur; aut suspenduntur etiam si sint mulieres. Nam etiam in hoc Ducatu obseruatur, quod mulieres furcis suspendantur.



§. PARRICIDIVM.

Parricidium.
- Cõmittit.
  - Occidendo Patrẽ. Filium. Fratrem. Sororem. — Etiam si fuerit naturalis tantum.
  - Aliquem ex ascendentibus, descendẽtibus, aut transuersalibus. — Intra quartũ gradum.
- Punitur.
  - Pœna, quod trahantur rei, ad caudam equi, & postea suspendantur. — Etiã si fuerint mulieres.

§. PERIVRIVM.

Vers. 1. ERIVRIVM est; mendaciũ Iuramento firmatum. Cuius quidem pœna *Sed quæro.* est; quod in primis periurus efficitur infamis; non regulariter infamia Iuris sed infamia facti. Quod tamen intellige; quando venit contra promissionẽ, & contra Iuramentũ simul; Si vero ueniat cõtra Iuramentũ tantũ, non efficitur infamis; Verbi gratia; si aliquis cũ Iuramẽto asserit aliquid de præterito, vel de præsenti, quod est falsum; non efficitur infamis ex tali periurio commisso super illo Iuramento assertorio; Sed si promiserit cum iuramento aliquid de Futuro, & illud non adimpleuerit; tunc ex tali periurio commisso, super Iuramento promissorio, vtique efficitur infamis.

Clericus item propter *Itẽ clericus.* periurium, potest priuari dignitate obtenta; non autem est illa priuatus ipso iure. Si tamen post illud periurium (si ex eo fuerit effectus infamis) instituatur in aliquo beneficio; tũc ipso iure non valet talis institutio.

Periu-

Præterea. Periurus deinde, repellitur ab agendo. Et etiam à *Repellitur etiam.* testificando, quando videlicet est periurus super Iuramento licito: si enim est periurus super Iuramento illicito, & temerario, tunc talis transgressor non repellitur à testificando.

Itē periuro. Periuro item, nunquam defertur Iuramentum in supplementum probationis.

Excusari. Excusatur Periurus; si ostendat periurium fuisse sine dolo cōmissum: nam eo casu non punitur. Quia est vera iuris conclusio; quod periurium non committitur sine dolo.

Item excusatur. Excusatur item, propter difficultatem. Aut etiam si *Potest etiā.* demōstret, quod tale periuriū nulli præiudicauit actu, nec aptitudine poterat præiudicare. Nam eo casu, etiam si quis deliberate periurauerit, non potest in foro contentioso puniri de periurio: sed tantum in foro animæ, solum Deum habet vltorem.

Periurium similiter, rei *Scias etiam.* accusati, vel inquisiti, qđ committit in eius examine, quando interrogatē super crimine: aut etiam quando defertur in iudicio, iuramentum à parte parti, non potest Iudicialiter puniri; sed solum Deum habet vltorem.



§. PERIVRIVM.

- Periuriũ.
  - Cõmittiť
    - Quando firmatur mendacium Iuramento.
  - Punitur.
    - In Clerico — Priuatione dignitatis obtentę.
    - In Laico
      - Pęna repulsæ.
        - Ab agendo.
        - A testificando.
        - A Iuramento suppletorio.
      - Infamia facti.
        - Qñ venit contra Iuramẽtum promissoriũ; non autem quando est periurus Iuramento assertorio tantum.
  - Excusatur
    - Quando est sine dolo.
    - Quando nemini præiudicat actu, nec potentia.
    - Propter difficultatem.
    - Quando defertur in Iudicio à parte parti.
    - Quando committitur à reo in eius examine.

---

§. RAPTVS.

Vers. 1. APTVS committitur; quando mulier libidinis causa, cõducitur de loco ad locum. Quod intellige; intentione scilicet, & ad effectum illam abducendi, non autem causa commodioris coitus; & ideò, si quis puellam ex vna camera ad aliam conduxerit; & super lectum proiecerit; non erit tanquam raptor puniẽdus. Idem pariter dicendum est in eo, qui puellam inuẽtam cum bestijs in campo cepit, & per aliquot passus abduxit, vt eam carnaliter cognosceret. Bene verũ est, quod etiam si non mouendo de loco ad locum, aliquis per vim cognoscat mulierem, licet non possit dici raptus; est tamen act⁹

vio-

violentus, & punibilis ad mortem.

Sed quaro. Pœna Raptus; est pœna mortis. Quæ habet locum *Adde quod.* etiam si ipsa mulier consẽserit se rapi; siue ab initio, siue ex post facto: & ita declarauit Senatus.

Quinimo. Nota; Quod etiam dicũtur raptores; seu in pęnam raptus incidere illi qui blãdimentis, & verbis deceptorijs, puellas nulla ui adhibita, libidinis causa abducunt, dummodo id fiat ad effectum illas abducendi, & in alio loco contra voluntatem suorum retinendi.

Sed quid si ille. Si raptor mulierem raptam carnaliter non cognouerit; distinguendum est. Aut enim non cognouit, quia non potuit id cõmode facere; & tunc, non obstante quod eam non cognouerit punietur pęna raptus. Aut non cognouit, quia nõ voluit; licet commoditatem haberet: & tũc punietur citra mortem, ea tamen grauiori pœna, quæ iuxta qualitatem facti, & personarum iudicis arbitrio imponẽda videbitur.

Quaro nunquid. Si rapta fuerit publica meretrix (quidquid sit de Iure) apud nos ex dispositione cõstitutionũ, tales raptores puniuntur pœna arbitraria: Quam quidem Senatus solet arbitrari in tribus ictibus funis, vel alia pœna simili.

Si mulier rapuerit Virũ, *Sed Pone.* non est punienda pœna mortis. Quia cessant in eo casu omnia ferè scandala Raptus. Puniet tamen alia graui pœna, arbitrio Iudicis, secundum facti & personarum qualitatem.

Nota; quod licet recep- *Vnũ tamen.* tum esse dicitur; posse milites pueros secum abducere, & retinere, etiam inuitis parentibus: hoc autẽ impium est, & nullatenus tenendum; maxime cum non modica sit suspicio inhonestatis, in huiusmodi stipendiarijs.

Raptor cum rapta, de Iu- *Quaro modo* re canonico bene possunt matrimonium contrahere: & propter tale matrimonium, quidam fuit per Senatum absolutus à Raptu: licet aliquando in Hispania contrarium obseruauerit Rex. In omnẽ tamen casum, pœna confiscationis bonorum, quæ applicatur fisco temporali; per matrimonium (etiam de Iure canonico) non euitatur.

§. RA-

§. RAPTUS.

- Raptus .
  - Cōmittit
    - Quando mulier libidinis causa conducitur de loco ad locum; intentione eam abducendi.
      - Etiam si ipsa consentiat; siue ab initio, siue ex post facto.
    - Quando quis blandimētis, & verbis deceptorijs, etiam nulla vi adhibita, puellam abducit.
  - Punitur.
    - In viro ; si
      - Cognouerit carnaliter mulierē raptā.
        - Pœna mortis ; & confiscationis bonorum .
      - nō cognouit. —
        - Quia non potuit.
          - Pœna mortis.
        - Quia noluit·
          - Citra mortem Arbitr. Iudicis
    - In muliere.
      - Si virum rapuerit; citra mortem graui pœna arbitrio Iudicis.

§. SACRILEGIVM.

Vers. 1. VO requiruntur de Iure Ciuili, ad hoc vt propriè dicatur committi Sacrilegium. Primū quod res furata sit sacra. Secundum, quod subtrahatur de loco sacro: & ita obseruauit Senatus, in quodā qui calicem sacrum surrripuerat, è loco non sacro: nam eum iussit tantummodo condemnari in pœnam statuti punientis fures pœna pecuniaria. De Iure autem canonico alterum sufficit; Aut quod sit sacra; Aut quod de sacro auferatur.

Pœna Sacrilegij de Iure ciuili, est extraordinaria secundum qualitatem *Sed quæro.*

rei,

rei, perſonæ, temporis, & ſexus; ſemper tamen eſt capitalis.


Poſſet etiam ſacrilegium habere tales circunſtantias, adeo enormes; vt omnino eſſet ipſe ſacrilegus, etiam pro primo furto pœna mortis afficiendus; prout factum fuit in eo, qui de nocte fregit oſtium Eccleſiæ, & accepit calicem, in quo ſeruabatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentũ, & prius ſumpta Euchariſtia, illum furto ſubtraxit: nam fuit traſſinatus, & deinde amputatis prius manibus furca ſuſpenſus.

Senatus in materia Sacrilegij diuerſimode iudicare ſolet, & iudicauit; nam aliquando cõdemnauit reos in pœnam fuſtigationis: aliquando triremium: aliquando (licet raro) vltimi ſupplicij.

Si aliqđ ſtatutũ factũ fuerit à laicis, imponens pœnam pro ſacrilegio; intelligendum erit de ſacrilegio ſecundum ius ciuile. Si autem factum fuerit ab eccleſiaſticis: intelligetur ſecũdum ius Canonicum. *Sed pone.*


---

§. SACRILEGIVM.





§. SIMONIA.

Vers. 1. IMONIA; est voluntas studiosa, emendi seu vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ex hac diffinitione apparet, quod vera Simonia, nunquam committitur, nisi concurrat prætium, aut exactum, aut saltem promissum. Et ideò, illa quæ precibus, & gratia fit, non est propriè Simonia, nisi preces fiant tali mente, & intentione; vt notoriè indignus præferatur digno.

Quæro nunquid. Recipere aliquid pro labore, pro Sacramento ministrando; non erit Simonia, dummodo non veniat in pactione rei spiritualis; & sit quid modicum. Pro Sacramentis autem ministrandis, ita vt ipsa sacramenta emantur, non licet aliquid dare.

Vlterius quæro. Qui recipit pecuniam, pro concessione licentiæ docendi; licet propriè nō commmitat Simoniam, committit tamen quasi Simoniam.

Pro habēdo officio tēporali, licita est oblatio quæ fit palam, per eum qui cupit prodesse, sed non præesse, dummodo illa fiat Principi. Ratio est, quia in Principe cessat crimen ambit'. Illa verò quæ fit clam, aut alteri quam Principi, reprobatur. Adeò quod non solum dantes, aut offerentes aliquid pro offitijs, sed etiam ea petentes, puniuntur pœna infamiæ, & centum aureorum (licet hoc, in practica male obseruet) & ideò tenētur officiales in principio officij Iurare, quod non dederunt neque dabunt, nec promiserunt, aut promittent, aliquid pro ipso officio. Quod quidem Iuramentum in hoc Ducatu præstatur in manibus Præsidis Senatus. Præterea.

Ad hoc vt intelligamus quando Papa dicatur committere Simoniam; distinguendum est. Nam aut loquimur de Simonia, quæ Quæro etiā.

solum-

folummodo est prohibita de Iure positiuo; prout est, vẽdere beneficia, & huiusmodi: & in his non dicitur Papa cõmittere Simoniã; cũ sit ipse supra omne ius positiuum. Aut loquimur in Simonia, quæ etiam est de iure diuino prohibita; prout est vendere Sacramenta: & in hac etiam Papa dicitur Simoniam committere.

Item quæro. Licet videat̃ dicẽdũ nõ cõmitti Simoniã in Curia Rom. sicut nec crimen ambitus in curia Principis; q̃a videtur ob præsentiam Põtificis tollerata: nihilominus tamen non excusantur simoniaci à Simonia, cum non appareat de scientia Papæ: imò summi Pontifices solent semper in suis Bullis, & Constitutionibus, hoc crimen grauissimè execrari.


Hoc crimen. Crimen Simoniæ, est merè ecclesiasticum; & ideò Iudex secularis, nõ potest aliquo modo, de eo se intromittere, nec cognoscere.

Sed quæro. Pœna Simonię est. Quod inprimis notorius simoniacus in ordine, est ipso Iure suspensus ab officio.

Item clericus. Clericus item Simoniacus priuatur beneficio; dummodo Simonia sit vera, & pura: nõ autem propter cõditiones, & pactiones illicitas, licet saperent speciem Simoniæ.

Scias autẽ. Nota, quod Simonia est, vnum ex criminibus exceptis; etiam si sit commissa tantum in beneficio. Et ideo in ea locum habent, quæ dicuntur de alijs criminibus exceptis.

Item scias. Nota Rursus; quod licet regulariter in criminalibus requirantur probationes, luce meridiana clariores: nihilominus in hoc crimine sufficit probatio; quæ fit per signa, & coniecturas. Quod tamen intelli ge, de signis euidentibus, & quæ reum de ipso crimine conuincant.




§. SIMONIA.

- Simonię crimen.
  - Cõmittit
    - Quando promittitur, aut exigitur aliquid pro datione rei spiritualis.
    - In Curia Romanã, ficut in alijs.
  - Nõ cõmittitur.
    - Quando datur aliquid modicum pro labore administrationis Sacramenti.
    - Quando offertur pro habendo officio temporali, per eum qui cupit prodesse.
      - Dummodo ablatio fiat Principi.
    - A Papa, quando est prohibita tantum de Iure Positiuo.
  - Cognoscit eius causa.
    - A solo Iudice ecclesiastico.
      - Est enim crimẽ merè ecclesiasticum; & vnum ex exceptis.
  - Probatur
    - Etiam per coniecturas, & signa.
  - Punitur.
    - Pœna priuationis officij, ille qui est notorius Simoniacus in ordine.
    - Pœna priuationis beneficij, clericus Simoniacus.





§. SODOMIA.

Vers. 1.  ODOMIA; Vitium nefādum, & ſuper omnia deteſtādum; eſt coitus contra naturam.

Vidi quandoque. Committitur tam cum maſculo, quam cum fęmina; & ita ſæpe iudicauit Senatus; fuerunt enim combuſtæ, tā ipſæ mulieres, quam viri, qui ad eas præpoſtera Venere acceſſerant.

Hoc crimen. Crimen Sodomiæ; eſt cō munis Fori, & ideò de eo cognoſcere poteſt, tam Iudex eccleſiaſticus quam ſecularis.

Sed quaro. Pœna Sodomiæ eſt; Qđ Sodomitæ igne comburantur; tam agētes, quā patiētes: & ita obſeruatur de cō ſuetudine. Et etiam, quod perdant ipſo Iure dominium bonorum ſuorum. Et *Item Sodomia.* licet Senat⁹ declarauerit, non eſſe pro hoc crimine de Iure impoſitam cōfiſcationem bonorum; (quæ declaratio in hoc Ducatu ſeruanda eſt pro lege) tamen opinio qđ bona eſſent cōfiſcāda, eſt de Iure verior, & magis communis.

Itē Clericus Clericus Sodomita, etiā occultus, atq; etiam peracta pœnitentia, ſuſpenſus eſt ab ordinis executione; & ideò interim celebrans, efficitur irregularis tali irregularitate, quæ niſi à sūmo Pontifice remitti non poteſt.

Itē propter. Propter crimen etiā Sodomiæ, ſeparatur matrimonium; quod quidem optima ratione ſancitū eſt: Si .n. ꝑpter Adulterium fit thori ſeparatio; multo magis ꝑpter hoc crimen fieri debet; quia eſt multo grauius, & ex eo magis læditur matrimonium.


Quaro numquid. Licet ob atrocitatem tā ti delicti, videretur puniēdus affectus, etiam non ſecuto effectu. Senatus tamē non obſeruat; vt aliquis ꝑ hoc crimine attentato puniatur pœna mortis etiam ſi deuenerit ad actum proximum. Et ſic animaduertēdum eſt; quod ſi quis a-

ctum non consummauerit; quia scilicet, in ipsas partes pudendas membrum non imposuerit, sed tantũ extra eas sepolluerit; non debet puniri pœna mortis, sed alia extraordinaria: & ita iudicauit Senatus, qui tantummodo aliquem taliter reum, uirgis cædi iussit. Si autem membrum imposuerit, licet intus semen non emiserit: tunc punietur pœna mortis; & ita obseruat Senatus.

---

§. SODOMIA.

Sodomia.
- Cõmittit̃
  - Cum masculo.
  - Cum fœmina.
  - Si tantum fuerit attentatum non punitur pœna ordinaria.
- Cognoscit eius causa.
  - Ab vtroque Iudice.
  - Est enim cõmunis fori.
- Punitur pœna.
  - Quod Sodomitæ igne comburuntur tam agentes, quam patientes.
  - Confiscationis bonorum.
  - Separationis Matrimonij.
  - Quod Clericus Sodomita, etiam occultus, ac etiam peracta pœnitentia, suspensus est ab ordinis executione.





§. STVPRVM.

Verſ. 1.



VLTIS modis cõmittit Stuprũ: ſcilicet, cum Virgine: cum Vidua:& cum Puero. Quo ad ipſius autem probationem, notãdum eſt, quod ſtuprum nõ probatur plenè per teſtes domeſticos, ſed tantummodo faciunt Indicium: & ita obſeruatur in practica.

Quæro nunquid.

Sed quæro.

Pœna Stupri de Iure canonico in foro contentioſo eſt: quod clericus propter ſtuprum cum Virgine commiſſum, punitur pęna depoſitionis. Laicus autem committens ſtuprum cum Virgine: ſine vi (quicquid ſit de Iure) hodie tenetur (de generali conſuetudine) aut illam ducere in vxorem aut condecenter dotare: & ita iudicauit Senatus. Quæ tamen omnia intellige, vt procedant, ſi puella quæ ſtuprum paſſa eſt, ſit honeſtæ vitæ, aliàs non. De Iure autem Ciuili, pro ſtupro cum Virgine cõmiſſo, imponitur pœna dimidiæ partis bonorũ, cum relegatione: ſed hoc hodie non ſeruatur. Hæc intellige, in ſtupro ſine ui. Nam ſi tale ſtuprum factũ fuerit cum violentia punietur pœna mortis.

Sed Pone.

Licet Stuprator dicat, puellam non fuiſſe Virginem, tempore quo cum ea cõcubuit; ſi ipſa affirmauerit quod erat Virgo; In dubio præſumitur Virgo; niſi ipſe ſtuprator probet contrarium.

Cæterum.

Pœnæ Iuris ſtupri cum Vidua commiſsi, ſunt abolitæ de conſuetudine: & hodie non punitur aliquis pro Stupro cũ vidua commiſſo. Hinc etiã eſt, quod hodie Vidua Stuprum cõmittens nõ perdit dotem: etiam ſi ipſum committat intra annũ luctus: & ita tene, & obſerua in Iudicando.

Sed nũquid.

Generaliter.

Quo ad bona autem relicta à teſtatore dicendum


eſt,

est, quod vidua post mortẽ testatoris Stuprũ committens; perdit tam ipsa, quã Stuprator omnia sibi relicta à testatore; & ea fisco applicantur.

Pariter etiã. Similiter, Vidua inhonestè viuens; non gaudet priuilegijs, quæ à Iure Viduis conceduntur: & præcipuè perdit priuilegium domicilij mariti.

Item Vassallus. Vassallus item, committens Stuprum cum vxore vidua domini sui defũcti, priuatur feudo.

Fuit aliquãdo. Si aliquis deflorauit; seu deflorare conatus est puellam Virginem nondum viri potentem; de Iure communi non punitur pœna mortis, sed humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam releganẽ. Hodie verò de consuetudine (apud nos) in huiusmodi delicto imponitur pęna Iudicis Arbitro; ea uidelicet, quæ sibi videtur rationi consona, secundum qualitatem facti, & personarum. Senatus Excellentissimus, in hac facti specie diuersimodè iudicauit. Quandoque enim, quendã qui voluit coire cum puella nondum quadrienni, & ei fregit pudibunda, iussit capite truncari. Et quandoque alius, qui aliã puellam annorum quinque violauit, fuit tantummodo cõdemnat⁹ ad Triremes per decennium. Et ideò tene, & obserua; quod vbi solũ adfuerit conatus ad deflorandum, non puniatur pœna mortis; sed alia graui citra mortem, puta triremium perpetuò, vel per decennium. Vbi verò deflorauerit cum effectu, & fregerit pudenda; nullo modo talis reus, euadere debet pœnam vltimi supplicij.



§. STV-

- Stuprum.
  - Nō ꝓbat. — Per testes domesticos.
  - Cōmittit.
    - Cum Virgine.
      - Viri potēte.
        - Sine violentia.
          - De Iure Ciuili. — Punitur pœna dimidiæ partis bonorum, cum relegatione; ſed hodie non ſeruatur.
          - De Iure canonico
            - In Clerico. — Pœna depoſitionis.
            - In Laico. — Quod illā ducat vxorem: & dotet.
          - De cōſuetudine. — Quod aut ducat; aut dotet: Si fuerit honeſtę vitæ; alias ſecus.
        - Cū violentia. — Punitur pœna mortis.
      - Non viri potente.
        - Conatus tantum ſine defloratione. — Punitur graui pœna citra mortem.
        - Si ſtuprator deflorauerit cum effectu, & fregerit pudenda. — Punitur pœna mortis.
    - Cum Puero.
    - Cum Vidua. — Hodie iſtud non punitur; nec vidua perdit dotem. — Perdit tamen ipſa, & ſtuprator omnia relicta à defuncto; & Fiſco applicantur.

§. VSVRA.

Verſ. 1.



SVRA; eſt lucrū ex mutuo, pacto debitū, vel exactum. Et eſt omni Iu- *Sciendū eſt.* re, prohibita: ſcilicet, naturali, Diuino (etiā euāgelico) *Difficultas.* Canonico, & Ciuili.

Et ex hoc. Hinc infertur, quod vſura apud omnes reputatur res illicita, & prohibita; & ſic delictum: Vnde conſequenter, poteſt criminaliter puniri: & ita obſeruat Senatus, puniendo vſurarios pęna extraordinaria. Et aliquando facit ſpecialem delegationem, vt contra ipſos inquiratur. Licet enim Senatus, dicatur Iudex laicus, quia repræsētat perſonā Regis, qui eſt Princeps laicus, tamen punit etiam vſurarios pœna arbitraria: cū itē vſuræ ſint prohibitæ de Iure Ciuili. *Hæc autem.*

Quamuis Iudæi non poſſint de Iure communi vſuras exercere; tamen de cōſuetudine ſeruatur contrarium; nam vbique Hæbrei fœnerantes tollerantur, etiam in terris Eccleſię: quę quidem conſuetudo reprobatur à multis, qui dicūt, quod non valet, tanquam nutritiua peccati. Eo maximè, quod ſi aliquis Iudæus exerceat vſuras in Iudaiſmo, & deinde efficiatur Chriſtian⁹, tenebit ad reſtitutionē Vſurarū quas ante baptiſmum extorſit.

Crimen vſuræ, eſt merè eccle-

ecclesiasticum; quo ad cognitionē Iuris: an scilicet, contractus sit vsurari⁹ vel ne. Quo ad factum autem; videlicet, ad agendum criminaliter contra vsurariū; & quo ad pœnam ei imponendā, est communis fori.

Sed quæro. Pœna exercentis vsuras; est extraordinaria, arbitrio Iudicis.

Itē tenetur. Vltra pœnas supradictas, tenetur vsurarius restituere vsuras.

Præterea. Rursus, dominium rerū quas creditor extorquet à debitore, ex causa vsurarum, non transit in ipsum vsurarium.

Item vsurarius. Deinde, vsurarius manifestus, nec potest testari; nisi præstita cautione de restituendis Vsuris: nec donare causa mortis.

Sed hic quæro. Vsurarius manifestus, dicitur ille; qui palam, et publicè feneraticiam artem exercet, ita vt ipsa facti euidentia excusari non possit. Aut ille, qui coram Sacerdote, & testibus, publicè fatetur se esse vsurarium, & mandat restitui vsuras. Aut ille, qui in Iudicio idem cōfitetur. Aut ēt ille, qui tanquā vsurarius est condemnatus à Iudice.

Punitur et. Vsurarius item de Iure Ciuili efficitur infamis ipso Iure, licet quolibet modo exerceat vsuras: Et sic non potest esse testis, neque etiam in causa Ciuili.

Vltimo quæro. Et nota, qđ ille, qui aliquando exercuit vsuras; licet postea desinerit fenerari, nihilominus tamen dicitur Vsurarius.

§. VSVRA.

Vsuræ crimen.
- Cōmittiē: Quando pascitur lucrum ex mutuo.
- Prohibetur.
  - De Iure naturali.
  - Diuino. — Etiam Euangelio.
  - Canonico.
  - Ciuili.
- Indicaē.
  - Quo ad cognitionem Iuris. — A solo Iudice ecclesiastico.
  - Quo ad factum. — Ab vtroque Iudice.
- Punitur pœna.
  - Extraordinaria Arbitrio Iudicis.
  - Restitutionis Vsurarum.
  - Prohibitionis testandi; & donandi causa mortis.
  - Infamiæ.


DE




§. Finalis.

DE PRACTICA CRIMINALI

QVAESTIONIBVS CENTVM Distributa.



VM in superioribus tractatibus de varijs, ac diuersis criminib⁹, actum sit: sequitur nũc, vt de ipsorum criminum cognitione, ac Iudicijs, quæ in criminalibus negotijs agitari solent, breuiter disseratur. Postquã enim delictorũ notæ sũt species, ac qualitates; methodo consonũ videtur subnectere, quibus modis contra delinquentes ipsos sit procedendum. Quæ quidẽ materia est longe omniũ, quæ in foro versantur pulcherrima. Nulla enim adeò frequens, nulla huic comparatur vtilitate, aut grauitate, cũ in ipsa nõ de tritico, aut oleo legato; sed de hominum fortunis, existimatione, ac capite agatur, quibus nihil in orbe terrarum, prætiosius potest reperiri.



QVAESTIO I.

De causarum diuisione; & quæ dicantur Ciuiles, quæ Criminales.

Vers. 1. NON abs re, in tam insigni Centuria, hæc inter alias præponitur quęstio: quippe tā necessitas, quam illius vtilitas maxima est, ꝓ resolutione multarum dubitationum, quæ quotidie contingunt in practica. Inprimis ratione competentiæ Iudicis: quia multi sunt, quorum Iurisdictio, est particulariter circa criminalia; & multi quorū Iurisdictio est tantūmodo circa causas Ciuiles. Et propterea, necesse est intelligere; quæ dicat̄ Ciuilis, quæ criminalis; ad hoc vt sciri possit, ad quem eorū pertineat eius cognitio.

Præterea, circa modum procedendi: nam in criminalibus plerumque proceditur per capturam; secus autem in ciuilibus. Rursꝰ, in causis criminalibus, nō admittitur procurator. Deinde, in criminalibꝰ infertur tortura reo; secus autem in Ciuilibus regulariter. Cæterùm, multi testes repelluntur à testificando in causis criminalibus; qui in causis ciuilibus admittuntur.

Pariter etiam vtile est, ob diffinitionem, & decisionem ipsis causæ: in criminalibus enim requiruntur probationes luce clariores, in ciuilibꝰ aūt secꝰ.

Et tandem in multis locis adsunt statuta, quod in causis criminalibus nō detur appellatio, neque reuisio, prout est generale decretum in hoc Ducatu; & alia huiusmodi quæ in discursu materiæ apparebūt.

Pro tantę igitur quęstionis resolutione: hæc est tenenda generalis conclusio. Quod tunc Iudicium dicitur Ciuile, quādo in eo agitur ad commodum priuatum; siue causa descendat ex delicto, siue ex contractu. Tunc autem dicitur criminale; quando agitur ad commodum publicum; siue sit imponenda pęna corporalis ad publicam vindictam; siue pecuniaria q̄ veniat Fisco applicāda. *Ex quorum*

Pro clariori verò ipsiꝰ cōclusionis intelligentia: Inprimis animaduertēdū est; tanquam tutissimum fundamentū; quod in hoc proposito duo possunt considerari *Ego tamen.*

derari

derari genera delictorum. Primum, illud per quod offenditur publica iustitia, sine iniuria neque offensione alicuius tertij; vt in Crimine Heresis, Simonie, & huiusmodi. Secundum, per quod offenditur nō solum publica iustitia, sed etiam infertur damnum tertio: vt in Homicidio, Furto, & similia. Ex prima spetie delictorum, vna tantū actio oritur, que est ad vindictam publicæ iustitiæ: cū enim non agatur de offensione alicui⁹ persone particularis, ita nulla potest cō petere alicui peculiaris actio ad interesse. Ex secunda autem duplex oritur actio; Vna, quæ tendit ad publicā vindictam; Alia, quæ tendit ad resarciendū damnum, seu interesse partis offensæ. Hinc est, quod si aliquis committat violē tiam in bonis alicuius, potest contra eum agi ad pœnam impositam pro vi publica, vel priuata; & hæc actio competit cuilibet de populo; cum sit ad publicā vindictam. Potest etiam ille in cuius bonis commissa est violentia, agere ad emendam damni, & interesse: & hec actio competit tantummodo parti offēse, cum tendat ad commodum priuatum.

Secundò attendendum est; quòd duo sunt genera penarum, que pro delictis imponuntur; ordinaria scilicet, & extraordinaria. Pena ordinaria dicitur illa, quæ à lege, vel statuto est imposita cōmittenti illud delictum, quod in Iudicio deducitur: Verbi gratia, pro homicidio pœna capitis; pro furto pena fustigationis, &c. Extraordinaria est; v.g. quādo quis ꝑpter crimen, priuatur officio, beneficio, dignitate, administratione, & his similia. *Scias etiam.*

Tertiò intelligendū est; quod in criminibus supra dictis; ex quibus oritur duplex actio; potest pars offēsa vtramque proponere: scilicet, illam quæ tendit ad vindictam publicam, & illam quæ tendit ad suum interesse priuatum; & potest vtramque intentare simul in eodem libello, licet non æque principaliter. Potest etiam proponere alteram tantum; vel petēdo simpliciter quod puniat̄, nulla facta mentione sui particularis interesse; vel petendo simpliciter suum interesse seù restitutionem rei; non agendo ad pœnas *Item scias.*

pro delicto a iure imposi-tas. Potest similiter proponi crimen aduersus aliquē ad alium finem: idest, vt neque puniatur pœnis iuris; neque vt damnū resarciat, sed ad pœnam extraordinariam, vt dictum est; videlicet, vt priuet beneficio, administratione, &c. Et tā dem, potest etiam ad aliū effectum proponi: scilicet, ad repellendum aliquem à testimonio, vel ad debilitandum eius dictum; excipiendo aduersus eum qui in testem producitur de aliquo crimine.

His sic positis fundamē-tis; remanebit clara resolutio quæstionis: habes enim multos casus, in quibus diuersimodè crimina in Iudicium deduci possunt.

Primus est. Primus est, quando agitur ad pœnam ordinariam corporalem, nulla facta mē tione particularis, & priuati interesse. Et tali casu nulla est controuersia; quod tale Iudicium dicatur criminale.

Secūdus autem. Secundus est, quādo agitur ad pœnam pecuniariā tantū, Fisco applicandam: quo casu, causa etiam est criminalis.

Tertius est. Tertius casus est, quando simul cum pœna corporali; aut cum pœna tantum pecuniaria Fisco applicanda; proponitur item interesse partis: puta, vt aliqua pars applicetur etiam ipsi parti offensæ: Vel quia pars vltra pœnam, agat etiam incidenter, ad rei restitutionem, vel refectionem damnorum. Et licet tale Iudicium à plerisque appellet mixtum: scilicet criminale, quatenus concernit publicam vindictā; & Ciuile quatenus concernit interesse priuatum. Tamen notandum, & distinguendum est: quod aut ex natura condemnationis, necessario simul cum pœna publicę vindictæ, venit etiam interesse partis: verbi gratia, quia idem statutum, pro furto imponit pę nam scutorum decem versus fiscum, & quinque versus partem: vel quod fur fustigetur, & restituat rem furatam; & tali casu absurdum est dicere, quod hæc causa sit mixta; scilicet partim Ciuilis, partim criminalis; tota enim est merè criminalis, quia de tota ea iudicandum est, secundum eius digniorē partē. Aut ex natura condemnationis, non venit necessario cōnexum interesse partis,


tis, ſed venit tãquam quid ſeparatũ; verbi gratia, q̃a refectio damnorum, vel etiam reſtitutio rei ablatæ, non venit ex eadem lege vel ſtatuto, ſed ex alia: et tali caſu, forte tale Iudicium poſſet dici mixtum. Senatus tamen, hoc nõ obſtante, ſemper reijcit appellationes, à condemnationibus damnorum, vel expenſarum litis, in cauſis criminalibus, ſiue veniant ex eadem lege, ſiue ex alia: & ſolummodo admittitur appellatio, ſiue reuiſio reſpectu exceſſus.

Quartus caſus. Quartus eſt; quando agitur ſolummodo, ad intereſſe partis, puta rei reſtitutionem, vel refectionem damnorum: & tunc Iudicium dicitur merè Ciuile, licet agatur ꝓ delicto.

Quintus eſt. Quintus caſus eſt; qñ agitur ad pœnam extraordinariam; puta, priuationem officij, ſeu beneficij, & nihil applicatur Fiſco: & hoc caſu Iudicium dicitur Ciuile, non autem Criminale. Et nota hanc concluſionem; apparet enim prima facie dura; eo quia, talis actio videtur intenta ta ad publicam vindictam; præſertim ſi officium de cuius priuatione agitur eſſet publicum: nihilominus ita eſt tenenda, & in ea omnes concordant. Quam tamen intellige, & limita; niſi talis pœna priuationis, eſſet ordinaria illius delicti.

Adde quod. Nota Rurſus, quod hęc concluſio habet locum, ſiue agatur ad huiusmodi priuationes præcedẽte accuſatione, vel exceptione partis; ſiue agatur tantummodo via Inquiſitionis.

Sextus. Sextus, & vltimus caſus eſt; quãdo agitur per viam exceptionis, proponendo crimen contra teſtem; non ad effectũ vt puniatur; ſed vt eius dictum nõ recipiatur, vel receptum non noceat. Et hoc caſu omnes concludunt, quod ex quo agitur tantummodo ad commodum priuatum, cauſa dicatur merè Ciuilis: quod ſecus eſſet, ſi tale crimen proponeretur ad puniendum.



QVAE-

QVAESTIO II.

De accusationis criminalis concursu simul, cum actione Ciuili.

Vers. 1. NOn potest vtraque actio; Ciuilis scilicet, & Criminalis, ab eodem accusatore, & contra eundem, ex eadem causa, æque principaliter, in eodem libello intētari. Quia causa criminalis est maior, & dignior quam Ciuilis: & vbi vna causa est maior altera, non possunt duæ actiones simul cumulari. Si autem Actor intētat Iudicium criminale principaliter, & deinde incidēter petat, etiam rem ablatā sibi restitui, eo casu, admittit talis petitio. Et pari ratione, admittitur libellus criminalis, concludens delinquentem de delicto puniri, & condemnari secundum formam Iuris, & statutorum, cum refectione damnorum, interesse, & expensarum. Nota tamen, quod in hoc casu, nō potest Iudex maleficiorū, condemnare reum ad rei restitutionem, vel ad damna partis, quando illū condemnat propter confessionem fictam; hoc est, propter contumaciam: Sed tātummodo quando illū condemnat, quia est testibus conuictus; aut proprio ore confessus. Et ratio est, quia officium Iudicis nō deseruit, nisi verę confessioni. Quod intellige, quando talis condemnatio ad restitutionem rei furtiuæ, non veniret ex eadem lege, vel statuto, talem pœnam imponente: quando autem, eadem lex imponeret pœnam criminalem, & rei restitutionem, non est dubium, quod vtraque condemnatio, simul proferri posset; etiam contra contumaces. Quia non debet eadem dispositio diuerso Iure censeri. Est etiam annotandum; vt illud quod dicitur, non posse Iudicem maleficiorum, cognoscere de restitutione rei furtiuę, nisi incidenter; habet locum non modo, quando proceditur ad querelam partis; & sic per viam accusationis: sed etiam quādo proceditur ex officio; hoc est, per Inquisitionem.

Et hæc quidem.

Non potest rursus accusator, postquam intentauit Iudicium criminale, intētare Iudicium Ciuile, ex diuersa *Aut quando*


uersa

uersa causa. Quia esset valde iniquum, quod per huiusmodi litem Ciuilem, impediretur reus in suis defensionibus faciendis.

Sed quæro. In reo conuento, etiam concludendum est; quod si conuentus est Iudicio Ciuili, potest ipso pendente accusare actorem criminaliter, tam ex causa penitus separata; quam etiam ex causa oriente ex eodem Iudicio; prout quotidie fieri videmus, quando reus accusat de falso testes actoris, qui contra eum deposuerunt in causa Ciuili, & etiam ipsum actorem qui eos ꝓduxit. Et nota quod eo casu, suspenditur Iudicium Ciuile, donec fuerit super criminali pronunciatum. Et hoc propter præeminentiam, & maioritatē Iudicij criminalis. Quod tamen intellige, vt suspendatur quo ad hoc tantum, ne posſit super eo ferri sententia; non autem quo ad hoc, vt impediatur quò minus in ipso Iudicio ciuili posſit procedi, vsque ad conclusionem in causa.

Sed quid. E' conuerso autem pendente Iudicio Criminali, non potest reus conuenire ciuiliter suum accusatorem, etiam ex alia causa; & penitus separata. Et ratio est, ne propter talem litem ciuilem, distrahatur accusator à prosecutione Iudicij Criminalis; in quo vertitur publicum interesse; ne scilicet delicta impunita remaneant.

Vlterius quæro. Ex supradictis, oritur difficultas, an absoluto iudicio ciuili, contra aliquē intentato, possit postea actor contra eundem intentare actionem criminalem ex eadem causa: an è conuerso absoluto iudicio criminali, intētare actionem ciuilem. In quo dubio tenendum est; quod si actio Ciuilis, & Criminalis tendunt ad diuersa, tunc potest agi altera via, non obstāte quod prius actum sit vna: Si verò tendunt ad eundem finem, tunc vna intentata altera tollitur. Cum autem hodie ex quocunque crimine possit Iudex ex officio inquirere; nō admitteretur reus, qui contra querelam, siue accusationem contra se porrectam, opponeret huiusmodi exceptiones, ad euitandum Iudicium criminale.



QVAE-

QVAESTIO III.

Quibus modis criminaliter procedatur.

Vers. 1. DVobus tantum modis proceditur in causis criminalibus. Aut ex officio: aut ad instantiam partis. Quod intellige, loquendo de inquisitione particulari quam facit Iudex cōtra aliquem; de qua hic tantummodo tractare intēditur: (Omissa illa inquisitione generalissima, quæ fit per officiales: hoc est, bānum generale, quod faciūt per proclama, in principio sui officij, contra omnes homines malę conditionis & famæ. Et omissa pariter illa inquisitione generali, quā facit Iudex, statim constito de delicto, ad inuestigandum delinquentem.) Ad instantiam igitur partis proceditur; quando pars offensa, vel alius ad quem de Iure, spectare potest Ius accusandi, porrigit accusationē, seu querelā, & super ipsa querela proceditur. Et hoc appellatur procedere per viā accusationis.

Ex officio proceditur, quando Iudex à se ipso, & ex suo officio assumit informationes contra delinquētem, & contra eum procedit: & hoc dicitur, procedere per viam inquisitionis.

Nota igitur, quod in hoc proposito multi falluntur cogitantes, quod procedere per viam inquisitionis sit, quando Iudex trāsmittit reo inquisitionem; in quo grauiter errant. Actus enim inquisitionis, baptizatur, & appropriatur primo actui, mediante quo, per viam officij, iudex videtur velle procedere cōtra aliquem, non autē attribuitur actibus sequentibus processus. Et ideò rectè loquendo, Inquirere contra aliquem, non est ei transmittere Inquisitionē; sed est, recipere testes, seu informationes contra illū. Charta verò Inquisitionis, siue libellus criminalis, qui contra reum formatur, atque ei intimatur cū termino comparendi, est actus communis vtriq; modo procedendi. Et propterea indifferenter transmittitur reo absenti, tā si procedatur ad accusationem, seu querelam partis; quam si procedatur ex officio. *Et aduerte.*

Neque

Neque etiam formare inquisitionem contra aliquem, est ipsam chartam, seu libellum inquisitionis ei transmittere; hoc enim potius est illum citare: sed est facere processum informatiuum, assumendo informationes, & indicia contra eum super aliquo delicto. Ex quibus deinde informationibus, seu inditijs elicitur titulus criminis, & series facti, quod quidem factum, narratur postea in ea charta, quam nos appellamus inquisitionem: quæ sic formata, & in scriptis redacta transmittitur reo in vim citationis, & libelli.

Debes autẽ. Nota rursus, & tene mẽti; Quod licet de Iure communi (tã Canonico, quam Ciuili) iste mod⁹, seu remedium procedendi contra delinquentes per accusationem, seu querelam, dicatur remedium ordinarium; & modus inquisitionis, siue ex officio, dicatur extraordinarium; *Ex hac autẽ* vnde oriuntur illæ dubitationes; an pars volens accusare, præferatur Iudici inquirenti; An etiam cępta iam inquisitione, Accusator superueniens faciat eam cessare; & aliæ similes; eo quia de Iure, semper remedium ordinarium facit cessare extraordinarium. Tamen *Sed certè.* hodie cessant omnes istæ difficultates, quia de generali ferè cõsuetudine (quicquid sit de Iure communi) in quocunque casu siue delicto hodie permissum est Iudici procedere ex officio: & sic remedium Inquisitionis est factum ita ordinarium quemadmodum remedium accusationis. Et Ratio est; quia hodie de consuetudine, in quocunque crimine regulariter Fiscus efficitur accusator: & aduocati & syndici fiscales, assumunt partes accusatoris, etiam si pars nõ querelet: & ita apud nos seruatur in practica.

Hinc infertur. Hinc infertur, quod licet de Iure communi; accusatio, & inquisitio non possint simul cumulari; imò accusatio faciat cessare inquisitionem: nihilominus tamen (attenta hac generali consuetudine) vnum ex istis duobus remedijs, accusationis scilicet, & inquisitionis, non facit cessare aliud; sed ambo simul concurrunt, seu concurrere possunt; in principio, medio, & fine, totius Iu-

dicij criminalis. Quapropter, etiamsi Iudex procedat ex officio pro aliquo delicto, quandocunque tamen superueniat pars, quæ velit querelare, semper admittitur: & è conuerso, si pars ab initio querelet quãuis postea desistat, non propterea cessat Iudex ex officio accipere informationes, & examinare testes, etiam non productos, nec subministratos à parte. Adeò, quod modus procedendi, qui hodiernis tẽporib⁹ obseruatur, est quidam modus, in quo potest cõcurrere mixtura, seu cumulatio vtriusque remedij; scilicet, ex officio, & ad instantiam partis: & vnum ab altero non impeditur; quinimo multoties concurrunt, denunciatio, inquisitio, & accusatio in eodem processu. Quo quidem stylo; ac parti, ac Iudici; & fauori priuato, & publico remanet satisfactum. Vltra quod, cessant omnia inconuenientia; & omnis suspicio collusionis, quæ poterat esse in accusatore. Et etiam remanent superfluæ, tot Practicæ, & Cautelæ, quæ à Doctoribus traduntur in hac materia. Bene verum *Superflua.* est; quod vbi non vigeret talis consuetudo; standum esset in terminis Iuris communis, & haberẽt locũ ipsæ cautelæ à Doctoribus subtiliter inuentatæ.

QVAESTIO IV.

De Delicto, & quomodo constare debeat Iudici.

NVnquam debet Iudex procedere ad aliquẽ actum, nisi prius illi constet, delictum ipsum fuisse commissum. Est enim vulgaris, & trita Iuris conclusio; quod ante omnia debet constare de delicto. Sed est animaduertendum, quod aliter debet cõstare de delicto ad effectũ torquendi, seù condemnandi; & aliter quo ad effectum inquirendi, seu procedendi. Quia ad inquirendum, sola quærela, vel denunciatio sufficit; imo tenetur Iudex, habita querela, seu denunciatione, statim procedere, vel inquirere; aliàs si in hoc fuerit negligens poterit puniri, tam de Iure communi, quam ex decretis hui⁹ Du- *Vers. 1.*

catus

catus. Ad torquendum autē, & condemnandū debet prius cōstare, delictum verè, & realiter fuisse commissum. Adeò, vt etiam si reus cōfiteretur, delictū aliquod commisisse, nō posset condemnari; nisi de ipso delicto, aliter quam ex eius confessione appareret.

Scias tamen Nota igitur, quod alia sunt delicta, quæ committuntur solo animo, vt hæresis. Alia quæ committuntur facto. Rursus, eorum quæ committuntnr facto; alia sunt facti transeuntis, alia facti permanentis. Facti transeuntis dicuntur illa; quæ post se nulla relinquunt vestigia: verbi gratia, adulterium: & alij coitus q sine fractura cōmittū tur; furtum pariter sine fractura, Iniuriæ verbales, & similia.

Quando vero. Facti autem permanentis illa dicuntur: quæ post se aliqua relinquunt vestigia: verbi gratia, homicidium relinquit cadauer: incēdiū relinquit locū cōbustum, & his similia. His præmissis animaduertendum est; quod in his criminib⁹, quæ aut committuntur solo animo, aut facto transeunte, non requiritur ad procedendum aliqua inuestigatio delicti: sed statim porrecta querela, debet Iudex inquirere contra delinquentem, assumendo informationes, & habitis indicijs illum carcerari, vel citari facere. In his verò, quæ sunt facti permanentis; requiritur inuestigatio delicti, antequam procedatur contra delinquentem: quia licet sit porrecta querela, vel denunciatio, non dicitur legitimè constare de delicto; nisi prius Iudex, aut curia corpus ipsum, seu locum incendij oculis subijciant. Quamobrem statim atque ad Iudicis notitiam peruenerit, delictum fuisse commisſū: verbi gratia, hominem esse interfectum; debet ipse accedere ad cadauer visendum, vel mittere notariū, qui ipsum inspiciat, & vulnera describat. Et etiam debet recognosci Cadauer per testes, qui dum in humanis esset, illum cognouerunt, si id fieri potest; si uero cuius esset ignoratur, debet per vestes, & signa describi, & particulariter annotari omnia vulnera, licet enim ignoretur nomen occisi, dummodo constet de corpore, satis dici-

tur constare de delicto, ad hoc vt procedatur etiam ad condemnationem.

Et Nota; quod similiter in Furto, procedit inquisitio contra furem narrando quod furatus est contra voluntatem domini, licet non sit aliquis dominus nominatus.

Animaduertat igitur Notarius, vel Iudex, dum visitat cadauer; quod describat, seu describi faciat vulnera particulariter, cum omnibus qualitatibus suis, & cum quo genere armorum illata videantur, & an punctim uel cæsim: & etiam describat mortalia pro mortalibus, & non mortalia pro non mortalibus; quia hæc quandoque sunt magnæ importantiæ, ad cognoscendum à quo sint illata vulnera; puta, ex genere armorum quo apparet ex processu, quemlibet ex vulnerantibus eo tempore fuisse armatum. Relatio huius visitationis communiter in Italia appellatur *Visum, & repertum*; quia notarij per illa verba, eas incipiunt in actis redigere. Est autem scitu dignum; quod quandoque Senatus, aliquos imputatos de Homicidio, coegit ad præstandam fideiussionem de se præsentando toties quoties &c. licet de cadauere non appareret; & hoc, ne si postea cadauer repertum fuisset, illi possent fuga impuniti euadere. Et quandoque iussit procedi contra quosdam, qui fuerant visi cum eo qui dicebatur interfectus; etiam quod cadauer repertum non fuisset.

Quando dubium fuerit Iudici, an scelere vel alia de causa homicidium factum sit: verbi gratia, si aliquis repertus fuerit mortuus in puteo; potest enim esse, quod se ipsum præcipitauerit, vel quod ab alijs fuerit præcipitatus, & etiam quod casu ceciderit. Aut si repertus fuerit mortuus habens signa veneni: potest enim esse venenum in corpore generatum; & ab alijs propinatum; & etiam ex aeris corruptione contractum. Tali casu debet omnino inquirere, & informationes assumere, non quidem tanquam de maleficio, sed vt veritatem facti intelligat, ex qua deinde apparere possit, an sit delictum vel ne; adhibendo etiam vbi opus sit Iudicium medicorum, vel aliorum peri- *Hæc autem.*

rito-

ritorum. Et vbi ex informationibus assumptis cōstet scelus nō interuenisse, silebit processus: vbi verò resultet aliquod Indiciū, poterit ad vlteriora procedere. Et hoc modo nihil ei imputabitur: quod seruatur in practica à cautis Iudicibus, & assessoribus.

Quando vero. Quæ dicta sunt in homicidio, pariter sunt intelligenda in omnibus alijs delictis quorum remanent vestigia: puta, in incendio; vt visitetur locus incendij, & reliquiæ combustionis. In furto, vt videatur fractura facta in Arca, ostio, vel pariete. In stupro illato puero; aut vi illata puellæ, vt inspiciantur partes pudendæ per obstetrices, vel Chirurgos, vel alias personas. Et vbi ipsæ referant cum iuramēto, se credere stuprum illatum, vel puellam corruptam fuisse, satis dicetur cōstare de delicto; quo ad hoc, vt cōtra delinquentē ꝓcedi posit.

QVAESTIO V.

De inquisitione, & in quibus casibus procedi per eam posit.

Vers. 1. POstquam Iudici legitimè constat delictum fuisse commissum; debet statim super ipso delicto inquirere, vt quam primū sciri posit, quis illud cōmiserit. Qua in re maximè necessaria est celeritas, & diligentia, ne forte propter moram; Aut delinquens ipse fugiat; aut detur spatiū eius fautoribus, & amicis, testes de negotio informatos subornandi, & à veritatis dispositione deterrendi.

Quæro. Licet regulariter de Iure Ciuili, non posit Iudex per inquisitionem contra aliquem procedere: cum nemo sine accusatore damnetur. Tamen de consuetudine regulariter in omnibus casibus, potest Iudex, (vt supra dictum est) per viam Inquisitionis procedere.

Scias etiam. Notà, quod etiam de Iure communi adsunt multi casus exceptuati, in quib' circunscripta omni consuetudine, potest ex officio procedi; Adeò vt de facili posset fieri regula in contrarium. Qui quidem casus passim enumerantur à Doctoribus criminalistis. Hæc autem omnia intelligenda sunt cum grano salis: hoc est, quod in quocunq; casu, in quo Iudex; sine

tur constare de delicto, ad hoc vt procedatur etiam ad condemnationem.

Et Nota; quod similiter in Furto, procedit inquisitio contra furem narrando quod furatus est contra voluntatem domini, licet non sit aliquis dominus nominatus.

Animaduertat igitur Notarius, vel Iudex, dum visitat cadauer; quod describat, seu describi faciat vulnera particulariter, cum omnibus qualitatibus suis, & cum quo genere armorum illata videantur, & an punctim uel cæsim: & etiam describat mortalia pro mortalibus; & non mortalia pro non mortalibus; quia hæc quandoque sunt magnæ importantiæ, ad cognoscendum à quo sint illata vulnera; puta, ex genere armorum quo apparet ex processu, quemlibet ex vulnerantibus eo tempore fuisse armatum. Relatio huius visitationis communiter in Italia appellatur *Visum, & repertum*; quia notarij per illa verba, eas incipiunt in actis redigere. Est autem scitu dignum; quod quandoque Senatus, aliquos imputatos de Homicidio, coegit ad præstandam fideiussionem de se præsentando toties quoties &c. licet de cadauere non appareret; & hoc, ne si postea cadauer repertum fuisset, illi possent fuga impuniti euadere. Et quandoque iussit procedi contra quosdam, qui fuerant visi cum eo qui dicebatur interfectus; etiam quod cadauer repertum non fuisset.

Hæc autem. Quando dubium fuerit Iudici, an scelere vel alia de causa homicidium factum sit: verbi gratia, si aliquis repertus fuerit mortuus in puteo; potest enim esse, quod se ipsum præcipitauerit, vel quod ab alijs fuerit præcipitatus, & etiam quod casu ceciderit. Aut si repertus fuerit mortuus habens signa veneni: potest enim esse venenum in corpore generatum; & ab alijs propinatum; & etiam ex aeris corruptione contractum. Tali casu debet omnino inquirere, & informationes assumere, non quidem tanquam de maleficio, sed vt veritatem facti intelligat, ex qua deinde apparere posit, an sit delictum vel ne; adhibendo etiam vbi opus sit Iudicium medicorum, vel aliorum perito-

ritorum. Et vbi ex informationibus assumptis cõstet scelus nõ interuenisse, silebit processus: vbi verò resultet aliquod Indiciũ, poterit ad vlteriora procedere. Et hoc modo nihil ei imputabitur: quod serua tur in practica à cautis Iudicibus, & assessoribus.

Quando vero. Quæ dicta sunt in homicidio, pariter sunt intelligenda in omnibus alijs delictis quorum remanent vestigia: puta, in incendio; vt visitetur locus incendij, & reliquiæ combustionis. In furto, vt videatur fractura facta in Arca, ostio, vel pariete. In stupro illato puero; aut vi illata puellæ, vt inspiciantur partes pudendæ per obstetrices, vel Chirurgos, vel alias personas. Et vbi ipsæ referant cum iuramẽto, se credere stuprum illatum, vel puellam corruptam fuisse, satis dicetur cõstare de delicto; quo ad hoc, vt cõtra delinquentẽ ꝓcedi posit.

QVAESTIO V.

De inquisitione, & in quibus casibus procedi per eam possit.

Vers. 1. POstquam Iudici legitimè constat delictum fuisse commissum; debet statim super ipso delicto inquirere, vt quam primũ sciri posit, quis illud cõmiserit. Qua in re maximè necessaria est celeritas, & diligentia, ne forte propter moram; Aut delinquens ipse fugiat; aut detur spatiũ eius fautoribus, & amicis, testes de negotio informatos subornandi, & à veritatis dispositione deterrendi.

Quæro. Licet regulariter de Iure Ciuili, non posit Iudex per inquisitionem contra aliquem procedere: cum nemo sine accusatore damnetur. Tamen de consuetudine regulariter in omnibus casibus, potest Iudex, (vt supra dictum est) per viam Inquisitionis procedere.

Scias etiam. Notà, quod etiam de Iure communi adsunt multi casus exceptuati, in quib⁹ circunscripta omni consuetudine, potest ex officio procedi; Adeò vt de facili posset fieri regula in contrarium. Qui quidem casus passim enumerantur à Doctoribus criminalistis. Hæc autem omnia intelligenda sunt cum grano salis: hoc est, quod in quocunq; casu, in quo Iudex;

sine

siue de Iure communi, siue statutario, siue ex consuetudine, potest procedere ex officio, & sic per viam inquisitionis; nunquam potest procedere à se ipso, ad inquirendum, siue ad assumendas informationes, vel Indicia specialiter contra aliquem, nisi aliquid præcedat, quod aperiat viam Inquisitioni; verbi gratia diffamatio, vel querela partis, vel denunciatio, vel clamor, vel his similia: alitèr enim processus esset ipso Iure nullus, etiam si delictum fuisset deinde plenè probatum: & reus veniret absoluendus; & ita obseruauit Senatus.

Et nota, quod in hoc non attenduntur, notificationes factæ extraiudicialiter; neque illæ quæ fiunt incerto auctore, & suppresso nomine notificantis: nā super huiusmodi notificationibus, prohibitū est procedi, etiamsi in eis, essent nominati testes de ipso delicto informati: & sic, si super eis fieret processus, esset ipso Iure nullus: & delinquentes absoluerentur: & de hoc extat decretum in nouis constitutionibus: Et ita etiam obseruat Senatus. Quod quidem fuit à Iure introductum ad refrenandam malitiam, & propter prauitatem Iudicum: q si dareteis facultas pcedēdi ex abrupto, cōtra oēs ad sui libitum, possent multos indebitè vexare.

Bene verum est, quod absque eo, quod aliquid specialiter præcedat contra aliquem; quotiescunq; Iudici constat, aliquod maleficium fuisse commissum, statim potest inquirere generaliter super ipso maleficio, vt inueniat personā, quæ ipsum commisit, & habito aliquo indicio contra aliquem, vocat deinde illum ad se defendendum. Et ita seruat totus mūdus. *Poterit.*

Practica igitur est; quod si non fuerit contra aliquē porrecta querela, vel denunciatio; vel aliter aperta via Iudici ad specialiter inquirendum; sed tantum constet delictum fuisse cōmissum: Iudex statim ex officio, inquirit generaliter interrogando testes, quos putat de negotio informatos, in genere; an sciant quis delictum commiserit, neminē nominando. Quando verò certus est delinquens; puta, quia porrecta est contra aliquem querela, vel denunciatio, tunc Iu-

Iudex non inquirit generaliter; sed specialiter interrogando testes, quid sciant de contentis in ipsa querela, vel denunciatione, in qua ille est specialiter nominatus. Tunc autem illa inquisitio generalis, transit in specialem, qñ testes qui sunt in genere interrogati, nominant in specie delinquentem: eo enim casu, illa nominatio aperit viam Iudici, ad inquirendum specialiter cõtra illum nominatum. Nã vbicunque ex informationibus assumptis, super inquisitione generali, oritur aliquod Indiciũ de crimine contra aliquem; illud indicium, licet receptum sit parte non citata; inducit tamen præsumptionem contra eum, quæ sufficiens est ad inquirendum specialiter contra ipsum. Et nedum ad inquirendum; sed etiam ad eum capiendum, aut citandum, absque alia speciali inquisitione.

QVAESTIO VI.

De diffamatione; & quomodo aperiat viam ad inquirendum.

Vers. 1. INTER cętera pręambula, quæ aperiunt viam Iudici, ad Inquirendũ specialiter contra aliquem, est diffamatio: ipsa enim succedit loco accusationis; & per eam, quasi videtur Populus ipse; illum diffamatum, vt reum criminis, Iudici deferre. Est tamen annotandum, quod licet solitum fuit dici, quod de Iure communi, ad hoc vt possit procedi ex officio, siue per viam inquisitionis, requiratur quod pręcedat diffamatio rei de crimine, pro quo Iudex cõtra eum procedere intendit: hoc est, qd inprimis recipiatur particularis informatio de ipsa fama: hęc tñ practica (apud nos) nõ obseruatur, nisi quando alia indicia haberi non possunt. Sed quod obseruatur est, quod eo quia plerũque contingit, delicta occultè committi; quo casu difficile, & etiam quandoque impossibile est, inuenire testes, qui de veritate criminis deponant (Quod quidẽ etiam sæpe numero euenire solet, in delictis palam commissis, eo quia vnusquisque se excusat quantũ potest, à testimonio ferendo in causa criminali, contra aliquem in offensam) solent Iudices postquam *Sed quoniã.*

eis

eis legitimè constat delictum fuisse commissum, neque reperitur testis, qui de ueritate criminis specialiter deponat, interrogare eos generaliter super fama, vt intelligãt quis sit de ipso crimine diffamatus. Et vbi ex ipsis informationibus assumptis super infamia, resultet suspicio contra aliquem, procedunt ad vlteriora specialiter cõtra eum, super ipso crimine inquirendo: & sic vnico contextu, assumuntur informationes super veritate criminis, & super diffamatione.

Sciendũ est. Sciendum autem est, qđ ista fama, probatur etiam per duos testes tantum: In ore enim duorum, vel trium stat omne verbum.

Illud tamẽ. Qui quidem testes, debent reddere causam scientiæ: eo quia semper debet testis deponere, de his quæ sensu corporis percipiuntur.

Debent etiã. Nnon autem est necessarium quod dicant se illud audiuisse à maiori parte populi; sed sufficit, qđ deponant se illud audiuisse publicè dici. Et interpretatur hoc verbũ publicè; nõ ex eo quod fuerit dictum in loco publico; sed publicè, idest publica, & alta voce à populo: Et hæc est aptior expositio, & secundũ communem intellectum loquentium.

Sed quid si non. Nota tamen, quod tenẽtur testes deponentes super fama, siue fuerint interrogati siue nõ (cõmunis tamen practica est, vt interrogẽtur) nominare eos à quibus audiuerunt, vt possit Iudex perpendere ex eorum qualitate, quanta sit illis fides adhibẽda; aliàs enim in criminalibus non probant. Et ratio est, Quia fama debet habere originem à personis honestis, & fide dignis, non autem à maleuolis, vel improbis. Quod tamen intellige, nisi agatur de re turpi: nã eo casu non esset contẽnenda fama quæ ortum haberet à turpibus personis: verbi gratia, si agatur de re commissa in lupanari, poterit oriri fama à meretricibus & lenonibus: non autem à Doctoribus, vel Equitibus, qui non solent ibi conuersari. Sic etiam si agatur de chartis, vel taxillis falsis, poterit fama ortum habere à lusoribus & barris, & non erit per Iudicem reijcienda.

Postremo scias. Nota Rursus, quod testes super fama deponentes,

tes, debet scire quid fama sit: Adeò quod si interrogentur quid sit fama, & respondeant se nescire, nihil probant.

Quæro nunc. Hoc igitur supposito; qđ apud nos non obseruatur, vt processus inchoetur super sola diffamatione, nisi aliquid concurrat quod aperiat viā Iudici ad procedendum. Et quod neque attenditur principaliter diffamatio, nisi quando alia indicia haberi non possunt: est animaduertēdum si casus contingeret, quod debet Iudex, habita informatione super infamia, si reꝰ est presēs illū interrogare; si vero absēs illum citare, & interim perquirere fortiora Indicia super ipso crimine. Nam Indicium famæ solum; licet sufficiat ad inquirendum, non tamen sufficit ad torturam. *Successiuè.*

Sed quod si ...eus. Hinc infertur, quod cū non seruetur de consuetudine; ut prius assumantur indicia super fama, deindesuper crimine, sed omnia eodem contextu recipiantur: Iudex circa copiā diffamationis dādam, vel denegandam reo inquisito; debet obseruare, ea quæ obseruat in danda copia aliorum indiciorum.

QVAESTIO VII.

De denunciatione, & quomodo aperiat viam Iudici ad inquirendū.

ALius etiam adest modus, per quem aperitur via Iudici ad inquirendum: scilicet, quando fit denunciatio apud acta; quod aliquis maleficium commiserit. Qui quidem non est modus separatus ab inquisitione: nam denūciatio nihil aliud operatur, nisi quod succedit loco diffamationis, vel querelæ; & sic aperit viam Iudici ad inquirendum ex officio cōtra aliquem, quod aliàs de Iure nō posset, non præcedente querela, vel diffamatione. Facta igitur denunciatione (aut per illum qui denunciat necessitate sui offici, aut per alium voluntariè denunciantem) Iudex super ea assumit informationes, & Indicia; & eis assumptis format libellum, siue inquisitionem, in qua narrat, quomodo propter denunciationem datā per talē officialem, inten- *Vers. 1.*

dit ex officio procedere, contra &c.

Quaro igitur Ad intelligẽdum igitur quæ perſonæ poſſint denũciare; diſtinguendum eſt; Quod aut agitur de delicto ſuper quo ex forma ſtatutorum, vel conſuetudinis, non poteſt procedi, niſi ad inſtantiam partis; & tunc, ille qui de Iure non poteſt accuſare, nec etiam poteſt denunciare: quia aliàs fieret fraus legi, ſi ille qui non poteſt accuſare, admitteretur ad denunciãdum. Aut vero agitur de delicto, pro quo poteſt Iudex procedere ex officio, & ſic per viam inquiſitionis, & tunc de conſuetudine (quicquid ſit de Iure) quilibet admittitur ad denunciandum, ſiue denunciet motu proprio, & volũtariè, ſiue ex neceſſitate officij. Quia publicè intereſt delicta ad magiſtratuum notitiam quomodocũque peruenire, ne impunita remaneant.

Habet igitur Hæc autem cõcluſio generalis; quod ſcilicet, dictum denunciantis maleficium ſufficit ad inquirendum; intelligenda eſt, vt procedat quo ad inquirendum; ideſt, recipiendum indicia ſiue informationes, contra eum qui pro reo nominatur in denunciatione. Si enim illam intelligere velis, ad inquirendum: ideſt, tranſmittendum Inquiſitionẽ contra eum, qui de ipſo delicto imputatur: tunc diſtinguẽdũ eſt. Aut enim talis denunciatio fit per ipſam partem offenſam; Et de Iure non ſufficit, etiam ſi ipſe denuncians ex vulnere moriatur; & in ipſa denũciatione vſque ad mortem perſeueret; (licèt in hoc vltimo, conſuetudo obſeruet contrarium, vt dicetur infra q.21.) Aut fit per tertiam perſonam priuatã, voluntariè denunciantem; Et pariter non ſufficit, quia in tali denunciatione fungitur loco accuſatoris: & ſic licet talis iuret, & deponat de viſu, nullũ pôt ex ei⁹ dicto fieri fũdamẽtũ. Aut tandẽ fit per ſyndicum, ſiue officialem deputatũ auctoritate publica, ad huiuſmodi denũciationes faciẽdas: Et tũc rurſus diſtinguendum eſt. Nam aut ipſe teſtificatur cum iuramento, vera eſſe ea quæ denunciat, & reddit cauſam ſcientiæ: & tali caſu facit fidẽ, ſicut alius teſtis, qui ſuper delicto depo-

poneret; Et sic potest super eius dicto formari inquisitio. Aut non deponit sup delicto, sed dicit alios esse informatos; et tunc eius dictum nihil operatur, sed tantũmodo aperit viã Iudici ad inquirẽdum: Et non potest super eo procedi, nisi legitima adsint Indicia: & ita obseruatur. Bene verum est, quod si huiusmodi denũciator; fuisset deputatus nõ modo ad denunciandum, sed etiam ad custodiendum agros, vel passus; vel ad capiendũ fraudãtes gabellas, vel deferentes arma vel alios, prout sunt birtuarij (aut illi qui Mediolani *burlandetti* appellantur) tunc daretur eis plena fides, in causis, & delictis leuibus, non modo ad Inquisitionẽ formandam; sed etiam ad condemnandum; nisi denunciatus probaret suam innocentiam. In causis autem grauibus, & in quibus imponitur pœna corporalis; quia vt plurimum, sunt viles personæ, & infames; & sic non omni exceptione maiores, non esset eis danda plena fides, nisi ab alijs circunstantijs Iudicis animus moueretur.

Scias autem. Antiquis tẽporibus Magistratus deputabant officiales, qui eis delicta denunciarent: hodie vero cõstituuntur syndici per parrochias, siue castra, qui sũt tanquam officiales constituti, ad denunciandum delicta. Qui quidem tenẽtur denunciare ex necessitate eorum officij, non solum delicta notoria, sed etiam ea quæ sunt occulta: alias puniuntur pęna in statutis ciuitatũ, seu locorum, expressa: nisi forte delictum esset itą occultum, aut remotum ab illorum domibus, quod syndicus illud non denuncians excusari posset: & ita Senatus de facili excusat huiusmodi consules, seu antianos, ob non factas denũciationes; vbi non potest in eis argui dolus, vel lata culpa. *Scias etiam.*

Sed quæro. Tenentur similiter tales syndici denunciare, etiam ea maleficia quæ sunt de Iure impunita: verbi gratia, si bannitus occisus fuerit, &c. Quia non spectat ad ipsos Iudicare, an delictum sit punibile, nec ne. Et etiam quascunque offensiones, & mortes violentas, etiam si casu contigisse dicantur: puta, si quis in flumine submergatur, vel è tecto decidat. Et ra-

tio eſt; quia plerunq; hęc, & ſimilia doloſè committuntur, & nihilominus attribuuntur caſui. Et propterea bonum eſt, vt ad notitiam Iudicũ perueniant: ad effectum, vt rei veritas detegatur.

Quæro etiã. Et etiam; licet regulariter non admittantur laici, ad denunciandos clericos: (prout neque ad accuſandum) eſt tamen ſpeciale in laico parrochiano: vt poſsit prælatum ſuũ denunciare. Quia plurimum etiam intereſt laicorũ, habere bonos prælatos.

Item quæro. Monachus, in forma Iuditij, non poteſt denunciare, niſi proprium Abbatẽ; extraiudicialiter autẽ, & ad pœnitentiam, poteſt denunciare quemcunque.

Quæro etiã. Forma denunciationis hæc eſt. Syndicus, ſeu officialis ad hoc deputatus, notificat Iudici apud acta, die tali, commiſſum fuiſſe tale maleficium à Titio, & eſſe de eo informatos Petrum, & Ioannem, &c. Et hoc ſufficit, neque tenetur vlterius aliquid facere, ſed relinquit Iudici faciendũ. Quamuis enim de Iure teneatur probare, contenta in ſua denunciatione: attamen communis vſus & practica hoc nõ admittit: ſed ſufficit, quod in cedula denunciationis inſcribi faciat nomina teſtium, qui dicuntur eſſe infotmati de cõtẽtis in denuncia. Si autem non potuerit talis denunciãs ſcire nomen delinquentis, & teſtium; ſufficit quod dicat in denũcia, nomina eorum à quibus illud intellexit. Et tunc Iudex facit citare partem offenſam, vt habeat Indicia; & plerunq; etiam mandat ipſimet denuncianti, vt melius ſe informet, & termino bidui, aut tridui iterum curiæ referat. Neque hodie tenetur talis ſyndicus denuncians ſe ſubſcribere ad pœnam talionis; neque alias ſolemnitates Iuris facere; ſed tantummodo ſuam denunciationem in ſcriptis deferre, iuxta dictam formam, aut eã narrare notario, qui (ipſo dictante) illam redigat in actis. *Vlterius quæro.*

Et nota, quod licet regulariter de Iure, reo abſoluto, veniat accuſator in expenſis condemnandus propter calumniam. Tamen de conſuetudine iſti Syndici, nõ puniuntur propter calumniam: nam ex quo denunciant ex neceſſitate *Sed nũquid.*

tate eorum officij; cessat omnis præsumptio calumniæ, Quod procedit in calumnia præsumpta; quæ scilicet oritur ex eo ipso, quod delictum non probatur. *Sed si apparet.* Secus autem esset, si appareret de calumnia vera; tunc enim deberet talis denunciator, in expensis condemnari: & forte ēt grauius puniri, arbitrio Iudicis. Vbi verò denunciator, nō necessitate officij; sed sponte, & volūtariè accederet ad denunciandū: tunc si succumbat condemnabitur ratione calumniæ sicuti accusator.

QVAESTIO VIII.

De deprehenso in flagranti crimine, & quomodo contra eum procedatur.

Vers. 1. NVlli dubium esse potest; quod etiam aperitur via Iudici, nulla querela, aut denunciatione præcedente, quando delinquens, est in flagranti crimine deprehensus: tunc enim nedum potest Iudex contra eum inquirere, sed etiam procedere vsque ad sententiam Iuris ordinē non seruato.

Non autem deprehensio ī crimine, ex se facit plenā probationem; sed tantummodo operatur, vt reus possit torqueri. *Scias tamen* Et ideò Iudex nō procedat statim ad executionem, contra eum qui ad prætorium ducitur; tanquam deprehensum in flagranti crimine: nisi aliter etiam constet tale delictum ab eo commissum fuisse. Solent itaque cauti Iudices, tales homines, qui ad eos conducuntur, tanquam deprehensi in flagranti crimine, examinare; & vbi fateantur, exequi pœnam contra ipsos: vbi verò negent statim absque alio processu ducere ad torturam, vt eos cogant ad delictū confitendum.

Et nota, quod licet talis reperiatur innocens, non propterea Iudex qui illum torsit, tenebitur in syndicatu. Quia illa inciuilis ductio, ipsum ita ductum, in illud periculum posuit. Vtere tamen hac tortura velut homo discretus, secundum causam, qualitatem, & conditionem personę; ne aliàs vt Iudex peruersus recipias punitionē.

Hęc

Hęc etiã omnia intellige, vt procedant in grauibus delictis; pro quibus etiam pœna grauis imponitur. In leuibus autem, potest Iudex repertum in flagrãti crimine ponere ad catenam; vel berlinam (vt vulgo dicitur) absque alio ꝓcessu: & tandem in omnibus sequatur consuetudinem loci in quo Ius dicit. Nam quãdoque videmus, quod inuenti ad furandũ vuas, per officiales rectorum, absque interlocutoria, aut diffinitiua, ducuntur cum vuis ad collũ per ciuitatem. Et similiter inuenti cum armis de facto ducuntur ad palatium, & compelluntur ad soluendã pœnam, antequam recedant. Quod tamen procedit, in persona vili: Si enim fuerit persona nobilis, vel honesta, non esset punienda pœna infamiæ. Bene verum est, quod etiam quandoque nobiles deprehensi cũ armis, sine processu plectuntur ictibus funis publicè; & non est mala Practica; & ideo fuit sæpius obseruata: licet quandoque ex ea Iudicibus male euenerit. *Sed nũ quid.* Quamuis aliquis fuerit deprehensus in flagranti crimine; attamen in causis capitalibus nõ sunt exequendæ pœnæ contra illũ, non datis defensionibus: nisi reus vltra talem deprehensionem, esset cõfessus, aut legitimè conuictus.

Bene verũ est, quod vbi esset periculũ maioris scandali; puta, qa delictũ esset atrox, & populus magnis clamoribus, postularet eiꝰ suppliciũ non differri, quia esset cõcitata seditio, nec posset de facili sedari, nisi aliquis qui esset deprehensus concitare populum statim suspenderetur: tunc esset Iudex excusandus, qui illud faceret. Licet enim dici soleat, quod vanæ voces populi non sunt exaudiendæ: illud tamen intelligẽdum est; quo ad hoc vt innocens condemnetur (vt contigit Saluatori Nostro Christo IESV) vel vt nocẽs absoluat. Sed bene quãdoque exaudiuntũr, vt pęna nocenti acceleretur, & nõ differatur, donec Principi rescribatur. Et sic in *Quæro.* talibus casibus poterit dari sententia, omissis solemnitatibus requisitis in sententiæ prolatione; sed tantum cũ simplici ordinatione à Iudice subscripta: ob cautelam executorum.

Quantumuis Iudex vi- *Sed pone.*

deat

deat aliquem proprijs oculis, aliquod maleficium cõmittere; nihilominus tamen, non poteſt illum condemnare, niſi aliter probetur. Licet enim lex multũ de Iudice confidat: Vult tamen, quod ſecundum acta, & probata Iuſtitia miniſtretur: alias poſſet Index aliquem ſuſpendi facere, & dicere quod ipſe vidit aliquod maleficium ab eo committi, quod eſſet intolerandum.

Nota verò qđ ex eo, quod Iudex videat aliquem delinquere poterit abſq; alia querela, aut denunciatione, ſtatim ſuper eo informationes aſſumere, & contra eum procedere. Et ſic iſte erit vnus ex caſibus, in quibus aperitur via Iudici ad inquirendum, nulla querela, denunciatione, vel diffamatione præcedente. Adhuc tamen & in hoc caſu, danda eſt reo copia proceſſus, & terminus defenſionis: prout reſcripſit Senatus in cauſa alicuius, qui coram Prętore, & Fiſcali blaſphemauerat.

QVAESTIO IX.

De notorio crimine, & quomodo in eo procedatur.

Notorietas delicti, nõ modo aperit viam Iudici ad inquirendum; ſed etiam facit, vt poſsit vſque ad executionem procedere, iuris ordine non ſeruato. Illud autem crimen dicitur notorium, quod aliqua tergiuerſatione celari non poteſt; prout eſt illud, quod fit coram populo, vel maiori parte populi: ſiue ſit facti permanentis, ſiue facti momentanei. *Verſ. 1.*

Nota tamen, quod non ſufficit factum ipſum eſſe notorium, puta quod Seiꝰ interfecerit Caium; niſi ẽt ſint notorię qualitates ipſius facti; ſcilicet, quod nulla defenſio, aut excuſatio competat Seio, quo minus puniendus ſit pęna homicidij. Poteſt enim eſſe, quod homicidium fuerit ad ſui defenſionem cõmiſſum; vel quod alias Caius potuerit impunè occidi; vel his ſimilia. *Sed aduerte.*

Circa modum procedendi in delicto notorio, animad- *Quæro nunquid.*

maduertendum est; quod si reus fuerit absens, & non adsit suspicio fugæ, citandus est non modo ad sententiam, sed etiam ad processum. Si verò fuerit præsens: hoc est, in carceribus detentus; tunc, vbi certum est nullam habere defensionem, non est citandus; sed tantum verbo monendus; & etiam audiendus, si vult aliquid ad sui defensionē deducere.

Item quæro. Cum aliud sit constare notoriè de crimine; & aliud, constare crimen esse notorium: Ad hoc vt Iudex, super aliquo delicto tanquam notorio, possit ex abrupto procedere; non sufficit quod de eo constet notoriè: verbi gratia, per tres testes de visu; aut per rei cōfessionem; aut aliàs: sed requiritur quod constet Iudici, vt Iudici ex actis; & sic non extraiudicialiter, ipsum delictum de quo agitur notoriè cōmissum fuisse: hoc enim modo dicitur probata notorietas; *Quæro nunc.* quæ quidem probatur legitimè per duos testes.

Quæro etiā. Quando igitur proceditur in crimine notorio, tāquàm notorio; tunc, Aut reus proponit aliquam exceptionem, vel defensionē ad excusandum delictum; & dandus est ei terminus defensionis. Aut ipse fatetur nullam excusationē habere; & non est illi dandus. *Præterea.* In omnem autem casum, requiritur sententia: nam (quicquid sit de Iure) de consuetudine obseruatur, vt etiam in criminibus notorijs requiratur declaratoria. *Plus dicunt.* Et etiam quod plus est; quod non potest dici delictum notorium, quod excusationem nō habeat; nisi prius fuerit super hoc cognitum, & declaratum per Iudicem, illud esse notorium, citato etiam ipso reo. Et ideò Iudices in huiusmodi notorijs cautè ambulent, ne si nimis properent se ipsos inuoluant.

QVAESTIO X.

De querela partis.

Vers. 1. QVerela partis offensę, est etiā vnus ex modis, per quem Iudici aperitur via ad inquirēdum. Et licet isti duo modi procedendi: hoc est, ad querelam, & ex officio; videantur non modo diuersi, sed etiam quodammodo incompatibiles: nihilo-

lominus tamen consuetudo admisit, quod super querela partis, iudex statim incipiat inquirere; scilicet, informationes assumere ex officio.

Scias autē. Querela multum differt ab accusatione; respectu solemnitatis libelli quæ requiritur de Iure in accusatione: & sic iste modus ꝓcedendi, per solemnem accusationem in desuetudinē abijt, & illius loco fuit subrogata querela: quæ est quædā simplex scriptura, quæ datur loco libelli; & debet continere nomen accusatoris, accusati, Iudicis, criminis commissi; & quo loco, anno, & mense commissum fuerit; nec non & diem dati ipsius libelli. Huius simplicitatis querelæ ratio est; quia cum hodie inquisitio, concurrat in omnibus ferè processibus, cum ipsa querela, seu accusatione: ideo Iudex ex officio supplet quoscunque defectus. In casibus autem in quibus, ex forma statuti, vel consuetudinis iudex non posset procedere, nisi ad querelam partis: proculdubio ea quę de Iure possent opponi contra accusatorem, & accusationem; possent etiam opponi contra querelantem, & querelam. Rursus, quando Iudici non est aperta via ad inquirendum, aliter quam per solam querelā, non deberet Iudex procedere super ipsa querela nisi haberet legitima requisita. Contrarium autem plerunque obseruatur ab illis Iudicibus, qui sunt valdè prompti ad procedendum: nec multum super istis subtilitatibus insistūt.

His igitur iā intellectis. *Scias igitur.* Nota, quod tria sunt genera eorū; qui instigatores, seu promotores inquisitionis appellantur. Aliqui enim id faciunt ex necessitate; vel saltem ex debito eorum officij: prout sunt aduocati, & ꝓcuratores, seu syndici fiscales, ad quos maximè pertinet instare assiduè, vt Iudices contra deliquentes inquirant. Alii vero id faciunt ex præcepto, siue deputatione Iudicum; qui solent deputare aliquem coadiutorem, vt loco partis, seu fiscalis assistat inquisitioni. Nam in quocunque casu, in quo Iudex potest ꝓcedere ex officio (si non habet aduocatum seu procuratorem fiscalem ordinarium) potest etiam creare, & constitue-

re fiscalem qui accuset. Quod intellige; non vt hoc modo aperiat viam inquisitioni: Sed vt postquam aliàs est aperta, assistat ipsi inquisitioni, prout faceret accusator. Aliqui postremò, id faciunt spontè, & voluntariè quia comparent in iudicio, & subministrant testes, & indicia contra reos inquisitos.

Quaero nunquid. Nota rursus, quod tales instigatores; Aduocatus scilicet, & Syndicus Fiscalis ordinarius, sunt citandi in causa inquisitionis. Quia in quocunque Iudicio, in quo potest ex officio procedi, Fiscus adest loco partis. Est pariter citandus ille, qui deputatus est à Iudice: nã etiam & ille succedit loco Fiscalis; & idem in eo iudicandũ est, prout in Fiscali. In instigatore autem voluntario, distinguendum est: Aut enim querelauit; & tunc citandus est, non vt instigator, seu promotor inquisitionis; sed tanquam accusator: quia querelæ (vt dictũ est) succedunt loco accusationum; Aut non querelauit, sed tantum instigat, seu promouet inquisitionem, & tunc non est citandus, nisi forsan cõpareat, & petat in actis se citari: tali enim casu, licet prius non querelauerit, habetur loco partis, & citatur; & si succumbat condemnatur etiam in expensis, vt accusator: & ita seruat communis Practica. Alij uero instigatores supradicti; Aduocatus scilicet, vel Procurator Fiscalis, etiam si succumbant, de cõsuetudine (quidquid sit de Iure) nõ tenebũtur ad expensas. *Sed nũquid.* Quia regius Procurator de cõsuetudine nõ subijcitur expensis, actiuè, neque passiuè; nisi forte, dolosè, & calumniosè persequeretur aliquem, nam tunc esset cõdemnandus in expensis, & damnis versus partem; vti quilibet priuatus.

Sed quaero. Licet hodie nemine querelante, Fiscus dicatur succedere loco accusatoris: attamen non tenetur querelam porrigere; sed tantũ proceditur ad informationem eo instante; & semper dicitur instare Fiscus contra delinquentes, etiamsi de huiusmodi instantia, in actis non appareat. Debet tamen prius esse aperta via Iudici ad inquirendum, aliter quam per instigationem solam ipsius Fiscalis: vt Iudicibus præcludatur

via;

via; ſubditos vexandi inde bitis impenſis.

QVAESTIO XI.

Quomodo procedatur via Inquiſitionis.

Verſ. 1. POSITO quod inquirere, eſt informationes recipere contra aliquem, pro aliquo delicto: annotandum eſt, quod hodie de cõſuetudine (quicquid ſit de Iure) fit inquiſitio; tã contra præſentem, quam cõtra abſentem: & ſiue per contumaciam ſe abſentauerit, ſiue non.

Item quæro. Inquiſitio contra abſentem; fit de conſuetudine ſine partis citatione: ad effectum procedendi ad capturam, ſiue citationem contra reum; & ſi ipſe vocatus deinde fuerit contumax, teſtes examinati faciunt fidem, etiam ad ipſum reum diffinitiuè condemnandũ. Si autem comparuerit, tũc atteſtationes talium teſtium examinatorum, abſque citatione partis, nullam faciunt fidem, neque ad condemnationem, neque ad torturam; niſi poſtea parte pſente, aut legitimè citata, vel monita, deponant, vel iam depoſita repetant; & in eis perſiſtant. Quando autem proceſſus fit reo comparente; aut in carceribus exiſtente, tunc examinatur teſtes ipſo citato; alias nullam cõtra eum fidem facerent.

Quo autem ad partẽ offenſam, dicendũ eſt: quod, aut querelauit; & tunc de neceſsitate citãda eſt. Aut nõ querelauit. & tunc quãuis neceſſario citari nõ debeat; tamen cauti, & iuſti Iudices, illam ſemper citari faciunt, ad ſubminiſtrandum indicia, ſi quæ habet ad coadiuuandam intentionem Fiſci: & ita ſeruatur in hoc Ducatu, etiamſi procedatur per inquiſitionem. *Sed quid.*

QVAESTIO XII.

De Accuſatione.

ACcuſatio, eſt delatio alicuius criminis, ad vindictam publicam, legitima interueniente ſubſcriptione. Quę quidem; licet de Iure videatur, quod ſit magis actio, quam officiũ Iudicis. De conſuetudine tamen, quia hodie ſunt ſublatæ, oẽs ferè ſolemnitates, & formę accuſationũ, *Verſ. 1.* *Item quærò.*

(propter quam causam ferè semper, cum accusatione, aut querela partis, officium Iudicis inquirentis simul concurrit) iã non est appellanda actio, sed officium Iudicis; sicut est Inquisitio. Et ideo stante statuto, quod non soluens collectas, non admittatur ad agendum; eo non obstante, non soluens poterit accusare: nam ex eo quod aliquis prohibeatur agere, non prohibetur Iudicis officium implorare. Bene verum est, quod si essemus in casibus in quibus nõ potest ex officio procedi; esset de ea iudicandũ, prout de actione. Iudex autem procedens super accusatione, dicitur procedere officio Iudicis nobili, nõ mercenario.

Quæro quæ. Forma accusationis est, quod fiat in scriptis: & etiam de stylo, & practica nostra potest fieri sola verbali querela, per notariũ in scriptis redacta; modo in cæteris seruentur seruãda: hoc est, quod *Præterea.* apponatur dies, & annus, quo porrigitur accusatio; nomen accusatoris, & accusati: species delicti; & locus, & tempus quo cõmissum fuisse dicitur.

Inprimis igitur debet cõstare in actis, de die quo fuit porrecta querela: non quod hoc sit adeo de substantia, quod si non apponatur vitietur querela: sed quia non constando, posset Notarius tanquam imperitus, aut suspectus, officio priuari.

Deinde requiritur de substantia; quod apponatur locus, & tempus delicti; adeò, quod hoc requisito deficiente, erit accusatio ipso Iure nulla, etiam si pars non opponat. Et ratio est, quia si non exprimeretur locus, & tempus cõmissi criminis; proculdubio redderetur accusatio incerta; quæ incertitudo tolleret defensionem reo; non enim posset probare, negatiuam coarctatam; neque (si opus esset) testes cõtrarios de falso conuincere. Quod quidem procedit non solum quando agitur de crimine criminaliter; sed etiam quãdo agitur de ipso crimine ciuiliter; adhuc enim debet exprimi locus: & præcipuè, quando proponitur actio, ex qua condẽnatio infamat. Quia, vbi agitur actione famosa, licet ciuiliter procedatur; causa tamen dicitur grauis

Dixi exprimenda.

Adde quod.

uis, & æquiparatur criminali; ex quo apud honestos, & probos viros, fama, & vita æquiparantur. Hoc tamen limita, & nota; videlicet, si opponatur à parte; nam eo casu necesse est exprimi locum, & tempus: Sed parte non opponente, quando ciuiliter agitur, procedit libellus etiam si ea non exprimantur. Hinc infertur, quod etiam quando proceditur per viam exceptionis, necessarium est, exprimere in ipsa exceptione, locum, & tempus cõmissi delicti.

Est autem. Locus exprimendus est in accusatione illum designando per cohærentias; *Sed Pone.* quando non est locus certus, & publicè notorius: quando autẽ notorius est, & publicè cognitus; verbi gratia, locus communis, aut Palatium Potestatis, vel his similia; tunc etiam possunt exprimi cohærentiæ, attamen non sunt necessariæ: neque quando delictum est, omissionis; verbi gratia, in Syndico, qui non denunciauit maleficium, vel huiusmodi.

Dixi etiam. Tẽpus etiam delicti exprimendum est: scilicet, annus, & mensis. Sed vltra prædicta, si reus cõpareat, & petat exprimi per accusatorem diem certam delicti, quia fortè intendit, ipse ad suam defensionẽ probare, quod ea die erat in alio loco remoto à loco delicti: tenetur tali casu accusator exprimere diem; non autem illam probare.

Nota tamẽ, & tene menti: quod sufficit, si accusator exprimat diem, tempore quo datur reo terminus suarum defensionum; est enim ei satisfactũ; ex quo potest deinde probare negatiuam in suis defensionibus.

Nota rursus, quod quãuis Iudex posſit cogere accusatorem ad exprimendũ diem, potest nihilominus accusator dicere, quod nõ recordatur de die, & erit excusandus; dummodo id affirmauerit cũ iuramẽto.

Si accusator in sua accusatione, expresserit diem cum non teneretur; quamuis deinde non probauerit diem; non propterea debet succumbere, dummodo aliàs testes deponant, & constet, de crimine: nisi qualitas diei esset de substantia delicti: verbi gratia, si adesset statutum disponens, quod tali die aliquid non fieret. Et sic de- *Sed quid si.*

li-

lictum consisteret in die: aliàs secus. Et propterea solent in libello, apponi illæ clausulæ salutares, videlicet; Non se adstringendo. &c. super quibus omnibus. &c. quæ saluant & sustinent accusationem, & processum, etiam si non sit probata qualitas, deducta in accusatione, modo de substantia: hoc est, de crimine constet.

Dixi quoque. Inscriptionis solemnitas, quæ requirebatur in accusatione: hoc est, quod accusator se subscriberet ad pœnã talionis; quæ quidem optima ratione fuit introducta, ad refrænandam temeritatem accusatorum: (cuius forma erat, quod accusator se obligaret ad similitudinem pęnæ, casu quo non probaret accusationem; & promitteret de accusatione prosequenda vsque ad finẽ.) Licet de Iure Canonico adhuc necessaria sit, & ita seruatur in Curia Romana: In foro autem seculari in desuetudinem abijt. Quia obligatio ad pœnam talionis, venit ex legis dispositione; etiamsi expresse non fiat. Et sic de Iure, præcipuè vero de consuetudine accusator, (etiam si accusationi se non subscripserit) punitur nihilominus pœna talionis, perinde ac si subscripsisset.

Sed dato, quod adhuc talis subscriptio, esset ĩ aliqua Prouincia necessaria; notãdum est, Quod etiam mariti, & alij accusatores de Adulterio, qui præsumuntur accusare propter immensum dolorẽ, & ideo excusantur à pręsumpta calumnia, tenentur se subscribere ad pœnam talionis. Quia licet excusentur à præsumpta, non tamen à vera calumnia excusantur; & sic neq; à subscriptione. *Sed restat tn.*

Mulier etiam in illis casibus, in quibus est sibi permissum accusare; tenetur se subscribere de Iure Ciuili; non autem de Iure Canonico. *Quæro etiã.*

In accusatione criminali; non est necessaria conclusio libelli, sicut in causa Ciuili. Et ratio est, quia in Ciuilib⁹, potest pars cõcludendo diuersis modis libellum, facere etiam vt diuersis modis posit sequi sententia: nam etiã si quis sit creditor de mille, potest concludere tantummodo in centum, & Iudex nõ poterit vltra illa centũ cõdemnare, etiam si de maiori *Vltimo quæro.*

ri credito appareat. Sed in criminalibus, ex narratione facti oritur certa Iuris dispositio, quæ pro eo delicto pœnam imponit talem, quæ ex diuersitate cōcludendi variari non potest. Et sic lex ipsa semper concludit, ad commodum Fisci, & Iustitiæ complementum. Et ideo sufficit, quod libellꝰ accusationis, ita concludat. Quare peto ipsum puniri, iuxta formam Iuris & statutorum, &c. & ita de consuetudine obseruatur.

QVAESTIO XIII.

An in eodem libello; plures accusare, vel accusari possint.

Vers. 1. QVANDO cuiuslibet actorum accusantium interest, ratione officij: verbi gratia, quia sunt plures tutores, vel administratores; tunc possunt simul accusare in eodem libello; & non in pluribus. Et etiam quando eorum interest ratione communis iniuriæ; puta, si communis eorum seruus occisus sit. Quando autem, nullius eorum interest, neque ratione officij; neque communis iniuriæ: & sic nō persequuntur suā, nec suorum iniuriam: tunc non admittuntur simul ad accusandum; neque in eodem libello, neque in diuersis; sed vnus eorum eligitur à Iudice, qui sit magis idoneus. Hæc autem electio Iudicis, intelligit̃ parte opponente; nam si pars non opponat, valet Iudicium. Et etiam valet, si omnes vellent vnum procuratorem constituere, qui causam omniū nomine prosequeretur.

Quo ad reos accusatos pariter concludendum est: quod quando agitur de vno, & eodem delicto, à pluribus simul, vel ex eadem causa commisso, tunc possunt plures in eodem libello accusari, etiam si essent mille. *Quæro nunc.*

Quādo autem accusator, vult in eodem libello, accusationē proponere de pluribus criminibꝰ, distinguēdum est. Aut accusat vnum tantum; & tunc potest cōtra eum multa crimina in eodem libello deducere. Aut accusat plures: & tunc non potest ex diuersis delictis, eos in eodem libello accusare. *Sed nūquid.*

Potest etiā reus, de pluribus *Item quæro.*

ribus criminibus separatim accusari: & de pluribꝰ quoque puniri, non solum si ex diuersis factis resultent; sed etiam si ex eodem facto oriantur; dummodo sint specie diuersa. Et vbi super vno crimine sit conclusum in causa, & in puncto ferendæ sententiæ: erit supersedẽdum, donec causa super alio crimine expediatur. Quod tamen intellige, quando tales causæ tractantur sub eodem Iudice; si enim coram diuersis, vnusquisque procedit, alio non expectato: nisi reꝰ esset in vno loco carceratus, tunc enim debet in alio superfederi.

QVAESTIO XIV.

Accusare, qui possint, vel non.

Vers. 1. QVILIBET potest accusare, qui non est à iure prohibitus: nam hoc edictum est permissorium; & sic omnibus est concessum, qui expresse prohibiti non reperiuntur.

Prohibentur autem aliqui. Aut propter dignitatem; vt clericus, & miles. Aut propter defectum concernentem statum personæ; vt filius famil. vel seruus. Aut propter defectum ætatis; vt pupillus, & minor. Aut propter imbecillitatem sexus; vt mulier. Aut propter indignitatem personæ; vt criminosus, infamis, damnatus, excommunicatus &c. Aut propter diffidentiam; vt inimicus, & pauper. Aut propter reuerentiam debitam; vt seruus, libertus, vassallus, aduersus dominos suos: aut laicus aduersus clericos. Aut propter amorẽ debitum; vt maritus versus vxorem; frater aduersus fratrem.

Hæ quæstiones, possent *Scias tamẽ.* esse valde vtiles, in locis in quibus seruatur Ius cõmune. Aut etiam in illis, in quibus non possunt Iudices, super omnibus delictis procedere ex officio: nam prodessent in illis casibus in quibus non posset procedi, nisi ad querelam partis, quæ hodie succedit loco accusationis. Apud nos autẽ in practica raro occurrũt: cum enim in omnibus ferè casibus, procedatur per inquisitionẽ, siue ex officio, etiam si nemo accuset: Propterea nunquam Iudices reijciunt querelam ab alio

por-

porrectam, propter aliquã ex prędictis causis: ex quo ipsi etiam sine querela partis possent ex officio procedere. Imò talis querela, aperit viam assumendi informationes, etiã si sit porrecta ab eo, qui de Iure accusare non potest.

Volo etiam. Nota tamẽ vnum in hac materia: quod omnes supradicti, & alij prohibiti à Iure; admittuntur nihilominus indistinctè ad accusandum, si suam, vel suorũ iniuriam persequantur. Appellatione suorũ in hoc proposito; veniũt parẽtes, & descendentes omnes: item patroni, & patronæ, & eorum liberi: frater, soror, vxor, socer, socrus, gener, nurus, vitricus, nouerca, & priuignus.

Dixi in primis. Redeũdo igitur ad quæstiones. Inprimis dicendum est quo ad clericũ; qđ hodie potest accusare; quã do ex eo crimine non venit pœna sanguinis. Aut quando (dato quod veniret pęna sanguinis) in actu ipsi⁹ accusationis protestatur, quod non intendit agere, ad vindictam corporalem: tali enim casu, non efficitur irregularis.

Quæro etiã. Milites etiam nostri tẽporis, hodie indistinctè ad mittuntur ad accusandũ.

Dixi etiam. Filiusfamilias, in causis criminalibus, siue agendo, siue defendendo: siue agatur de crimine publico, siue de priuato; potest stare in iudicio sine consensu patris: & nulla in hoc adest dubitatio.

Sed quid in maiore. Maiores annorum 14. (quicquid sit de Iure) de consuetudine admittuntur indistinctè ad accusandum.

Dicebam. Præterea. Pupillus; ob defectum ętatis; & mulier ob defectũ sexus, repelluntur ab accusando; nisi suam, vel suorũ iniuriam prosequantur. Hinc est; quod mulier potest accusare homicidam de morte mariti; sunt enim duo in carne vna.

Dixi quoq;. Quo ad criminosum autem distinguendum est. Nã aut loquimur in criminoso, nondum diffamato, nec accusato. Aut de iam diffamato, sed nondum accusato. Aut de accusato nondum condemnato, neque absoluto. Aut de iam absoluto. Aut de iam condemnato.

Primo casu; quando loquimur de criminoso, nõdum diffamato, nec accusato: subdistinguendum est, inter forum ecclesiasticũ, & fo-

Quinimò. & forum seculare. Nam in foro Ecclesiastico, talis criminosus regulariter repellitur ab accusando; nisi suã vel suorum iniuriam persequatur: & non solum criminosus, sed etiam simpliciter constitutus in peccato mortali, de quo pœnitentiam non egerit. In foro autem seculari, non repellitur quis ab accusatione propter crimen, nisi ex eo factus sit infamis.

Secũdus est. Secũdo casu; quando loquimur de criminoso iam diffamato, sed nõdum accusato; si crimen est tale, ex quo non resultet infamia, non est de huiusmodi diffamatione curandum. Si vero ex tali diffamatione effectus est infamis: videndum est generaliter nũ quid infamis possit accusare? Nam alia est infamia Iuris, alia infamia facti. Infamis infamia Iuris, omni Iure repellitur prorsus ab accusando. Infamis autem infamia facti; repellitur de Iure Canonico: sed admittitur de Iure Ciuili.

Tertius est. Tertio casu; quando agitur de criminoso iam accusato. Distinguendum est; nam aut nomen ipsius non dũ est receptũ inter reos: & tunc potest accusare, ne dum extraneum, sed etiam suum accusatorem; de maiori, de pari, & etiã de minori crimine; & super vtraque causa est procedendũ. Quod intellige reo pri⁹ in carceribus constituto. Aut nomen accusati, est iam receptum inter reos; & tunc potest de maiori crimine alium quam accusatorem suum accusare. Suum autẽ accusatorem (iuxta practicam nostram) non poterit reaccusare super eodem facto; nisi talis reus, sit personaliter in iudicio constitutus: nam alias esset destruere totam practicam criminalem; quia per indirectũ reus admitteretur ad faciẽdum suas defensiones extra carceres; quod non est dicendum: & ita obseruatur, etiamsi secunda querela sit de grauiori delicto. Si vero reus est in Iudicio personaliter constitutus; De consuetudine obseruatur, quod semper admittitur querela contra querelam; siue de maiori, siue de minori crimine agatur: Et super vtraque proceditur. Huius obseruantiæ ratio est: Quia cum in hoc Ducatu, possit de quocunq; ferè crimine ex officio inquiri,

fo-

ſolent ſemper ad inſtantiã fiſci aſſumi informationes, nulla habita ratione, an ſuper eo crimine poſſet procedere accuſatio. Bene verum eſt, quod ſi Iudex videt, quod accuſatus reaccuſauerit ſuum accuſatorẽ, vt illum diuertat à proſequenda accuſatione; ſolet quandoque accipere fideiuſſionem ab accuſatore de ſe cõſtituendo, quotieſcunque Iudici videbitur, & ea accepta, ſuper prima accuſatione procedere. Aut etiam ſi videt, ſecundam accuſationem eſſe calumnioſam. Et ita obſeruauit Senatus.

Sed hic incidente. Nomen accuſati, regulariter dicitur receptum inter reos, per littis conteſtationem, quando ipſe eſt præſens in Iudicio. Et ſic, ſtatim atque Iudex interrogat reum, an commiſerit ipſum delictum, de quo imputatur; illico ſequuta eius reſponſione, ſiue confiteatur, ſiue neget, dicitur eius nomen receptum inter reos: talis enim interrogatio Iudicis, & rei reſponſio inducit litis conteſtationem. Quando autem reus non eſt detentus, ſed proceditur contra eum abſentem: tunc, ſi ex parte rei ſunt propoſitæ exceptiones cõcernentes merita cauſæ, & reus eſt contumax, ſtatim in primo termino contumaciæ, dicitur eius nomen receptum inter reos: quia ex diſpoſitione ſtatutorum cõtumax habetur pro confeſſo, & cõſequẽter etiam pro præſente; & ſic contumacia, quo ad hoc ſuccedit loco veræ confeſſionis, & conteſtationis litis. Si verò opponuntur exceptiones dilatoriæ, ſiue declinatoriæ; puta, incompetentiæ Iudicis, vel inhabilitatis accuſatoris: tunc, per Iudicis declarationem, aut illas expreſsè reijciendo; aut eis non obſtantibus procedendo ad vlteriora, dicitur nomen accuſati receptũ inter reos; & non ante.

Quarto caſu; quando loquimur in accuſato iam abſoluto; nulli dubium eſt, quod poterit, poſt abſolutionem, etiam ſuum accuſatorem reaccuſare. *Quartus eſt.*

Quinto caſu; quando loquimur de criminoſo iam condemnato; diſtinguendum eſt. Nam, aut condemnatio eſt talis, propter quam condemnatus non amittat famam, nec ciuitatem, nec libertatem: Et *Quintus eſt.*

hoc casu poterit accusare. Aut verò propter condemnationem amisit famã, sed non ciuitatem, nec libertatem: & tunc, non poterit accusare (etiam in criminibus exceptis) nisi suam vel suorum iniuriam prosequatur. Aut tandem, per talem condemnationẽ amisit ciuitatem, vel libertatem; & tunc, non poterit de nouo accusare; sed bene accusationem iam inchoatam prosequi, non solum aduersus suum accusatorem; sed etiam aduersus extraneum.

Quæro nunquid. Excõmunicatus non potest accusare: quia non potest stare in Iudicio; neque ecclesiastico, neque seculari.

Vlterius dixi. Ob diffidentiam etiam non potest inimicus accusare. Quod intellige, de inimicitia tantum capitali, quia iste præsumitur poti' accusare, ad priuatam vindictã, quam zelo Iustitię; nisi propriam iniuriam persequatur: tunc enim nullo modo, esset ab accusatione repellendus. Quæ autem dicatur capitalis inimicitia relinquitur arbitrio Iudicis.

hic etiã. Pauper; si est bonę, & honestæ fidei, & vitæ; & non suspectus propter paupertatem, non repellitur ab accusando.

Propter reuerentiam. Laicus non potest clericũ accusare criminaliter, vel denunciare: nisi propter Ius publicum; puta, dilapidationis bonorum ecclesiæ. Aut nisi suam, vel suorum iniuriam corporalem prosequatur. *Sed nũ quid.* Aut nisi esset patronus ecclesiæ, cuius est clericus: nam hoc casu admittitur ad denunciandum.

Sed quæro. Vassallus; potest ciuiliter accusare dominum: an autem criminaliter possit; dubitũ est.

Item quæro. Syndicus vniuersitatis, vt Syndicus; & tutor vt tutor, possunt in Iudicio comparere, tam agendo, quam defendendo.

Quæro an cõpater. Compater, & Filius spiritualis; possunt accusare pro offensa facta eius compatri, vel patri spirituali. Quia maior est cognatio spiritualis, quam carnalis.

Quæro an filij. Filij naturales: scilicet, nati ex soluto, & soluta, nõ modo admittuntur ad accusandum, de morte eorũ patris; sed etiam præferuntur cæteris consanguineis. Spurij verò, Adulterini, vel Incestuosi, non admittuntur. Et ratio est,

quia

quia cum tales filij sint à lege reprobati, pro filijs non habentur; cum certum patrem non agnoscant. Et ideò vbi certum patrem agnoscerent, fortè non essent ab accusatione repellendi. Ad accusandum autem de morte matris, admittuntur Spurij; dummodo non sint nati ex damnato coitu, & à lege punibili. *Sed an tales*

QVAESTIO XV.

De repulsa accusatoris non idonei.

Vers. I. POTEST Iudex ex officio, repellere accusatorem non legitimum; etiã parte non opponente. Et hoc, ne frustra fatigetur accusatus, si legitimus nõ fuerit accusator. Et licet accusatus prohibeatur à Iure, opponere contra suum accusatorem; nihilominus potest Iudex ex officio illum repellere. Nam in his quę sibi, vt Iudici nota sũt, potest ex officio procedere: & consequenter proponere exceptiones, quas ipsi parti opponere non liceret. *Et hoc quidem.*

Sed quæro. Si infamis, vel excommunicatus, accuset alium infamem, vel excommunicatum; poterit reus excipere de infamia; & sic repellere suum accusatorẽ.

Si aliquis, ex his qui accusare prohibentur accusauerit: & non fuerit contra eum appositum, sustinebitur processus. Quia sibi debet imputare accusatus, qui exceptionem sibi competentem non proposuit. Hoc tamen raro contingit in practica, quia cũ in quocunque crimine possit Iudex per inquisitionẽ procedere; nunquam ferè disputatur, an accusator sit idoneus, nec ne. *Sed pone.*

Iudex nõ potest cogere offensum, neque illius hæredes ad accusandum. Bene autem cogitur offensus, narrare iudicialiter cũ Iuramẽto, seriem facti: sed potest ipse dicere, vel cum querela, vel sine querela, prout sibi magis placet; & ita practicatur. *Item quæro.*

In concursu multorum accusatorũ legitimorum: ille qui prosequitur suam, vel suorum iniuriam præfertur extraneo: Inter eos verò, qui suam, vel suorum iniuriam prosequũtur, proximior pręfertur. Si omnes fuerint in pari gradu; om- *Successiuè.*

omnes admittuntur. Inter extraneos autem accusare volentes, Iudex eligit magis Idoneum.

QVAESTIO XVI.

Accusari, quæ personæ possint.

Vers. 1.

Quæro nunquid.

OMnes regulariter de quibuscunque delictis possunt accusari. Et etiã si aliquis fuerit, de vno crimine accusatus; potest tamen à quibuscunq; etiã pluribus accusatoribus; de alijs quibuscunque criminibus accusari: nam posito, qđ apud nos, in quocunque crimine proceditur ex officio; non attenditur persona, neque causa accusatoris, sed omnes querelæ solent admitti, & super omnibus proceditur.

Vnũ tamen.

Nota; & perpetuo tene menti; quod si reus accusatus de aliquo crimine corã vno tribunali fuerit contumax; potest de eodem crimine ad instantiam accusatoris, coram alio tribunali accusari; & etiam banniri si in eo pariter fuerit contumax. Neque tenetur secundus Iudex, nec ad instantiam partis, neque ad instãtiam primi Iudicis in causa supersedere; aut eam illi remittere.

Bannitus pro vno delicto, poterit de alio accusari & iterum banniri. Sed hoc casu potest bannitus petere saluum cõductum, ad hoc vt possit, non obstante prima cõdemnatione comparere, & se defendere; & non est illi denegandus. *Sed nũquid.*

Pœnitentia facta post cõmissum delictum: aut pœna imposita in foro cõscientiæ; non excusat delinquentem, quin minus possit accusari, & puniri in foro cõtentioso. *Item quæro.*

Officialis non potest accusari durante officio, sed expectandus est syndicatus: nisi de illis delictis, ꝓ quibus à Iure imposita est pœna priuationis officij: verbi gratia, barataria, furtis, si emerit officium, & his similia. *Præterea.*

Ciuitas, Vniuersitas, & Collegium, siue Capitulũ; potest accusari, & puniri criminaliter. Ad hoc autem vt dicatur delinquere, non sufficit quod totus populus, vel omnes de collegio aliquid faciant: sed necesse est, quod id processerit, cum consilij publici *Vlterius quærõ.*

con-

connocatione, & eius deliberatione. Aliàs enim, nec delinquit, nec punitur ipsa vniuersitas, siue collegium; sed puniuntur tantum illi, qui deliquerunt tanquam singuli.

Sed quomodo. In casibus igitur, in quibus punitur vniuersitas, ꝑ delictis ab ipsa cõmissis: Solet puniri, aliquando ademptione priuilegiorũ, & iurium suorum. Aliquãdo publicatione bonorum ipsius vniuersitatis. Aliquando etiam ciuitates subijciuntur aratro.

Punitur etiam quandoque vniuersitas ciuiliter: scilicet, in publicatione alicuius rei; vel in pœna pecuniaria, seu mulcta. Et tũc sciendum est, quod si talis pœna pecuniaria, nõ ęque cadit in singulos de vniuersitate, sicut in ipsam vniuersitatem; ꝑuta, quia publicatur res ex delicto; tũc si illa res est vniuersitatis, ipsa vniuersitas punitur. Si verò pœna æque cadit in singulos: tunc aut collegium est paruum, & non punitur totum collegium, sed tantũmodo delinquentes: Aut est magnum, & punitur totum collegiũ, siue vniuersitas.

Nota tamẽ, quod in omnem casum, sunt puniendi Rectores, & Gubernatores ciuitatum, qui consilium, & mandatum dederunt; & etiam illi particulares, qui cum effectu commiserunt delictum.

QVAESTIO XVII.

Accusatio, an pro omni crimine permissa sit.

PRo omni crimine publico, licitum est vnicuique accusationem deferre. *Vers. 1.* Pro priuato verò, non licet regulariter, nisi illi cuius interest. Aliquando tamen ratione publicæ vtilitatis, lex permittit, vt etiam pro crimine priuato, quilibet possit accusare: verbi gratia, suspectus tutor, à quolibet de populo potest accusari; & nihilominus dicitur crimen priuatum.

Sed quid si. Nota; quod quotiescunque pro crimine priuato, imponitur pœna pecuniaria applicanda Fisco, semper admittitur accusatio per quemlibet de populo: nisi aliàs de consuetudine particulari obseruaret con trarium. Et item aliquando, pro priuatis delictis proceditur non solũ ad in-

stan-

ſtantiam partis, ſed etiam ex officio; & ſic per inquiſitionem; licet non ſit impoſita pœna corporalis, nec certa pecuniaria:& talis delinquens punitur extra ordinem: vt quandoque fuit obſeruatum in crimine vſurarum: Obſeruantia fundata in illa concluſione; quod pro quolibet delicto, etiam priuato; poteſt ratione intereſſe Reipub. procedi ad pœnam extraordinariam. Contrarium autem, fuit etiã quandoque obſeruatum in furto; & ſimiliter in Adulterio; nam nemine querelante, rei fuerunt abſoluti rebus ſtantibus.

QVAESTIO XVIII.

Quomodo procedatur, in Iudicio accuſationis.

Verſ. 1. CIRCA modum procedendi, in Iudicio accuſationis; eſt præcipuè conſideranda conſuetudo, & ſtylus prouinciæ, in qua Ius dicitur; omnes enim ferè ſolemnitates, quæ de Iure communi requirũtur, hodie apud nos in deſuetudinem abierunt.

Hoc facto. In citationibus, ſiue inquiſitionibus, q̃ reis (Apud nos) tranſmittuntur; communiter conſuetum eſt dici, quod ſtatim habito præcepto compareant; ſed deinde, ſi petatur dilatio ſolet concedi.

Reo citato. Reo citato non comparente, annotantur eius bona; niſi allegetur prius, aliqua iuſta cauſa, propter quam impeditus ſit comparere: in hoc autem (ſicut in alijs requiſitis) recurre ſemper ad conſuetudinem.

QVAESTIO XIX.

Quomodo procedatur in delictis per viam actionis, ſeu exceptionis.

Verſ. 1. REGVLARITER (vt dictum eſt) ex quocunque delicto, vltra accuſationem criminalem, quæ oritur Reipub. ad vindictã publicam; oritur etiam parti, actio ciuilis ad intereſſe: quæ, quando ſic à parte intẽtatur, ratione tantum ſui particularis intereſſe; etiamſi oriatur ex crimine, nihilominus facit Iudicium merè ciuile; de quo in hoc tractatu, non intendimus aliqua attingere.

Vnũ tamen. Attamen animaduertendũ est, quod iste etiã est vnus ex modis, per quos aperitur via ad inquirendum: nam si Iudex, coram quo agitur huiusmodi causa ciuilis; habeat etiam Iurisdictionem in criminalibus (vbi pro eo delicto posset aliàs per inquisitionẽ procedi) poterit constito ei de crimine, ex probationibus factis in ipsa causa Ciuili, procedere cõtra delinquẽtem, & ex officio inquirere, etiam nulla partis querela criminali præcedente.

Per exceptionem. Per exceptionem autẽ, deducitur crimen in Iudicium duobus modis: scilicet, ciuiliter, & criminaliter. Ciuiliter: puta, quando excipio de crimine contra testem, vel contra instrumentum; & peto nullã fidẽ ei adhiberi: hoc enim casu, nulla potest sequi sententia criminalis, ẽt quod constet de delicto: Sed tantum sententia Ciuilis, vt testis repellatur à testimonio, tanquam criminosus; vel instrumentum non probet tanquam suspectũ de falso: Et sic hoc Iudicium dicitur ciuile, & ad instar Iudiciorum ciuilium in eo proceditur. Bene verum est, quod si ex probationibus factis super exceptione, appareat de delicto, poterit Iudex criminaliter procedere, & inquirere contra delinquentem: & ex hac noua inquisitione, & nouo processu, poterit reus criminaliter puniri.

Criminaliter. Criminaliter autem, agitur via exceptionis; verbi gratia, quando quis excipiendo contra testes, petit illis tanquam falsis nullam fidem adhiberi, & eos de falso puniri. Et hoc casu, ita excipiens, dicitur assumere partes accusatoris: & perinde proceditur contra ipsos testes, ac si fuissent accusati, seu querelati de falso; & potest contra eos ferri sententia condemnatoria criminalis: & iudiciũ ipsum, quãuis à principio fuerit ciuile, efficitur criminale; & in eo proceditur, in omnibus, & per omnia, ad instar criminalium Iudiciorum.

Hinc infertur. Hinc infertur, quod in proponenda hac exceptione, necessarium est exprimere requisita, de die, anno, & loco delicti, & alia quæ exprimenda sunt in accusatione, seu querela. Nec etiam in hoc Iudicio, exceptionis criminaliter in-

intentatæ admittitur procurator: imò in eo sunt seruanda omnia, quæ seruantur in Iudicio accusationis: talis enim exceptio quæ tendit ad puniendum, æquiparatur accusationi.

Et breuiter.

Vltimo.

Nota; quod etiam alio modo deducitur crimẽ in Iudicio; absque accusatione, vel exceptione; quando scilicet pars, seu testis, incidenter confitetur se aliquod delictum perpetrasse: & licet talis confessio; non noceat confitenti, quo ad hoc, vt possit ex ea puniri: Aperit tamen viam Iudici ad inquirẽdum, super ipso crimine cõfessato, absque vlla partis querela. Et sic eo casu, debet Iudex inchoare nouum processum, super illa confessione, & dare suas defensiones reo, & alia facere, quæ in processibus Criminalibus requiruntur.

QVAESTIO XX.

De Indicijs, & ipsorum generibus.

Vers. 1.

QVANDO constito de delicto (vt supra dictum est) delinquens non est certus, procedit Iudex inquirendo generaliter: quando verò certus est; procedit inquirendo; hoc est, assumendo Indicia specialiter contra eum.

Hoc præmisso annotandum est; quod in materia indiciorum non potest dari certa doctrina: Sed totũ relinquitur arbitrio boni viri: scilicet Iudicis, qui secundum qualitatem personæ, & delicti, & demonstrationum, seu suspicionum, iudicabit indicium esse sufficiens, nec ne. Attamen ad clariorem intelligentiam; & ad hoc, vt sciat Iudex, qua mensura possit suum arbitrium regulare: animaduertendum est, quod tres sunt gradus Indiciorum. Aliqua enim sunt leuia; alia grauia: & alia grauissima.

Leuia, sufficiunt ad capturam: non tamen vt statim debeat reus examinari, super delicto: ita vt eius nomen recipiatur inter reos: Sed vt tollatur ei facultas fugiendi. Sufficiunt etiam, ad inquirendum ex officio: ideſt, ad assumendas informationes contra aliquẽ de delicto: non tamen ad illi transmittendã inquisitionem, vel citationem. Quę quidem indicia

si non

ſi non ſunt multum vrgentia, poſſunt appellari ſuſpiciones: ſi verò magis vrgeant; præſumptiones, ſiue argumenta.

Grauia ſufficiũt, ad trãſmittendam inquiſitionem reo abſenti; vel ſi ſit captꝰ, ad examinandum eum ſuper delicto, tanquam reũ, & etiam ad torturam. Et hoc propriè poteſt appellari Indicium; quod ſcilicet, ſit pluſquam ſimplex præſumptio, & minus quam ſemiplena probatio.

Grauiſsima, ſufficiunt etiam ad condemnandum. Et hæc proculdubio debẽt eſſe, non modo pluſquam ſemiplena probatio, ſed ẽt quaſi plena probatio.

Ad inquirẽdum. Ad aſſumendas igitur informationes, & ad capturam, ſufficiunt leuia indicia: ſufficit enim aliqua ꝓbabilis ſuſpicio; propter quã, Iudex rationabiliter credat, delictum ab eo cõmiſſum fuiſſe, contra quem intendit inquirere; aut capturam decernere: verbi gratia, dictum, ſeu aſſertio morientis, Grauis inimicitia, Fama &c.

Ad formandam. Ad formandam autẽ, ſeu tranſmittendam inquiſitionem contra abſentem: id eſt, ad eum citandum pro delicto de quo imputatur; omnino neceſſe eſt, quod præcedant legitima indicia: Aliàs inquiſitio, cum omnibus inde ſequutis eſſet nulla. Indicia autẽ ipſa, ad hoc vt dicantur legitima, non tenentur de cõſuetudine eſſe talia, quod ſuper eis poſſet etiam reus torqueri. Et ſic nota; quod ex vehementi ſuſpicione, quæ contra reum, ex probabilibus argumentis reſultet, poterit contra eum formari Inquiſitio; licet ipſa indicia non ſint talia, vel taliter probata, quod ſuper eis poſſet reꝰ torqueri. Hæc eadem dicenda ſunt, circa examen, ſiue interrogationes, quæ fiunt reo præſenti, in locis ſcilicet, in quibus quando reus eſt in carceribus, non ſolet formari aliqua inquiſitio; prout ſeruatur in hoc Ducatu: nam reo præſenti nũquam leguntur capitula, neque inquiſitio, ſed examinatur ſuper delicto. Quemadmodum enim contra reum abſentem, non poteſt tranſmitti inquiſitio, niſi præcedentibus legitimis Indicijs: ita etiã quando fuerit præſens non poteſt examinari, neque interrogari à Iudice ſuper

crimine, (& sic fieri quod eius nomen recipiatur inter reos) nisi præcedant talia indicia, quæ sufficerent ad formandam inquisitionem, vbi reus essent absẽs. Propterea apud nos seruatur, quod vbi indicia ad formandam inquisitionẽ, videntur Iudici debilia; mandatur reus detineri: (nam ad capturam sufficit quæcunque informatio) & si reus nõ inuenitur, fit de hoc relatio apud acta: quo casu dicitur cõstare de ei⁹ fuga; quæ quidem, iuncta cum alijs præexistentibus indicijs, sufficit ad transmittendam reo inquisitionem.

Ad torturã. Ad Torturam etiã, quæ indicia requirãtur, non potest dari certa doctrina; sed pariter relinquitur arbitrio Iudicis. Sufficit autem (vt dictum est) minus quam semiplena probatio.

Ad condemnandum. Ad condemnandum tamen, requiruntur indicia *Scias tamẽ.* indubitata. Et ideò, est annotandum: quod apud nos seruatur; vt ex præsumptionibus deueniatur ad condemnationem. Nam quotidie ex insidijs, & pręsumptionibus, cõdemnantur rei per Senatum: non quidem in pœnam mortis; neque pœnam ordinariam ipsius delicti; sed alias pęnas etiã corporales: verbi gratia, triremium, fustigationis, ictuum funis, & his similia. Et hoc modo, fuit obseruatũ in eo, q̃ grauatus de Homicidio Indicijs indubitatis, fuit condemnatus ad triremes per decennium.

Scias etiam. Sunt pariter aliqui casus, in quibus etiam de Iure communi, ex præsumptionib⁹ potest quis ad mortem condemnari: verbi gratia, in Assassinio; in crimine Hæresis, & in crimine Simoniæ.

Item scias. Et nota; quod quando præsumptio, est posita à lege, tunc potest ex ea sequi cõdemnatio Capitalis.

QVAESTIO XXI.

De Indicijs in specie.

Vers. fama. Fama sola, quæ sit contra aliquem; quod maleficium commiserit, est sufficiens indicium ad inquirendum contra eum; non autem sufficit ad torturam: nisi delictum esset multum difficilis probationis; nam tunc sola fama sufficeret.

Ratio huius conclusionis est; quia fama in crimina-

nalibus, non probat nec semiplenè. Et licet (vt dictũ est) ad torquendũ, sufficiat minus quã semiplena probatio: nihilominus tamẽ, cum fama sit indicium valde remotum à delicto: & etiam valde fallax, (vt quotidie experientia docet) tutius faciet Iudex, si ex fama sola reum tormentis non subiiciat. Quando autem cum ipsa fama, cõcurrunt aliqua alia adminicula; tunc indubitatum est, quod facit indicium sufficiens ad torturam.

Nota; quod hæc omnia procedunt in fama, quæ oritur in specie contra aliquẽ, de eo delicto de quo agitur: sed si esset mala fama in genere; verbi gratia, quia ille esset homo diffamat⁹ de aliis delictis; & sic malæ vocis, conditionis, & famæ; tunc ex quali-bet leui suspicione, attingente delictum de quo agitur, solet reus tormentis subijci: modo illa fama sit in eodem genere delicti. Si enim delicta essent dissimilia, non oriretur contra eũ, ex ea fama aliquod indicium: nam ad hoc vt mala fama noceat reo, debet esse in eodem genere mali. Et regula illa, semel malus, semper præsumitur malus, intelligenda est in eodem genere mali. Bene verum est, quod si talis diffamat⁹ probaret, quod per triennium proximum bene vixisset, & fuisset bonæ vocis cõuersationis, & famæ, illa mala fama contra eũ probata, nihil ei noceret, sed censeretur in totum purgata. Quod tene menti; quia posset tibi facere magnum honorem in Practica.

Vnus testis. Vnus testis deponẽs de ipso maleficio, si sit integer, & omni exceptione maior: idest, talis contra quem, nulla posit opponi exceptio; facit indicium legitimum, quod appellatur indiciũ Iuris; & sic est sufficiens ad Torturam. Si uerò sit inhabilis & minus idoneus; tunc facit indicium facti, & sic sufficiens tantummodo, ad inquirendum; hoc est, ad assumendas specialiter cõtra reum informationes super delicto. Est autem animaduertendum: quod si testis non viderit committi maleficium, sed deponat se audiuisse; puta, de nocte Titiũ percutientem Caium, & dicat se eum cognouisse ad vocem: tunc si talis testis, *Sed quid si testis.*

ha-

habeat verisimiliter adeo notam vocem rei, vt decipi non possit, facit vtique indicium ad Torturam; aliàs secus: nam indicium vocis, est multum fallax, & periculosum. Si vero testis, dicat se vidisse cum esset de nocte; nec dicit qđ luna lucebat, vel quod lumen erat accensum, à seipso naturaliter reprobatur, & nullam fidem facit. Quia deponit ea, quæ secundum naturam esse non possunt; vt manifestè patet.

Dictũ socij.

Delinquens non debet interrogari super socijs, nisi in illis criminibus, qui excepti sunt; aut de Iure communi, aut de consuetudine loci in quo proceditur. In hoc dominio consuetudo est; vt interrogentur super socijs, tantũmodo fures, fraudatores salis, vel bladorum, Assassini, & latrones, qui in vijs publicis grassantur. Et vltra prędicta, vnus est casus in quo semper reus interrogatur, & torquetur super socio: quando scilicet, apparet quod illud delictum commisit non sua causa; puta, quia nihil ad eum pertinebat, tunc enim quia tenetur pro certo, quod fecit ad alterius instantiam; solet interrogari, & torqueri super mandante.

Retenta igitur.

Hoc supposito, animaduertendum est; quod dictũ delinquentis contra sociũ nominatum, sufficit ad inquirendum: idest, ad assumendas alias informationes contra eum; siue illum nominauerit ad interrogationem Iudicis, ipsum in genere interrogantis: verbi gratia, an in maleficio committẽdo, aliquis alius interuenerit. Siue etiam illum sua spontè nominauerit, dum contra se examinaretur: verbi gratia, quia postquam confessus est se Titium occidisse, Iudex iubeat illum narrare quomodo occiderit, & ipse dicat, quod tali die, ipse & Petr᾽ &c. nam vtroque casu talis nominatio, aperit viam Iudici ad inquirendum, & assumendum alias informationes, contra Petrum nominatum; etiam si prius cõtra ipsum, nihil aliud esset in processu: Et hoc, in quibuscumque criminibus, tã exceptis, quam non exceptis: Et ita de consuetũdine obseruatur. Et ratio est, quia hoc casu, dictum istius socij, non est tanquã testis; sed tanquam denunciantis, & sic aperit viam

ad

ad fundandam, vel inchoā dam inquiſitionem; prout faceret quilibet alius notificator, ſeu denunciator, etiam infamis, & vilis: ſeu quilibet alius teſtis, etiam non idoneus.

Debent tamen. Caueāt autem Iudices, quantum poſsibile eſt, ne reos interrogent ſuper ſocijs, niſi in caſibus permiſſis. Et etiam in caſibus permiſsis, nunquam ſunt interrogandi rei in ſpecie de aliqua certa perſona; niſi adſit aliquod Indiciū, ſufficiens ad inquirendū ſpecialiter contra ipſam. Nam vltra quod, hoc eſt potius officium ſuggerentis, quā interrogantis (à quo Iudices debent penitus abſtinere, ne proprias animas perdant, & alios indebitè vexent.) Proceſſus qui deinde fieret cōtra aliquem, ita ſuggerēdo à Iudice nominatum, non præcedentibus aliquibus indicijs, eſſet ipſo Iure nullus.

Si vero quæris. Ad formandam autem, & tranſmittendam inquiſitionem, contra ſociū nominatum non ſufficit dictū ipſius ſocij delinquentis; niſi tantummodo in criminibus exceptis; in ipſis .n. vtique ſufficiens eſt.

Scias tamē. Sed nota; quod ſi talis ſocius confeſſus, vltra illud delictum, eſſet etiam periurus, licet tunc neque in criminibus exceptis ſufficit de Iure ad tranſmittendam Inquiſitionem. Attamen de conſuetudine ſufficiens eſt, & ad formandam inquiſitionem; & plerunque etiam ad torturam.

Nominatio huiuſmodi facta per ſocium; in criminibus non exceptis, in quibus non poteſt delinquens de conſocijs interrogari, non ſufficit niſi ād inquirendum. *Succeſſiuè.* In criminibus autem exceptis, ſi cum ipſa nominatione, concurrat aliqua alia ſuſpicio, eſt ſufficiens ad torturam: & ita obſeruatur. *Sed quid in.* Ex hac concluſione infertur, quod ſolum dictum mandatarij, non facit Indicium ad torturam contra mandantem; niſi aliqua alia præſumptio, vel ſaltim ſuſpicio concurrat contra eum: Et ita obſeruatur; ſic tamen vt in criminibus exceptis, leuiores ſuſpiciones ſufficiant, quā in non exceptis. *Et ex hac.*

Animaduerte verò, tu qui vis excipere contra ſocium criminis, vt non dicas excipio contra te, quia es ſocius criminis; ne videaris fateri delictum; ſed *In hoc autē.*

dic,

dic, excipio contra te, quia tu hoc delictum commisisti. Aut si delictum est tale, quod non posit committi sine socio: Excipio contra te, quia facis te socium criminis, & ideo nihil ꝓbas.

Sed Pone.

Si duo socij criminis cõtra aliquem deponant, ex tali conuictione, non potest sequi condemnatio: bene autem faciunt contra eum indicium ad torturã: etiam si in suis dictis sint singulares.

Quæro nunquid.

Nota igitur; quod ad hoc, vt dictum socij criminis faciat indicium requiruntur duo. Primum, quod illud deponat cum iuramẽto: Sufficit tamen, quod sit quolibet tempore pręstitũ: videlicet, aut antequã ponatur ad torturam: aut pręsente ipso contra quem deposuit, prout seruatur in confrontatione. Et ratio est, quia licet quo ad se ipsum sit reus, quo ad alium autem fũgitur vice testis: Et sic non est ei adhibenda fides, nisi cum iuramento.

Scias etiam.

Secundum, quod illud confirmet in tormentis. Cum enim ex ꝓprio delicto, sit effectus infamis, nõ debet admitti in testem sine tortura: & ita apud nos obseruatur.

Assertio vulnerati.

Si vulneratus asseruerit se ab aliquo fuisse vulneratum: distinguendum est; nam si conualuerit, eius dictum habetur loco denunciationis tantum, seu querelæ. Si verò moriatur, & vsque ad mortem, in tali dicto perseueret; tunc, licet de Iure non faciat indiciũ: nihilominus tamen de cõmuni stylo, & obseruantia Italiæ, est sufficiens indicium ad inquirendum; hoc est, ad transmittendam inquisitionem siue citationẽ. Est etiam tale dictum sufficiens ad capturam. Et etiã ad excusandum à calũnia, & temeritate hæredẽ mortui, qui accusauerit eum, qui fuit diffamatus à vulnerato moriente. Ad condemnationem verò non est sufficiens: nam talis assertio vulnerati morientis, non probat plenè delictũ: & ideo non sufficit ad condemnandum. Neque etiam de stylo, talis assertio; est sufficiens ad torturam.

Fuga delinquentis.

Fuga delinquentis, tribus modis opponitur in iudicio contra fugientem. Primo opponitur tãquam delictum: verbi gratia, qñ miles in bello aufugit, & signa deseruit: & hoc casu, probata fuga, dicitur probatum

batum

batum delictum: neque aliud requiritur, ad hoc vt reus posſit ex ipſa fuga condemnari.

Secundo opponitur, tanquam Indicium: quando ſcilicet, dicitur reum commiſſo aliquo delicto aufugiſſe, & à loco ipſo delicti ſe abſentem feciſſe. Et hoc caſu; Aut eſt tale crimen; ad cuius probationem ſufficit ſola ſuſpicio; verbi gratia, in tutore; & tunc, ſola fuga facit delinquentem ſuſpectum; & ſic ex ea ſola, poteſt ſequi condemnatio. Aut verò crimen eſt tale, ad cuius probationem ſuſpiciones non ſufficiunt; ſed requiritur plena probatio; & tunc, fuga probat ſemiplenè illud crimen, & ſic eſt indicium ſufficiens ad torturam. Quod tamen intellige in ea fuga, quæ fit ante formatam inquiſitionem, vel aſſumptas informationes: talis enim fuga verè arguit conſcientiam delicti commiſsi. Cæterum, ſi quis fugiat poſt tranſmiſſam Inquiſitionẽ, vel informationes aſſumptas per officium; talis fuga non eſt ſufficiens ad torturam: quando cauſa eſt capitalis. In capitalibus.n. quando ſumus poſt accuſationem, nunquam fuga facit indicium ad torturam. Quando verò cauſa non eſt capitalis; ſi cum fuga concurrat fama publica, ſemper facit indicium ad torturam, ſiue ſit ante, ſiue poſt accuſationem. Nota tamen, quod quando ille qui aufugit, poſtea citatus ſpontè comparet, tunc fuga præcedens, nullum contra eum facit indicium, neque etiam leue.

Tertio opponitur, tanquam confeſsio: verbi gratia, quia reus è carceribus aufugerit fractis carceribus: talis enim habetur ꝓ confeſſo, & conuicto, de eo crimine de quo eſt imputatus. Et ideò, poteſt de rigore Iuris, in pœnam ordinariam condemnari. Hunc tamen rigorem Senatus nõ obſeruat, niſi contra contumaces: nam ſi quis poſt fugam captus ſit, vel ſpontè reuertatur, non ſolet ꝓpter ſolam fugam è carceribus factam, illum condemnare, ſed tantum grauius torquere. Si verò carcerati aufugiant nulla facta violentia: puta, quia inuenerunt portam apertam, negligentia Commentarienſis, malè carceres cuſtodiẽtis, non debent capite puniri. *Tertio autẽ.*

niri. Rursus si non aufugiant, sed tãtummodo tentauerint fractis carceribus aufugere; Senatus non solet ex ea causa, aliquid graue contra eos decernere, propter attentatam fugã, vel fracturam: sed quandoque solet eos, publicè torqueri facere.

Nota; quod hæc conclusio, quod fuga è carceribus faciat plenam probationẽ delicti. Primò intelligenda est, quando talis carceratus fuit iustè, & legitimè detentus. Talis enim non potest licitè aufugere: quinimò si fuerit relaxat[9], cum promissione de redeũdo, tenetur promissionem seruare & ad carceres redire. Quando autem fuit indebite, & Iuris ordine non seruato carceratus, tunc propter ipsam fugã, etiam cum fractione carceris, non punitur, neque habetur pro confesso; quia talis potest licitè aufugere; nec tenetur redire ad carceres; etiam si iurasset se rediturum. Imò quod plus est, reus qui verisimiliter est iniustè damnandus, tenetur fugam arripere si potest. Secundò intelligenda est; quando carceratus aufugit è carceribus publicis; secus autem si quis aufugiat de carcere priuato.

Scias etiam quod. Nota deinde; qđ si talis fugiens è carceribus, statim ad ipsos carceres reuertatur, non est tanquam fugitiuus, vel fractor carceris puniendus.

Præterea. Fuga pariter officialis, q post finitũ officiũ, non stetit per tempus statutum in loco officij, ad expectandum syndicatum; operatur, vt per querelantes possit, contra eum iurari in litem.

Inimicitia. Inimicitia vrgens, inter offensum, & eum qui est de delicto suspectus, si orta est ex causa leui, non facit indicium: Si verò ex graui, & capitali, tunc est sufficiens ad capturam; & etiam ad formandam, seu transmittendã contra reũ inquisitionem; ipsa autem sola non sufficit ad torturam. Aliquando autem obseruatur, in delictis clam commissis, & in quib[9] nullus alius imputatur, quod torquentur suspecti, propter solam inimicitiã. Quæ autem dicatur Capitalis, relinquitur Arbitrio Iudicis.

Confessio. Confessio extra Iudicialis, licet fuerit per reum, in

Iu-

Iudicio reuocata; nisi tamen probetur error, semper facit Indicium ad Torturam; & ita obseruatur.

Sed hic quæro. Cõfessio facta coram Iudice incompetenti; etiam coram illo, cuius Iurisdi- *Hanc tamẽ.* ctio nullo modo est prorogabilis: uerbi gratia, illa quæ fit à clerico coram Iudice laico; est sufficiens Indicium ad Torturã. Quod tamen intellige, vt procedat quãdo scilicet, sponte facta est; si enim extorta fuisset à reo per Iudicem incompetẽtem; aut ui, aut metu tormentorum; tunc nullum contra eum facit Indicium. Nec etiam faciet indicium, si reus corã *Sed quid si reus.* Iudice cõmpetenti, eam reuocando doceat de errore; aut de ipsius violẽtia, & extorsione.

Sed hic cadit. Confessio facta à reo coram Iudice, non tamen in forma Iudicij, nec pro tribunali sedente; sed coram eo tanquam priuato, non habet vim plenè probationis; ita quod sufficiat ad cõdemnandum: est tamen Indicium sufficiẽs ad Torturam.

Vlterius quæro. Si reus, qui confessus est in tormentis, se delictum commisisse; ductus postea ad ratificandum dictum extra tormenta, reuocet ipsam confessionem, & neget delictum commisisse; talis confessio facit contra eum nouum Indicium; cuius vigore, potest iterũ de nouo torqueri; ad hoc vt in ipsa confessione perseueret. Nota tamen, quod si reus iterum positus in tormẽtis, confiteatur; & deinde in ratificatione iterum neget, non est procedendũ in infinitum, ad ipsum torquẽdum: sed sufficit, quod tormenta repetantur, vsq; ad tertiam torturam; & vbi deinde ductus ad ratificandũ, semper negaret; est absoluendus rebus stantibus.

Minæ præcedentes. Minæ præcedentes delictum, faciunt indicium cõtra eum, qui offenso minatus est. Ad hoc autẽ, vt dicantur sufficere ad Torturam, solet ab aliquibus distingui: nam si fuerint prolatę, per virum potentem, & malæ famæ in eodẽ genere mali, qui de facili possit minas suas exequi, & solius sit exequi; tali casu faciũt indicium ad torturam: quando scilicet ignoratur, quis maleficiũ commiserit: alias autem secus. Sed apud nos, non semper admittuntur huiusmo-

di distinctiones; Probatis enim minis, & causa minarum, Senatus mandat sæpe numero, reos tormentis subijci.

Pax seu transactio.

Pax, seu transactio, facta per aliquem cum offenso, de ipsa offensione, seu iniuria, est (Apud nos) indiciũ indubitatum. Et ideo (quicquid sit de Iure) quando apud nos, reperitur instrumentum pacis, illud plenè probat delictum, cõtra eũ qui pro ipso delicto pacẽ facit. Quapropter cautela est, quod pax fiat per aliquem tertium, nomine omnium quorum interest. Talis enim pax valet, & prodest cuicunque illam producenti; veluti ac si esset in ipsa remissione specialiter nominatus. Et fortè etiamsi ille tertius, in specie pacem faceret nomine ipsius rei, adhuc nõ deberet ei talis pax obesse.

Mendaciũ.

Ob mendacium solum, aut variationem; nisi aliquod aliud adminiculum concurrat; uix, aut nunquã debet poni reus ad torturam. Et Propterea, relinquitur hoc arbitrio Iudicis, considerata qualitate personæ, & rei, super qua est mendacium seu variatio; an scilicet, sit talis in qua verisimiliter possit cadere obliuio; & an sit circa substantialia negocij; & an in continenti se correxerit; nam talis variatio diceretur potius emendatio, quam mendacium.

Cæterum.

Rursus; inconstantia sola, titubatio, & trepidatio rei; non est indicium sufficiens ad torturam, sed tantum facit contra eum aliqualem prẽsũptionem. Multi enim sunt adeo natura timidi, vt cum ducũtur ad præsentiam Iudicis turbẽtur; ita vt nesciant quid dicant, etiamsi sint innocentissimi.

Si aliquis.

Si aliquis, visus sit exire ex aliqua domo, cum gladio sanguinolento, & facie pallida; quæ domus nõ habeat nisi vnicum ostiũ, & intus reperiatur homo mortuus. Talis Casus, indicij ita grauissimi; semper practica obseruauit, quod relinquatur arbitrio Iudicis: & sic aliquando ipsius rei, fuerunt grauiter torti. Aliquando etiam cõdemnati, non tamen pœna ordinaria delicti, sed tantum extraordinaria. Propterea poterit Iudex, considerata qualitate facti, & personarum, amplecti quã obseruantiam maluerit.

Si

Si res furata. Si res furata, reperiatur penes aliquem, talis inuẽtio, facit contra eum indicium ad torturam; nisi doceat à quo habuerit: dummodo sit persona, malæ vocis, conditionis, & famæ. Si enim sit bonæ vocis, tũc etiam si non doceat à quo habuerit, non facit contra eum indicium ad torturã. Idem etiam dicendum est, si esset reperta apud aliquẽ, qui solitus esset emere, & vendere tales res mobiles, & illam palam teneret; nam eo casu, nulla ex eo suspicio contra eum oriri posset.

QVAESTIO XXII.

Indicia quomodo probentur.

Vers. I. QVODLIBET Indiciũ, seu adminiculum, faciens ad causam de qua agitur, ad hoc vt de eo ratio habeatur, debet saltem per duos testes probari.

Ad intelligendum autẽ, quomodo dictum vnius testis, sit sufficiens ad torturam animaduertẽdum est; quod aut adest vnus testis de veritate, deponens de ipsomet delicto: puta, quia vidit Titium vulnerantem Seyum, vel audiuit Sempronium Blasphemantem: & tunc talis testis facit indicium ad torturam. Aut verò testis non deponit de visu ipsius maleficij, sed de aliquo actu, vel remoto, vel etiam proximo ipsi maleficio: & tunc talis testis non facit indicium ad torturam, sed requirũtur duo testes, ad ipsum indicium probandum.

Nota tamen, quod ad hoc, vt dictum vnius testis faciat indicium ad torturam; requiritur quod sit integer, & omni exceptione maior: aliàs enim non facit indicium ad torturã. *Vnũ tamen.*

QVAESTIO XXIII.

Indicia à quibus personis sumi debeant.

SI pars in querela; aut consul in denunciatione nominauerit aliquos testes, tanquam de delicto informatos, tunc ipsi ante omnia examinentur; sin minus illi, qui verisimiliter possunt esse informati; puta, vicini. Debet autem Iudex in hoc caute ambulare, quia sępę numero de- *Vers. I.*

lin-

linquentes, aut agentes ꝓ eis contrahũt secreto pacem cum offensis; & deinde faciunt, quod ipsi, vel alij nomine eorum subministrant testes, qui eorum attestationibus falsis destruunt intentionem Fisci. Propterea bonũ est, quod recipiens testes super delicto, prius ab eis oretenus intelligat seriem facti, quã eorum dicta in scriptis redigat. Et vbi cognoscat, quod affectent defensionẽ rei, diligentius eos interroget perscrutando, à quibus fuerint vocati, aut instructi, aut cum quibus allocuti antequam deponerent; & si Iudici videantur de subornatione suspecti, cogeat eos ad fideiubendum. Et hoc maximè, quãdo tales testes superueniunt, post iam fundatam intentionem Fisci. Et hæc omnia faciat constare in actis. Licet enim Iudex regulariter, non debeat cauillare testes; neque de illorũ dictis, aliquid (quod sit substantiale,) tam aggrauando quam ex grauãdo, delinquentem; tam pro Fisco, quam contra Fiscum, detrahere, augere, aut minuere: nihilominus tamen, si habeat testes pro suspectis; potest, & debet studere, vt eos in verbis capere posit, eos super circunstantijs, reinterrogando.

Interrogatoria, (quicquid sit de Iure) hodie de consuetudine, non dantur per partes testibus; nec pro Fisco, nec ad defensam deponentibus, sed Iudex aut Fiscalis, eos interrogat prout sibi videtur. Possunt tamen dari per accusatorem, interrogatoria facienda testibus, qui ad defensam deponunt, non quidem in forma Iudicij, sed priuatim in aliqua cedula; ad instructionem ipsius Iudicis, vel Fiscalis. *Item quæri.*

QVAESTIO XXIV.

Testes in causis criminalibus, qui esse possint.

TESTES, qui repelluntur, à testificando in causa Ciuili, multo magis repelluntur in criminali; cum in ea debeant esse probationes, luce meridiana clariores. Quinimò, multi admittuntur in Ciuilibus, qui in criminalibus repelluntur. *Vers. 1.*

Mulier de Iure Ciuili, admittitur indistinctè ad te- *Quæro igitur*

Adde quod. teſtificandum, in cauſis criminalibus; etiam capitalibus. *De Iure aũt* De Iure autem canonico, non admittitur in cauſis criminalibus, criminaliter intentatis: ſed tantum in criminalibus, intentatis ciuiliter.

Item quæro. Inimicus inimicitia capitali, repellitur à teſtificãdo in cauſis criminalibus: etiam in criminibus exceptis: non autem inimicus inimicitia leui. Quis autem dicatur inimicus; aut quæ inimicitia capitalis, relinquitur arbitrio Iudicis.

Sed quid ſi ſecuta. Pariter ſecuta reconciliatione, eſt etiam relinquendum arbitrio Iudicis, qui ex circunſtantijs, & qualitate perſonarum, & inimicitiæ æſtimabit, an ſit repellendus, nec ne, inimicus reconciliatus. Bene verum eſt, quod qui ſemel fuit inimicus capitalis, etiam poſt mille reconciliationes, vix vnquam poteſt dici integer teſtis, vel omni exceptione maior: licet fortè non ſit in totum à teſtificãdo repellendus.

Sed nũquid. Qui ſemel teſtimonium dixit contra aliquẽ in cauſa criminali; aut in cauſa ciuili, in qua ageretur de maiori parte bonorum; nõ poteſt eſſe teſtis contra illũ in alia cauſa criminali; ſi ſponte accedat ad teſtificandum; ſi verò accedat coactus, eo quia citatus ſit, vtique debet examinari. Nota tamen, quod in omnem caſum, nunquam talis teſtis poterit dici omni exceptione maior.

Clerici poſſunt eſſe teſtes in cauſis criminalibus. *Vlterius quæro.* Attamen, debent ſe abſtinere à teſtificando, in illis in quibus ingeritur pœna ſanguinis: Si enim contingat ſequi mortem, aut mẽbri mutilationem, efficiuntur irregulares: non obſtãte quod in actu teſtificandi proteſtentur, quod non intendunt teſtimoniũ perhibere, ad hoc vt reus pęna ſanguinis afficiatur. *Sed quid ſi clericus.*

Laicus non poteſt, cõtra *Præterea.* clericum teſtificari, in cauſis criminalibus, criminaliter intentatis; bene autẽ in intentatis ciuiliter.

Pauper, ſi fuerit turpis *Quæro etiã.* perſona, nõ admittitur ad teſtificandum in cauſa criminali: ſecus autem ſi ſit honeſtæ vitæ, & bonæ conditionis, & famæ. Quis autem dicatur pauper, ſtatur arbitrio Iudicis.

Affinis, vel conſangui- *Quæro modo* neus accuſatoris, vel partis offenſæ, repellitur à teſtimo-

monio in causa criminali, quando vult contra reum testificari. Quia iniuria facta consanguineo suo, censetur etiam ipsi cōmunis. Ad defensam autem examinatur ad probandam innocentiam rei. Et quandoque etiam ad offensam, non tamen est integer testis.

Itē infamis. Infamis, tam infamia facti, quam infamia Iuris, repellitur à testificando in causa criminali, quando aliter veritas haberi potest. Quando autem veritas, aliter haberi non potest; tūc admittitur testis, infamis tantum infamia facti, cum tortura.

Item meretrix. Meretrix, non potest esse testis in criminalibus.

Quæro nunquid. Omne peccatum mortale continuum: puta, concubinatus; vel freqūetatum; verbi gratia, adulterium, repellit à testimonio in causis criminalibus. Si verò est momentaneum, vel transitorium, repellit quidem in Foro Ecclesiastico, etiam inter laicos, sed non in foro Ciuili. Et licet videatur, quod secūdum hoc pauci poterunt in testes admitti; cum nemo sine crimine viuat. Tamen annotandum est, quod si testis pœnituerit de peccato, poterit admitti; quia amplius non dicitur in crimine constitutus: & quod in dubio, semper erit præsumendum quod pęnituerit; nisi appareat de obstinatione.

Nota, quod semel conuictus de crimine vero, pręcedente accusatione, repellitur à testificando in causis criminalibus, licet postea fuerit emendatus.

Vidi quandoque. Quamuis de Iure minores. 14. annorum, non possint testificari in causis criminalibus; attamen de consuetudine admittuntur: si non vt probent, saltem vt prosint ad veritatem indagandam: & hoc præsertim in criminibus atrociorib⁹. Postquam autem quis factus est pubes, potest testificari de his rebus, quas vidit tempore quo erat proximus pubertati, non autē ante: dummodo sint res, quas eo tempore intelligere poterat; non aliàs.

Sciendum est. Est autem animaduertendum, aliquos esse casus, in quibus etiam testes inhabiles admittuntur. Primò, propter immanitatem criminū; ut in causa Hæresis, Lęsę maiestatis, & similib⁹; vt suis locis dictū est. Deinde, quādo veritas de

licti

licti aliter haberi non potest; tunc enim, in subsidiũ testes inhabiles admittuntur, ne delicta probationũ defectu impunita remaneant. Et sic nota, quod in casibus vbi certum est; aut etiam verisimile, alios testes non adfuisse, Senatus solet, fidem adhibere testibus inhabilibus, si non ad condemnandum pœna ordinaria; saltem extraordinaria, vel ad Torquendum: & ita teneas.

Item scias. Rursus animaduertendum est: quod omnes isti qui repelluntur à testificãdo, in causis criminalibus: possunt, & debent admitti, si producantur ad defensam; & sic ad probandam innocentiam rei: non vt omnino plenè probẽt, sed vt deinde, inspecta facti, & personarum qualitate, Iudicis religioni relinquatur, quanta sit eis fides adhibenda.

Successiuè. Testes hodie de consuetudine (quicquid sit de Iure) indistinctè coguntur ad testificãdum (etiamsi fuerint milites) tam in Ciuilibus quam in Criminalib⁹: exceptis aliquibus personis, quæ in causis criminalibus non coguntur testificari: verbi gratia, clericus: & ita aliquando rescripsit Senatus. Aut frater contra fratrẽ; vel mater cõtra filiũ. &c. Benè verum est, quod vbi veritas aliter haberi non potest; eo casu, etiam priuilegiati possunt cogi ad testimonium perhibendum in causis ciuilibus: & etiam plerunque obseruatur in criminalibus. *Scias tamẽ.* Quantum autem fieri possit, debet Iudex abstinere, ab examinãdis testibus, qui de Iure contra reum non possunt compelli ad testificandum. Quando verò casus occurrat, quod veritas aliter haberi non possit, & delictum fuerit atrox, tutius erit consulere Principem.

Vide etiam. Quando aliquis testis, reperitur examinatus in causa criminali, qui nõ debuit examinari; ad intelligendum an faciat indiciũ necne, distinguendum est. Nam aut talis testis prorsus repellit à lege; & tunc, non facit indicium, nisi ad assumẽdas informationes, uel ad capturam; vbi ita Iudici videatur: non autem ad transmittendam inquisitionem, seu citationem; neque ad Torturam. Aut verò non omnino à lege repellitur, sed illi de fide diminuitur: & tunc, si fuerit

examinatus;parte nihil opponente facit indicium; parte vero opponente non facit sufficiens indicium.

QVAESTIO XXV.

Testes quando torqueri debeant.

Vers. 1. TORTVRA, purgat defectum testis inhabilis;& operatur, quod faciat fidem ille contra reũ, qui aliàs sine tortura non probaret: exemplum poni potest in teste, qui sit infamis;siue infamia facti, siue infamia Iuris: aut in criminoso, etiam si non sit vilis persona:aut in socio criminis;isti enim nũqnam probant,nisi cum tortura. *Item in socio.*

Item testis. Testis varius in suis depositionibus, non facit fidem contra reum; nisi firmet dictum suum in tortura:& ita practicatur. Quod quidẽ habet locum etiam in Clerico: nam Clericus testis vacillans, vel suspectus quod veritatem dicere recuset, potest torqueri. Ratio est,qa magis peccat clericus celans veritatem quam laicus. Quod tamẽ intellige, vt posfit torqueri à suo Iudice Ecclesiastico;non autem à laico;etiam si coram eo vacillet. *Sed nũquid.*

Hæc tamen conclusio non habet locum, in testibus in dignitate constitutis; tales enim etiamsi vacillent, non torquentur; nisi in criminibus exceptis. *Scias tamẽ.*

Si testis vnũ dixerit extra Iudicium, deinde in Iudicio deponat contrarium; poterit ex ipsa torqueri varietate. *Sed Pone.*

Quãdo vilis persona testificatur in causa criminali, relinquendum est arbitrio Iudicis, an torqueri debeat vel non; qui iuxta qualitatem facti, & personarum, poterit arbitrari. Sed in omnem casum huiusmodi testibus, nunquam tanta fides adhibetur sicut alijs. *Sed quæro.*

Torquentur etiam testes, qui delicto interfuerunt, & tamen dicunt neminem vidisse, aut cognouisse; ex hoc enim reddunt se suspectos, tãquam quod veritatem celare velint. Quot autem, & quanti ipsorum, qui sunt suspecti, veniant torquendi; & qualitas,& modus torturæ, relinquitur arbitrio Iudicis. Nota tamen, quod tortura, *Torquẽtur.*

ra, nunquam debet esse ita grauis in testibus, prout in reis.

Solet dubitari. Nota deinde, quod secundum practicam nostrã, quando testes torquẽtur, non datur eis copia Indiciorum, nec processus; sed Iudices faciunt eos torqueri absque aliqua dispu tatione.

QVAESTIO XXVI.

Testes, extra territorium degentes, quomodo examinari possint.

Vers. 1. QVando testes deponunt, ad informationem curiæ; ex stylo huius Prouinciæ, Notarij etiam absque vlla Iudicis commissione, eorum dicta recipiunt. Testes vero, qui ad defensam deponunt, vt plurimum recipiũtur; ab ipsis Iudicibus quia eo casu, maior subest suspicio fraudis. Si tamen testes essent in longinquis partibus; tunc quandoque eorũ examina, committuntur alijs Iudicibus, sub quibus habent domicilium, idque fit consulto prius Senatu. Cæterum in omnem casũ si subest aliqua causa, propter quam Iudex velit testem uidere, & examinare; non attenditur distantia loci, neque committitur alteri eius examen; sed citatur, vt veniat personaliter ad deponendum.

Et aduerte. In causis criminalibus, omnes personę (etiã egregiæ) debent venire ad deponẽdum coram Iudice, si ita ipse voluerit: & ita obseruatur; nisi aliquo iusto impedimento essent impeditæ: verbi gratia, honestæ mulieres, infirmæ, aut debilitatæ; nam eo casu non cogũtur ad Iudicem venire, sed ad eas accedit ipse Iudex, vel mittit notarium.

Sed quæro. Licet de consuetudine, quando testes examinandi, reperiuntur extra territorium Iudicis procedẽtis; possint, & debeãt Iudices ꝑ eis examinãdis cõcedere litterás subsidiales, siue remissorias Iudici, ĩ cuius territorio ipsi testes reperiuntur; maximè quando adest magna, & necessaria causa. In hoc tamen Ducatu, nullus Iudex inferior tales litteras concedit, nisi Iussu Senatus; qui etiam hoc, nisi raro, & ex magna causa fieri non permittit.

Vnum scias. Nota, qđ quilibet Princeps, tam ecclesiasticus, quam secularis, potest etiam in causis criminalib⁹ receptionem testium alteri committere.

QVAESTIO XXVII.

Quid faciendum, si contra delinquentem, nulla sint Indicia.

Vers. 1. QVANDO nulla adsũt Indicia, solet Iudex ea perquirere, in domo ipsiusmet rei: uerbi gratia, si res furata dicatur esse in domo alicuius, mittit satellites, ad eam perquirendam.

Sed hic incidenter. Non tenetur reus in causis criminalibus, edere Iura, & instrumenta Fisco, ad ipsius intentionem fundãdam, sicut in ciuilibus: non solum si causa fuerit Capitalis, verum etiam neque in non capitali, sed merè pecuniaria. Parti autem certum est, quod non tenetur edere; nisi essent acta communia: non autem tenetur edere attestationes, confessiones, repetitiones, vel confrontationes testium.

Aliquando. Aliquando etiam, facit Iudex proponi edictum, vel litteras monitorias ex officio, ad hoc vt reueletur delinquens. Et aliquando *Sed quaro.* etiam ad instãtiam partis, Iudex ecclesiasticus concedit litteras monitorias; & Iudex secularis proponit edictum; vt quicunque sciuerit apud quam personã, vel in quo loco reperiatur talis res, quæ dicitur furto subtracta debeat eam reuelare: ex quibus obligatur vnusquisque ad propalãdum; dummodo id sciat aliunde, quam ex reuelatione ipsius furis: si enim habuerit notitiam ab ipsomet qui furtum commisit, non tenetur eo casu reuelare.

Sed nũquid. Nota, quod de consuetudine diœcesanorum, & stylo Romanæ curiæ; non solum possunt concedi huiusmodi litteræ, & edicta; vt reueletur res furata; sed etiam vt reueletur fur; & hoc tam ex officio, quam ad instantiam partis.

In multis autem. Stante statuto, proponẽte præmium reuelanti, seu denuncianti malefactorẽ; si aliq̃s ex participibus vel complicibus delicti reuelauerit, non gaudebit beneficio statuti.

Sed Pone. Stante pariter statuto; aut proposito edicto, quod de-

denuncians, vel detegens, vel arguens malefactorē, consequatur certum præmium; licet aliquis denunciauerit, vel arguerit aliquem de maleficio, si illud non probauerit, non consequetur præmium. Quia uerba sunt intelligenda cum effectu; vt scilicet non sufficiat denunciasse, aut detexisse, vel arguisse, nisi etiā conuincat.

QVAESTIO XXVIII.

De captura Reorum.

Vers. 1. POST assumptas informationes, debet Iudex diligenter considerare, q̇d ex processu resultet: & an ex eo posſit contra reum, ad decretum capturæ deuenire: circa quod, tria sunt animaduertenda, ne si iniustè aliquem detineri faciat, teneatur in syndicatu.

Primum est; vt delictum de quo agitur sit tale, pro quo ingeratur pœna corporalis: aliàs enim, non est reus ad carceres conducendus.

Secūdū est. Secundum; vt indicia quæ ex processu resultant, sint sufficientia ad capturam.

Quia verò (vt dictū est) tota hæc indiciorum materia, est arbitraria Iudici; ideò poterit Iudex inspecta qualitate personę, & delicti, decernere capturam contra reum, habita informatione; ea videlicet, quæ sibi sufficiens videbitur. Et quia.

Aliter enim procedendum est contra nobilem, & contra diuitem, qui non præsumitur velle aufugere, quam contra pauperem, & vilem personam. Et ideo fortiora indicia haberi debent ad carcerandum personam nobilem, & insignē, quam pauperem. Præterea, aliter procedendum est in delictis occultis, quam in publicis: & sic minora indicia sufficient ad decernendam capturam, quādo agitur de crimine occulto, quam de publico: quæ omnia, & alia multa huiusmodi; discretus Iudex considerare debet, non enim potest in his dari certa regula. Poterit igitur Iudex capi facere reum, vbi ei suspectus videatur, & de fuga, & de delicto; & ad carceres conduci, præcedente aliquali informatione: non autem eum examinare super delicto, nisi legitima præcedant inditia. Et certè

tè ſi in cauſis ciuilibus, licet Iudici, & quandoque etiam ipſimet parti, capere debitorem qui ſit ſuſpectus de fuga; multo magis id licere debet Iudici in cauſis criminalibus; quæ ſunt multi maioris momenti, & maximè in atrocibus. Et ſic vides, quod etiã hæc materia informationũ, & Capturæ, eſt quaſi arbitraria Iudici. Quinimò, aliquãdo dicitur etiam, ei ſemiplene cõſtare, per informationem habitam oretenus à pluribus, extraiudicialiter, quæ ſufficit ad capturam. Quod quidem eſt valde notandum, ad excuſationem Iudicum, qui antequam Indicia in ſcriptis redigãtur, faciunt reos detineri; & benè faciunt, quã do delictum eſt graue, & ſubeſt probabilis ſuſpicio fugæ.

Tertio debet. Tertium quod tenetur animaduertere eſt; ne fortè perſona, cõtra quam decernitur captura ſit talis, quæ ex priuilegio detineri non poſſit: *Item quæro.* nam Doctor quãuis carceretur pro delicto graui: non tamen poteſt carcerari pro delicto leui.

Quæro igitur. Licet de Iure mulieres honeſtę, non poſſint carcerari: attamen hodie de cõſuetudine contrarium ſeruatur: nam indiſtinctè mulieres capiuntur pro delictis, & carcerantur. Iudex autẽ in hoc, debet eſſe circunſpectus; ſi enim mulier ſit nobilis, vel honeſtæ conditionis, non debet illam cũ dedecore ad ſe conduci facere, neque ſtatim in carcerem conijcere: ſed poterit ei dare pro carcere, domum alicuius nobilis, & honeſtæ matronæ, ſub idonea fideiuſsione: & hoc, niſi delictum ſit atrox: nam eo caſu eſſet detrudenda in carcerem, vel monaſterium, vel in prætorio in aliquo cubiculo ſub honeſta cuſtodia, & fideiuſſione, retinenda arbitrio Iudicis: inſpecta qualitate delicti, & perſonæ: & ita ſeruatur in hoc Ducatu.

Nulli dubium eſt, quod hodie clericus poteſt capi, & perſonaliter detineri, à ſuo Iudice eccleſiaſtico: à Iudice autẽ ſeculari, non poteſt detineri: niſi in caſibus, in quibus poteſt ab eo puniri. Aut niſi inueniatur in flagranti crimine; nam tunc poteſt capi à familia Iudicis ſecularis, ad effectum vt tradatur ſuo Iudici eccleſiaſtico: & ne- *Quæro nunquid.* *Si vero loquimur.*

dum

dum à familia, sed etiam à quocunque laico. Idem pariter dicendum est, vbi clericus delinquens, verisimiliter esset suspectus de fuga: potest enim capi, vt episcopo suo consignetur. Nã & hoc casu, publicè interest, vt talis delinquens capiatur, ne crimen impunitum remaneat.

Dictum est. Licet in causis ciuilibus, in verbali citatione, quilibet nuncius, absq; Iudicis mandato, possit quemcunque citare: In criminalibus tamen; sine speciali Iudicis commissione, nemo debet personaliter detineri; nisi reperiatur in flagranti crimine facere rixam, aut deferre arma prohibita, aut aliàs delinquere: nam his casibus, vtique capi potest per familiam, absque speciali commissione.

Solet autem Captura solet committi satellitibus, & familiæ ipsius Iudicis. Et licet de Iure possit etiam cõmitti ipsimet parti offensæ, quando nõ habet annexam causæ cognitionem; & dummodo fiat sine armis, & resistentia. Attamen (quicquid sit de Iure) abstineãt Iudices à talibus commissionibus; ne detur occasio scandalorum: quæ quidem de facili eueniunt, quando huiusmodi actus, non publica, sed priuata manu peraguntur. Posset fortè tolerari, quod vna cum familia assisteret pars, tantũ modo ad dandum auxiliũ, & fauorem; non autem, vt ad actum capturæ manum apponeret. Sed neque hoc, nisi ex vrgenti necessitate fieri debet.

QVAESTIO XXIX.

De resistentia, familiæ facta per Reum.

FAMILIA habens mandatum Iudicis, capiendi aliquem delinquentem; Si ipse resistat, neque aliter capi possit; potest illum impunè interficere. Debent tamen satellites, cautè in hoc procedere: quia si deinde appareret, quod illum capere potuissent, absque eo quod interficerent, aut vulnerarent, non euaderent pœnam, saltem extraordinariam. Et nota, quod tali casu, debẽt habere secum licentiam capiendi in scriptis: aut saltem insignia officij: aliàs enim posset reus licitè ab *Vers. 1.*

eis

eis aufugere, & etiam se defendere: quia ipsis credere non tenetur.

Sed hic incidenter. Ad hoc autem vt dicatur licitum, resistere officiali, seu Iudici; maximè qñ de facto procedit, distinguendum est. Nam aut Iudex procedit tanquam Iudex; & nullo modo debet ei resisti: nisi vellet inferre aliquod præiudicium irreparabile. Aut procedit eo modo, quo solent procedere priuati; & tunc impunè licet ei resistere.

Eximens. Eximens detētum è manibus familiæ, punitur pęna capitis: nisi ille esset indebitè detentus; nam tunc illum eximens non est puniendus.

Sed quid si ille.

Quæro etiã. Eximēs autem se ipsum; si id facit sine violentia; punietur sicut ille, qui fugit è carceribus; nam etiam ipse dicitur detineri: mitius tamen, ex quo non dicitur violare publicos carceres. Si verò aufugerit, defendēdo se cum armis; punietur sicut ille, qui capturæ resistit.

Sed quid si. Si delinquēs aufugerit, ita vt capi non potuerit à familia; poterit Iudex publicare edictum cum præmio, capiēti huiusmodi delinquentem in particulari; (vbi delictũ esset atrox, & seuera pœna dignum:) nō autem in genere cuicũque capiēti malefactores: hoc enim esset condere legem, quod non permittitur, nisi supremis magistratibus.

Nota, quod quicunque, (etiam non habens mandatum à Iudice) cœperit aliquem malefactorem, & tradiderit curiæ, si in eo capiendo aliquid expenderit, poterit illud recuperare, ab Officiali; vel à Fisco. *Vnũ tamen.*

Nota verò; quod etiam stante statuto, constituente præmium capientibus delinquentes; Si officialis aliquem ipsorum cœperit, non gaudebit præmio ab statuto proposito: quia illud facere tenetur, ex debito, & necessitate officij sui. *Cæterum.*

E conuersò autem: stante statuto, quod villa teneatur capere malefactorem, sub certa pœna. Si maleficium fuerit commissũ de nocte: & Rector, seu Potestas, habebat claues Castri; ita quod, illi de villa nō potuerunt exire, ad capiendum delinquentem; non tenebitur villa pœna statuti. Cum enim facto, seu impedimento superio- *E conuersò.*

ris

ris exire non potuerint, non stetit per eos; & sic nõ potest ipsis aliquid imputari.

Sed Pone. Si familia vnius Iudicis, incipiat in suo territorio persequi delinquentem, & eum capiat; & deinde ille aufugiat in territorium alterius Iudicis, & ibi fuerit à familia eum persequente comprehensus, non potest retineri à primo Iudice q capturam decreuit, nec ab eo puniri; sed est relaxandus, & dimittendus; quia non attenditur principiũ sed finis.

QVAESTIO XXX.

De immunitate Ecclesiæ, & quibus casibus gaudeat reus ad eam confugiens.

Vers. 1. LICET Reus ad Ecclesiam confugiens, gaudeat de Iure ipsius immunitate; quæ quidem in duobus consistit. Primum, vt inde violenter extrahi nõ possit. Secundum, vt etiãsi violenter non fuerit extractus, sed ab ipso Episcopo, vel Abbate, Iudicibus laicis spontè traditus, nõ possit amplius ex eo delicto condemnari, ad aliquã pœnam corporalem, vel corporis afflictiuam; sed tantum ad pecuniariam; & ad pœnitentiam agendam. Nihilominus tamen apud nos non seruatur: nam illi qui post delictum, confugiunt ad Ecclesiam, si spontè traditi fuerint à Prælatis; vel aliter spontè exierint: Aut etiam violenter (in casibus exceptis, & licitis;) extracti fuerint, puniũtur pœna sanguinis, aut alia iuxta qualitatem delicti, perinde ac si nunquam ad Ecclesiam confugissent. *Successiuè.* Et si traditi non fuerint, solent inquiri, & citari: & si non compareant, condẽnari ad pœnam corporalẽ, vsque ad mortẽ inclusiuè, secundũ merita processus, & delicti qualitatem.

Hinc est, quod licet de *Hinc est.* Iure Communi, non modo Ecclesiæ ambitus, gaudeat priuilegio immunitatis, sed etiam quicquid est, per quadraginta passus circa ipsam Ecclesiã, si sit matrix; & per triginta in alijs: attamen hoc vsu nostro non obseruatur; nisi in illis domibus, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, & cohærent Ecclesiæ.

Scias etiã. Palatium similiter Episcopi (de communi consuetudine, quicquid sit de Iure) non gaudet hac immunitate; nisi sit constructum, intra dictos quadraginta passus ab ipsa Ecclesia.

Quæro si. Si Ecclesia fuerit cõstructa auctoritate Episcopi, licet nondum consecrata, neq; in ea sint celebrata diuina officia, gaudet nihilo minus immunitate.

Idem etiam. Idem etiam dicẽdũ est, in Ecclesia interdicta. Et ratio est, Quia honos Ecclesiæ debitus, ob Dei reuerentiam præstatur; quæ, propter hominum culpam cessare non debet.

Maius est. Ecclesia destructa, auctoritate superioris: vel sine spe reædificationis, nõ gaudet. Si verò est destructa sine auctoritate superioris: vel subest spes refectionis, vtique retinet priuilegium immunitatis.

Sed quid dicendum. Oratoria priuata non gaudent; etiamsi in eis diuina celebrentur officia. Quia cum sint loca priuata, ad voluntatem domini domus, hodie talis locus est oratorium, & cras potest esse camera.

Quæro nunquid. Omnes igitur delinquẽtes regulariter, qui ad ecclesiam confugiunt, gaudent ipsius immunitate: præter latrones viarum, depopulatoresque nocturnos agrorum; & homicidã qui ex insidijs alterum interfecit. Sed nota in latrone, & depopulatore, quod, ad hoc vt isti indigni reddantur beneficio immunitatis ecclesiæ: requiritur, quod in strata publica, & frequentata, paratis insidijs obsederint, vt homines interficerent; vel agros depopularentur. In homicida verò; quod si homicidium fuerit simplex: verbi gratia, commissum casu, culpa, vel etiam dolo; nulla tamẽ animi deliberatione, ex interuallo præcedẽte, gaudebit immunitate ecclesiæ: & ita ab omnibus obseruatur. *Scias tamen* Si autem fuerit deliberatum, siue sit cũ proditione; siue per insidias: siue cum sola qualitate animi deliberati; nullo modo gaudebit: & ita pluries practicauit Senatus. *Punctus est.* *Hoc autem.*

Quæro nunquid. Rei læsæ maiestatis, secundum practicam nostrã, non gaudebunt immunitate.

Quæro an fures. Fures, de Iure gaudent immunitate ecclesiæ: in aliquibus autem locis de consuetudine non gaudent:

quæ

quæ quidem consuetudo apud nos non seruatur; licet esset bonũ illam seruare, vbi adest copia furum.

Sed quid si. Qui in vna ecclesia delinquit, quolibet genere delicti, non gaudet immunitate ecclesiæ: etiamsi post delictum, se cõfugiat in aliam diuersam ab ea in qua deliquit. Cum enim vna sit per totum orbẽ vniuersalis ecclesia, qui facit iniuriam vni particulari, omnes offendisse videtur.

Item quæro. Hinc est, quod Sacrilegos, Senatus iussit indistinctè extrahi ab ecclesia. Ratio est, quia qui in ecclesia delinquit eius defensione reputatur indignus.

Vlterius. Licet de Iure clerici gaudeant immunitate, sicut & laici: nõ. n. debent esse deterioris conditionis; contrarium tamen seruatur de cõsuetudine: nam inuiti extrahuntur per eorum Iudices ecclesiasticos.

Præterea. Iudæus, non gaudet immunitate ecclesiæ. Ratio est; quia ipsi sua infidelitate, se indignos faciunt eius beneficio. Et nõ debemus erga Iudęos perfidissimos, Christiani nominis hostes, aliqua vti humanitate.

Quæro etiã. Excommunicatus, gaudet ecclesiæ immunitate.

Pone familia. Quamuis Familia insequatur reũ, fugiẽtem per loca profana, si tandem in ecclesiam se receperit, non est in ea capiendus.

Quæro nunc. In casibus in quibus delinquentes, nõ gaudent immunitate ecclesiæ; possunt Iudices seculares propria auctoritate, non expectata licentia episcopi, illos extrahere. Debent tamen hoc facere cum modestia, & sine tumultu, & offensa personarum ecclesiasticarum: & vbi aliquando comperiant, quod de Iure non debuissent illos extrahi facere, debent eos confestim ecclesiæ restituere.

Quæro modo. Quando delictum nõ est tale, pro quo delinquens ab ecclesia extrahi possit; non est licitum in hac Prouincia Mediolani, Iudici seculari, positis custodib⁹ ecclesiam ipsam obsideri facere, & prohibere ne ad eum alimenta deferri possint: sicuti fit in multis alijs locis, & Prouincijs. Bene autem solent rei, qui ad ecclesiam confugiunt, poni in compedibus, vel cum bona custodia, donec cognitum fuerit, an gaudere debeant ipsius Ecclesiæ immunitate.

Scias autē. Immunitas Eccleſiæ prodeſt, non ſolum delinquentibus, qui ante capturam in Eccleſiam ſe recipiunt, ſed etiam carceratis, qui è carcere aufugiunt: & ſimiliter iam condemnatis, & bānitis, etiam capitaliter: & ita declarauit Senatus. Quinimo, ſi aliquis condēnatus, dum ad ſupplicium ducitur, tranſit per Eccleſiam, vel cęmiterium, gaudet immunitate Eccleſiæ; neque poteſt inde violenter extrahi.

Vltimo quære. Confugiens ad Sacerdotem, Sacram Euchariſtiā in manibus portātem, gaudet immunitate; ſicut illi, qui ad Eccleſiam cōfugiūt. Et Ratio eſt; quia in ipſa Euchariſtia, eſt CHRISTVS IESVS, propter quem Eccleſia gaudet hoc priuilegio: Et ideo à fortiori idē in eo dicendum eſt, quod in Eccleſia.

In hoc autē. *Item adde.* Nota; quod neque Scholares, ꝓ aliquo delicto ab Scholis; nec delinquentes à domib⁹ Cardinalium. S. R. E. extrahi poſſunt.

Tertio adde. Confugientes etiam ad Principū Statuas, ſunt de Iure ſicuri, ne inde auelli poſſint: hoc tamen vix poſſet in practica obtineri.

QVAESTIO XXXI.

De citatione Rei.

VBI capturæ locus nō fuerit, debet Iudex contra reum, ad vlteriora procedere; & ſi contumax fuerit illum condemnare. *Verſ. 1.* Eſt tamē ante omnia, ipſe reus legitimè citand⁹: Vbi enim non fuiſſet citatus, aut citatio eſſet nulla, vel min⁹ legitima; proceſſus, & ſententia, & omnia quæ ſequuntur eſſent ipſo Iure nulla. Quod quidem habet locum, non modo in quocūque Iudice, ſed etiam in ipſomet Principe; Quia nec & ipſe, neque de Poteſtate ordinaria; neque de plenitudine poteſtatis, poteſt procedere contra aliquem non citatum; quamuis eius ſubditus ſit; & etiam ſi delictum eſſet notorium. *Adde quod.*

Habet pariter locum, in ſententia excommunicationis declaratoria, & etiam in ſententia cenſuræ, & interdicti: nam & in ipſis, requiritur citatio. *Item adde.* Pręcipuè tamē requiritur, in diſcuſſione negotij, & cauſæ, propter quam peruenitur ad ipſam ſententiam declaratoriam. Ratio eſt, quia

aliàs

aliàs esset tollere parti suas defensiones, quod nullo modo fieri potest.

Vnum autē. Licet in causis ciuilib⁹, valeat citatio sine speciali cōmissione Iudicis: in criminalibus tamen debet fieri de speciali commissione, aliàs esset nulla; & ita obseruatur.

Item quæro. Quamuis de Iure communi, tam in ciuilibus, quā in criminalibus, possit Iudex cōminari pœnam reo non comparenti; & sic in citatione apponere pęnam pro contumacia; dummodo non sit cōfiscationis bonorum. In hoc tamen dominio, prohibitum est per nouissimas cōstitutiones, procedere præceptis pœnalib⁹, sine licētia Senatus; qui tamen aliquando concedit, vbi non ad sunt Indicia sufficientia, ad formandam inquisitionem, præsertim in causis magnis.

Quæro nunc.

Quæro nunquid. De Iure item communi, sufficit citare reum, vt cōpareat ad respondendum Inquisitioni contra eū formatę, ratione talis delicti, absque insertione totius libelli: & etiam aliquando absque insertione causæ. Attamen apud nos de consuetudine, non solum in citatione, inseritur causa, sed etiam necessario est inferendus, tot⁹ tenor Inquisitionis, seù libelli.

Quæro quæ. Forma Inquisitionis, seù libelli, cuius tenor, inseritur in citatione, apud nos obseruatur in hunc qui sequitur modum.

Hęc est. Hæc est quædam inquisitio.] Hæc verba apponuntur; quia sic fuerunt à sapientibus electa, & vsu recepta.

Siue titulus. Siue titulus inquisitionis.] Quia reuera iste libellus, non est propriè inquisitio; sed titulus criminis resultans ex inquisitione; scilicet, ex Indicijs per ipsum Iudicem assumptis.

Quæ fit. Quæ fit, & fieri intenditur.] Quia etiam transmisso libello Inquisitionis, non cessat ipsa Inquisitio; imo Iudex, semper ex officio durante processu, perseuerat inquirendo, & recipit testes super delicto.

Per Dominum. Per Dominum N. patronum. Et D. N. eius Iudicem maleficiorum.] Ad hoc vt sciat reus, coram quo debeat comparere ad se deffendendum. Et an ipse, sit suus Iudex competēs nec ne: & an habeat Iurisdictionem in Criminalibus.

Ex

Ex eorum. Ex eorum, & cuiuscunque eorum mero officio, auctoritate, Potestate.] Quia Inquisitio, propriè fit ex officio Iudicis.

Arbitrio. Arbitrio, atque Balia.] Iudex licet habeat arbitrium, debet tamen seruare Ius commune: nam Arbitrium concessum officialibus super maleficijs, restringitur ad Ius commune: nisi quo ad modum procedendi; aut circa læuia. Aduertant etiam officiales, ne p̃textu arbitrij eis cõcessi, nimis animosè ꝓcedant: quia licet sit datũ à lege, vel ab homine arbitrium procedendi, non tamen propterea censetur remota cognitio: sed tantum remissa subtilitas.

Et ad querelam. Et ad querelam.] Quia hæc querela quæ successit loco accusationis, potest concurrere etiam cum Inquisitione.

Nec non. Nec non, & ad denunciationem.] Quia hæc tria remedia, quotidie in practica concurrunt simul. Nã in omnibus ferè delictis pars querelat; Antianus, siue Syndicus denũtiat; & Iudex ex officio inquirit. Hic autem modus procedendi per denunciationẽ nõ est modus de per se, sed est connexus cũ Inquisitione.

Contra Contra, & aduersus N.] Quia exprimendum est nomen proprium imputati, eiusque agnatio, & patria, & habitatio si fieri potest; ita vt omnino certa sit persona, quæ inquiritur. Si vero ignoretur nomen Homicidæ, describendum est per signa, & omnes circunstantias, quæ exprimi poterint: nam eo casu dummodo constet de corpore, & delicto; potest procedi etiam ad condemnationem.

Homicidam Homicidam.] Quia exprimendus est titulus delicti; vt tempore condemnationis sciri possit, quæ pœna sit imponenda.

In eo. In eo, de eo, & super eo, quod.] Sunt verba synonima, tamen consuetudo obtinuit, vt semper omnia apponantur.

Fama. Fama publica præcedente.] Quia fama præcedere debet inquisitionem, de ea tamen dicitur constare ex ijs quæ resultant ex processu particulariter cõtra aliquem.

Et clamosa. Et clamosa insinuatione refferente.] Quia vltra famam, requiritur clamosa insinuatio.

Non

Non quidē. Non quidem maleuolis, & ſuſpectis, ſed potius ab honeſtis, & veridicis hominibus, & perſonis.] Quia fama debet habere originē à perſonis non ſuſpectis.

Non ſemel. Non ſemel tantum, ſed ſæpe, & ſæpius ad aures, & notitiam dicti D. Poteſtatis, & Iudicis, & Curiæ.] Quia requiritur, quod ſic vicibus geminatis, aſcendat fama, ad aures Iudicis.

Etiam per modum. Etiam per modum notorij auditu peruenit.] Hæc verba apponuntur de conſuetudine, & optima ratione; nam non nocent reo, & poſſunt prodeſſe Iudici.

Quod de anno. Quod de anno præſenti, & menſe Octobris.] Quia in inquiſitione, debet exprimi annus, & menſis: nā aliàs tolleret reo, magna pars ſuæ defenſionis.

Exiſtens. Exiſtens Florētiæ in Hoſpitio Leonis.] Quia de neceſsitate exprimēdus eſt locus in inquiſitione, prout in accuſatione.

Cæterum. Quo expreſſo narratur factum prout eſt, cum omnibus ſuis qualitatibus.

Scienter. Scienter, & dolosè.] Quia multa facta puniuntur ſcienter commiſſa, quæ ignoranter nō puniuntur: maximè quando ignorantia eſt probabilis; nam tūc aut excuſat in totum, aut ſaltem prodeſt ad mitigandam pęnam: nedum ſi delictum commiſſum eſt in omittendo, ſed etiam ſi in committendo; Verbi gratia, ſi extet ſtatutum, quod præſtans opem bannito, vel nobili delinquenti acrius puniatur: ad hoc vt habeat locum diſpoſitio ſtatuti; debet probari, qđ inquiſitus ſciebat illum eſſe bannitum, vel nobilem. Rurſ᷒, nemo poteſt corporaliter puniri, niſi dolus in ipſo delicto interuenerit: & ideo multum intereſt; an in delicto interuenerit dolus, nec ne.

Super quibus. Super quibus omnibus, & ſingulis &c.] Quia licet de Iure in criminalibus nō ſit neceſſaria concluſio libelli; tamen de conſuetudine apponitur in inquiſitionibus iſta clauſula, loco concluſionis, quæ ſaluat ipſam ab omni ineptitudine.

Secundum formam. Secundum formam Iuris, & ſtatutorum.] Hæc clauſula poſſet continere repugnantiam, vbi ſtatuta imponerent pœnam diuerſam, ab ea quæ imponitur per Ius commune: nihilominus admittitur de

con-

consuetudine: quia in casu repugnantiæ; est imponenda pœna statutaria.

Inchoata. Inchoata, facta, & formata fuit dicta Inquisitio, per dictum D. Potestatem, &c.]

Quæro etiã. Nota, quod ad hoc vt dicta citatio fidem faciat, solent Iudices illam subscribere: & ita obseruatur in practica.

Dictum est. Supposita igitur prædicta forma citationis, & q̃d cõtinere debeat: circa modum intimandi ipsam, animaduertendum est, quod semper sunt seruanda statuta particularia, ciuitatũ, & locorum, circa illum disponentia. His autem deficientibus; sufficit quod

Scias tamẽ. re⁹, qui est pręsens in ciuitate, vel territorio, suæ solitæ habitationis, citetur ad domum, relicta ibi citationis copia.

Sed nũquid. Nec requirit̃ q̃d prius p̃quiratur à nuncio, per Ciuitatem, vel locum an possit p̃sonaliter reperiri necne: sufficit enim quod nũcius, de directo vadat ad domum rei citandi, nulla prius facta perquisitione.

Sed hac quidem. Si autem reus fuerit absens à Ciuitate, vel territorio illius Iudicis, de cuius mandato est citandus: distinguendum est. Aut enim habetur notitia, quod est in alieno territorio: & tũc, citatur per litteras subsidiales directas Iudici illius loci, in quo citandus degit; vt ibi illum citari faciat, seu permittat. Aut est merè absens, nulla habita notitia vbi reperiatur: & tunc, citatur in forma absentis. Videlicet, ad domum vbi habitabat, si cer- *Posset fortè.* tam habitationem habuerit: sin autem, ad valuas Ecclesiæ maioris, illius Ciuitatis vel loci, in qua, seu in cuius territorio, delictũ commissum est: & etiam ad loca publica, & solita illius Ciuitatis, vel terræ, vbi de crimine cognoscitur voce pręconia, in locis vbi proclamationes fieri solent.

Si reus nullum habuerit *Sed quid si reus.* domicilium, sed fuerit vagabundus, citatur in dicta forma absentis.

In quolibet ipsorum ca- *Quæro modo* suum; ad hoc vt reus possit condemnari, requiruntur tres citationes. Nam vltra primam, debet citari deinde ad allegandum: & deinde peremptoriè ad sententiam.

Ex quib⁹ infertur, quod *Sed hic quæro.* ad condemnandum reum

con-

contumacē, requiritur de necefsitate citatio peremptoria: fufficit aũt vnum peremptorium tantum. Quãdo vero reus eft in carceribus; in hoc Ducatu mediolani, fententia condẽnationis fertur contra eũ abfq; eo quod citetur, aut conducatur ad præfentiã Iudicis, fed fufficit monitio generalis. Neq; etiam fententiæ, pronuntiantur ab ipfis Iudicibus fedentibus pro tribunali; nifi quãdo proferuntur contra cõtumaces: fed tantum Notarij fcribunt fententias de commifsione Iudicum, & ipfi illas fubfcribunt, & deinde mittuntur executioni.

Vlterius quæro. Nota, quod in hoc Ducatu in vim cõftitutionis; in omnibus actibus præiudicialibus, etiam ante inquifitionem formãdam, debet citati pars offenfa, & Fifcus. De Iure autem cõmuni, iftæ citationes non funt de fubftantia, vfque ad fententiam: ad fententiam autem ferendam, funt citãdi omnes illi, cum quibus lis eft conteftata; aliàs fententia effet nulla. Et fic, quoad accufatorem Cautela eft, vt Iudex faciat fibi dari ab eo, licentiam procedendi, etiam ipfo abfente; quę tamen apud nos effet fuperflua, & fic non feruatur: qa Iudex de per fe, poteft ex officio procedere. Quo autem ad Fifcum; fi reus eft pręfens, folent in hoc Ducatu, fifcales ipfimet fubfcribere fentẽtias; & fic poteft dici, quod nedum citatis, fed etiam eis pręfentibus proferuntur fententiæ criminales. Si verò reus eft cõntumax, non citatur Fifcus, neque accufator, fed fit condemnatio ad fonum tubæ, vel campanæ; quæ habet vim citationis, actoris, rei, & omnium citandorum.

Vltimo quæro. Pẽdente termino ad cõparendum in citatione appofito, bene poteft Iudex capi facere reum inquifitũ. Et ideò quando rei timẽt ne capiãtur; Cautela eft, vt exhibeant fideiufforem de comparendo infra certum terminum, & fic folet tolli decretum capturæ.

QVAESTIO XXXII.

Procurator in caufis criminalibus, an fit admittendus nec ne.

Verf. 1. QVANDO in criminalibus proceditur contra abfentem, non admitti-

Hæc autem conclusio. tur procurator ex parte rei in illis causis, in quibus in contumaciam, venit cum *Ex hac autē* sentētia diffinitiua, imponenda pœna corporalis: verbi gratia fustigationis, *Ratio autē.* vel huiusmodi. Ratio est, ne Iudicia criminalia reddantur elusoria secuta con *Cæterum.* demnatione. Vbi autem ex iuris dispositione, aut aliàs non imponitur pœna corporis afflictiua, sed tantū pecuniaria, eo casu vtique admittitur Procurator. In istis enim casibus, cessat supradicta ratio; nam cum executio cōdemnationis, facienda sit in bonis non autem in persona; nec Iudicium reddetur elusorium; nec interest fisco neq; parti, an reus personaliter compareat, vel per procuratorem se defendat.

Hinc est. Hinc infertur, quod si agatur de delicto, pro quo tantummodo veniat imponenda pœna relegationis, vel alia minor: siue sit relegatio ad certum locum; puta, Insulam, vel Ciuitatē, (quam vulgo confinationē appellant) siue à certo loco: puta, ab aliqua prouincia, vel territorio (quod vocatur exilium) nihilominus tamen in vtroque casu, indistinctè admittitur procurator. Quod idem dicendum est, vbi agitur de pœna priuationis officij; aut depositionis ab ordine, seu dignitate. *Idem etiam*

Hinc pariter infertur; quod vbi ex dispositione statuti, imponeretur pro Homicidio pęna pecuniaria: reus de Homicidio imputatus, posset se defendere per Procuratorē. Quod tamen intellige, vt procedat quando statutum imponit simpliciter pęnā pecuniariam. Si verò statutum imponat pœnam mortis, à qua possit se liberare soluendo pęnam pecuniariam; tunc, quia principaliter imposita est pęna corporalis, non esset procurator admittendus. *Dictum est.*

In causis in quibus agitur, de pęna Iudici arbitraria; si Iudices non consueuerunt, imponere pœnam corporis afflictiuam; poterit procurator interuenire, alias secùs. In illis autem, in quibus pœna est reseruata arbitrio Principis, vel superioris; non est audiendus reus per procuratorem; etiam quod Princeps pro eo delicto, aliquādo pœnam corporalem nō imposuisset. Quia ea quæ pendent à voluntate princi- *Sed quære,*

ci-

cipis, non ſunt ab inferioribus regulanda.

Vlterius quæro. Vbi à lege vel ſtatuto, fuerit pro aliquo delicto impoſita pœna pecuniaria; & caſu quo non ſoluatur infra certum tempus, imponatur corporalis: tunc admittetur procurator, ſi principalis ſit notoriè ſoluendo; aut præſtet idoneã cautionem, de ſoluenda condemnatione pecuniaria. Si verò non fuerit ſoluendo, nec dederit fideiuſſorem; tenetur perſonaliter comparere.

Sed Pone. Nota, quod vbi pro vulnere imponitur pœna pecuniaria; pro Homicidio verò pœna mortis (prout cõmuniter imponitur ex forma ſtatutorum) ſi Titius vulnerauerit Seium, & dubitatur an vulnus ſit lęthale, nec ne: melius, & tutius eſt, nec admittere procuratorem, nec procedere in cauſa, donec videatur exitus, an ex vulneribus ſequatur mors, vel non. Bene verum eſt, quod in hoc Ducatu, in quo ex diſpoſitione conſtitutionum, pro vulneribus illatis animo delibecato, eſt impoſita pęna mortis; vtique hoc caſu poſſet Iudex procedere, non expectato euentu, ſaluo tamen Iure procedendi de Homicidio; vbi mors ſequeretur: & hoc, quia vtroque caſu, reus teneretur perſonaliter cõparere. Quod aliquando obſeruatur in caſibus atrocibus, & celeri expeditione dignis.

Quia bannitus pro vno maleficio, poteſt etiã pro alio inquiri, & banniri; animaduertendum eſt, quod etiam quando citatur pro ſecundo, non poteſt ſe defendere per procuratorẽ; ſed debet impetrare ſaluũ conductum, reſpectu primæ condemnationis, & perſonaliter comparere ad ſe defendendũ in ſecũda cauſa. Et nota, quod talis ſaluus conductus, non poteſt ei denegari; quia eſſet illi auferre facultatem ſe defẽdendi. *Tu ſcis quod bannitus.* Licet autem Iudex de Iure communi, poſſet dictum ſaluum conductum concedere; tamen in hoc Ducatu; ſolus Princeps, aut Senatus eos concedũt. *Sed hic quæro.*

In delictis, in quibus procedítur etiam contra mortuos, ad eorum memoriã damnandam: verbi gratia, in crimine hæreſis, & alijs; admittitur Procurator hæredum mortui, ad ipsũ mortuum defendendum. Nam etiã hoc caſu, ceſſat ratio *Debes ſcire.*

conclusionis; ne scilicet Iudicium reddatur elusoriū. Quia nec reus potest personaliter comparere: nec in eum iam mortuum potest fieri executio.

Item quæro. Quando reus est presens in Iuditio; quia scilicet fuerit captus, aut quia spontè se constituerit, tunc admittitur pro eo procurator; etiam sine mandato (iuxta obseruantiam Senatus.) Quod intellige, quo ad opponendas exceptiones, producendum Capitula, & alios actus causæ; non autem ad respondendum accusationi, aut interrogationibus; neque ad audiendam sententiam.

Prædicta autem. Supradicta generalis cōclusio, quod in causis criminalibus, nō admittatur Procurator ꝓ reo absente; intelligenda est, quo ad suscipiendam defensionem rei; si autem procurator; vellet allegare causas absentiæ; aut quod reus habet inimicitias capitales in eo loco, ad quem citatur. *Idem quo.* *Pariter etiā* Aut etiam si velit proponere, aliquas exceptiones dilatorias, seu declinatorias, aut alias ex his quæ ante litis contestationem proponi solent: puta, quod accusator sit infamis, vel excommunicatus, vel aliàs inhabilis ad accusandum: Vel Iudex incompetens, vel excommunicatus, vel his similia; tunc cum mandato audiendus est. Quod tamen intellige, dummodo talis exceptio, nihil ad ipsum crimen pertineat; si enim opponeretur ad processum, & tangeret etiam delictū: ita quod esset mixta: puta, quía diceret, qđ aliàs de ipso crimine fuit absolutus, vel huiusmodi; tunc si est notoria, potest admitti; Si vero fuerit dubia, non potest per procuratorem proponi.

Quæro modo Si aliquis interfecerit bannitum, qui ex forma statutorum, poterat impunè occidi, & ex hoc homicidio contra eum procedatur: poterit de Iure admitti procurator, imo etiā quilibet de populo, ad exceptionem banni proponendam. Quæ quidem intellige, quando ex sola productione banni, efficeret notoriū, quod talis offensus erat bannitus: quando autem requireret aliqua alia extrinseca probatio, tunc non admitteretur procurator. In hoc tamen Ducatu, non admittitur procu-

rator

rator ad exhibendum bannum; nisi reo in carceribus constituto. Et ratio est, quia multi sunt casus, in quibus bannitus non potest impunè offēdi; & ideò, ne si homicida esset condē nandus, condemnatio illa redderetur elusoria, cogitur ille ad personaliter comparendum: sed deinde, constito de banno (citato Fisco, & proximioribus interfecti) & quod licitè offendi potuerit, statim reus liberatur.

Bene verum est, quod si plures interficiant bannitum, & vnus ipsorum personaliter compareat, & ostendat illum impunè occidi potuisse, potest pro alijs admitti procurator, sine personali constitutione.

Quæro an in causa. Rursus, in hoc Ducatu nullus admittitur ad dicēdum de nullitate sententię criminalis; nisi se personaliter constituat, quando non vult demonstrare nullitatem, ex ipsismet actis resultantem: sed per alias extrinsecas probationes. Ratio est, quia si reus in ꝓbationibus deficeret, non posset contra eum sententia mitti executioni.

Tu scis quod in causis. Quando in causis criminalibus proceditur per viā exceptionis; animaduertēdū est, quod aut exceptio Criminalis tēdit solummodo, ad repellendum accusatorem ab accusatione, vel testem à testificando, vel impediendam missionem in possessionem Prælati, ad dignitatem, vel beneficiū ad quod est promotus; & tunc, potest admitti procurator: quia talis causa non est Criminalis, sed Ciuilis. Aut exceptio tendit etiam ad puniendum; puta, quia excipiens petit, non modo accusatorem, aut testem repelli, sed etiam puniri; & tunc, non est admittendus procurator. Quia in huiusmodi exceptione, ipse accusatus, siue excipiens assumit partes accusatoris.

Licet de Iure, neque etiam ex parte accusatoris, admittatur procurator in criminalibus. *Quæro numquid.* Quia quod non licet accusato, nec debet licere accusatori. Contrarium tamen seruatur in practica; semper enim admittunt procuratores querelantium, etiam in causis Capitalibus; nisi quando talis accusator esset bannitus, aut aliàs ab alio accusatus de aliquo crimine, ꝓ quo non posset se defendere per procuratorem; quia

tali

tali casu, nec posset per procuratorem alium accusare. Quod nota.

Pone quod. Animaduertendum etiam est; quod si procurator comparuerit in aliqua causa Criminali, in qua Iudex non possit procedere, nisi ad querelam partis: tunc, si pars ipsa nõ opposuerit, contra procuratorem; acta erunt vtique valida. Quia imputari debet sibi, eius negligentia. Quando vero comparet procurator, in causa in qua etiam potest procedi ex officio; tunc, licet non fuerit ei oppositum, omnia per ipsum gesta erunt ipso Iure nulla. Quia partis, aut Iudicis malitia, imperitia, aut negligentia, non debet Iuri publico nocere. Quapropter consuetudine receptum est, vt omnia gesta per procuratorẽ, in causa criminali, vbi agatur de pœna corporis afflictiua, sint ipso Iure nulla.

Vltimo quæro. Nota tandem, & menti teneas, quod in illis causis, in quibus admittitur procurator, ad euitandum dubia vsus obtinuit, quod vterque condemnetur hoc est; & principalis absens, & etiam eius procurator.

QVAESTIO XXXIII.

Excusator, an admittatur in criminalibus causis.

IN omnibus, & quibuscunque causis criminalibus, in quibus potest contra absentem procedi, admittitur excusator; etiam sine mandato, & absque aliqua satisdatione. Quod intellige, non ad proponendas defensiones; neque ad probandam innocentiam rei (etiam si esset Pater pro filio, aut dominus pro seruo) sed tantummodo, ad allegandas causas absentiæ, & impedimẽta legitima, propter quæ nõ posset reus, etiamsi vellet personaliter comparere: Verbi gratia, infirmitatem; vel carcerationem in alio territorio; vel his similia. *Vers. 1.* *Sed nunquid.* *Quæro nunquid.*

Et Ratio est, quia istæ sunt exceptiones, quæ concernunt tantummodo factum. Si autem inter ipsas essent aliquæ quæ concernerent etiam Ius, verbi gratia, declinatoriam fori, vel huiusmodi; tunc nisi essent tales, ex quib⁹ notoriè appare- *Vltimo quæro.*

pareret, citatum non esse subditum Iudicis citantis, aut nisi fuerit Pater pro filio, non est admittendus sine mandato.

QVAESTIO XXXIIII.

De excusationibus, quæ proponi possunt pro reis absentibus.

Vers. 1. EXcusatio absentiæ, est in Iudicio frequentissima: Sciendum est autem, quod multiplex est absentia: Alia enim, est necessaria, & probabilis simul; alia necessaria tantum: alia probabilis tantum: & alia voluntaria.

Necessaria, & probabilis dicitur: quando quis abest ex causa publica; puta Principis, aut ciuitatis. Et hoc casu, debet Iudex supersedere, à procedẽdo contra reum, durante dicta causa; si enim procederet ad vlteriora (ea non attenta) processus esset ipso Iure nullus.

Necessaria tantum est; quando quis abest: puta, quia est bannitus; Et hoc casu, nõ est supersedendũ; sed potest ad vlteriora procedi, tali absentia non obstante. Quia ex facto, & culpa rei processit, & ideo imputetur sibi.

Probabilis verò causa absentiæ est; quãdo quis abest ex causa studiorum, vel mercaturæ, vel peregrinationis, ob deuotionem, vel huiusmodi: & tunc, facta fide de absentia, debet Iudex statuere terminũ competentem, iuxta distantiã loci, ad ipsum absentẽ certiorandum, ac præsentandum; quo elapso, poterit ad vlteriora procedere; & non aliàs. Si enim Iudex negaret, statuere huiusmodi terminum ad certiorandum, siue comparendum; processus esset ipso Iure nullus.

Nota, quod licet excusator, non alleget aliquam causam absentiæ, necessariam, aut probabilem; sed simpliciter dicat reum esse absentem, & petat terminum ad certiorandum; facta fide de absentia, debet statui dictus terminus; vbi de fraude non appareret. *Sed Pone.*

Nota rursus; quod non sufficit allegare absentiam ipsius inquisiti, sed tenetur excusator illam probare. Bene verum est, quod secũdum consuetudinem huius prouinciç, sufficit quęcunque *Sed nũquid.*

que

que leuis probatio : puta, Iuramentum ipsius excusatoris.

Dixi etiam. Excusantur etiam aliqui infirmitate; Infirm⁹ enim, etiam si sit inquisitus de capitali delicto, non tenetur personaliter comparere : sed sufficit, qđ faciat fidem de infirmitate sua; aut testibus, aut per attestationem in scriptis authenticã medicorum: aut vnius medici tantum; præsertim si in eo loco, non esset nisi vnus medicus.

Allegatur etiam. Excusantur deinde rei, timore insidiarum; eo quia habēt inimicos potentes, & manu prompti, in eo loco ad quem citantur; maximè si sunt domini, aut rectores loci. Quo casu non tenentur comparere.

De carcerato. Excusantur tandem carceratione. Circa hanc excusationem animaduertendum est; quod aut reus est carceratus in alio loco; & hoc casu, supersedēdũ est, & expectandum, quod exeat è carceribus in quibus detinetur : nisi esset carceratio affectata. Et licet videaẽ affectata carceratio, quando sequuta est post intimatam citationem: nihilominus tamen hæc censura, relinquitur arbitrio Iudicis : prout & cætera omnia, quæ à Iure determinata non reperiuntur. Quinimò, etiamsi huiusmodi exceptio carcerationis, opposita nõ fuerit; & ideò secuta fuerit condemnatio in contumaciam; semper solet Senatus, cõstito de carceratione, condemnatum admittere ad nouas defensiones.

Aut reus est carceratus in eodem loco; & tunc, si est causa propter quam ingeratur pœna corporalis, ita quod in omnem casum deberet Ius dicere in carceribus, non supersedetur à procedendo; sed solet recommendari pro secundo delicto, & vno eodemque tempore pro vtroque proceditur. Si verò non ingeritur pęna corporalis, solet expectari donec sit perfectus primus processus, si ipse petat; non tamẽ relaxaẽ nisi pręstita fideiussione, de Iudicio sisti, & iudicato soluendo ex secũda causa; & si opus est pri⁹ examinatur. Quæ quidem omnia procedunt, quando agitur de diuersis criminibus.



QVAE-

QVAESTIO XXXV.

De Iudice omnium competenti.

Verſ. 1. EXCEPTIO incompetentiæ Iudicis, aut fori declinatoria, (quę in Iudicijs adeo frequens eſt) oritur ex triplici cauſa: videlicet; aut ratione perſonæ; aut ratione cauſæ; aut ratione loci.

Ratione pſonæ declinat̃ forũ Iudicis, qñ reus dicit ſe non eſſe ei ſubditũ; neque ratione originis, neque domicilij, neque delicti. Item cum allegatur clericatus coram Iudice laico: aut laicatus coram Iudice Eccleſiaſtico, & his ſimilia.

Ratione cauſæ, quando laicus coram Iudice laico accuſatus, aſſerit criminis illius cognitionem, ad Iudicem Eccleſiaſticum expectare; vel quod propter cõnexitatem cauſæ, eſt ad eũ remittenda.

Videndum. Ratione loci; puta, quia prætendat delictum in eccleſia commiſſum, ad Iuriſdictionem Iudicis eccleſiaſtici pertinere; & huiuſmodi.

Inprimis igitur quo ad perſonas, incipiẽdo à ſummo Põtifice dicendum eſt: quod licet Papa, Dei vices gerat in terris, & ſit maior omnibus hominibus; nihilominus tamẽ, de crimine hæreſis poteſt accuſari, & iudicari; nullum autem habet Iudicem competentem, niſi concilium generale. Adeò quod etiã volens, non poteſt ſe ſubmittere in criminalibus, nec Imperatori Romanorũ, nec alteri Iudici laico. *Sed hic quæro.*

Practica vero tali caſu eſt: Quod ſi hæreſis Papæ non fuerit notoria, moneatur per Cardinales, vel per alios (illis negligentibus) vt ſe purget ab infamia hæreſis, de qua eſt ſuſpectus: & ſi ſe purgauerit non eſt vlterius procedendum. Si verò id facere recuſet, & ſit contra eum, vehemens ſuſpicio hæreſis; tunc Cardinales illum rogabunt, vt conuocet Concilium: & ſi noluerit, congregabunt ipſi. Vbi verò hæreſis eſt notoria, & requiſitus à Cardinalibus perſiſtat in errore, neque ſe emendet; tunc Cardinales conuocabunt Concilium, & ipſis negligentibus Prælati ſe ipſos congregabunt. Conuoca- *Sed retenta.*

to autem Conclusio, si Papa de Hæresi conuictus fuerit, & nolit mutare sententiam, priuabitur Papatu, & tradetur Potestati seculari puniendus. Si verò ad pœnitentiam velit redire, nihilominus ex quo per aliquod tempus, fuit ꝑtinax in errore hæresis, priuabitur Papatu, & detrudetur in monasterium. Et hoc casu, solet Cōcilium ei deferre, si velit ipsemet se ipsū condemnare; si verò ipse noluerit se condemnare, tunc Concilium expediet causam, & illum degradabit.

Nota deinde, quod si Papa scandalizet vniuersalē statum Ecclesiæ, tunc talia per eum gesta, in scandalum Ecclesiæ non tenent, & ei resistitur per Ecclesiā, neque in talibus est ei obediendum.

Successiuè. Imperatoris Iudex competens est Papa; Et ideò propter grauissimas culpas, ex quibus veniat turbandus vniuersalis status Christianitatis, potest Papa Imperatorem deponere: sed propter alia delicta, non posset deponi, si esset Catholicus. Hæc autem depositio, licet possit fieri à Papa, sine Concilij auctoritate; tutius autem, & laudabilius est, vt adhibeat etiam auctoritatē Cōcilij. *Sed nūquid.*

Nota, quod Populus Romanus, nō potest Imperatorem deponere, seu degradare: cū enim semel omnem suam Potestatem in ipsum transtulerit, non potest illam ampliꝰ reuocare.

Papa similiter, est Iudex competens Regum, Ducū; & aliorum Principum, si delinquant: illorum scilicet, qui superiorem non recognoscunt. Si enim recognoscunt in Superiorem, Imperatorem, vel aliquē alium Regem, aut Dominum, ab eo sunt Iudicandi. *Item quæro.* *Idem etiam*

Cardinalium S.R.E. Papa etiam est Iudex competens. Adeò quod si velit illorum aliquem deponere, & punire; potest id facere ipse solus, sine congregatione aliorum Cardinalium. *Quæro etiā.*

Patriarcharum pariter, & Archiepiscoporum, solus Papa est Iudex competens. Episcopi, licet de Iure in criminalibus, iudicētur à suis Archiepiscopis cum toto concilio metropolitano. Hodie tamen vt plurimum, etiam solus Papa, cognoscit de delictis *Vlterius quæro.*

Epi-

Episcoporum.

Sed quid si. Si Archiepiscopus delinquat, extra suam diœcesim, Episcopus illius diœcesis in qua deliquit potest eum punire. Quod intellige, nisi ille Episcopus esset suffraganeus, Archiepiscopi delinquentis: nam eo casu non posset ipsum puniri.

Quæro quis. Monachorum Iudex cōpetēs, est ipsorum Abbas, qui in criminalibus habet ordinariam Potestatem, illos capiendi, & puniendi.

Excipiuntur A Iurisdictione cuiuscūque Iudicis ordinarij, etiā si esset Vicarij Summi Pontificis in vrbe Romana, excipiuntur famuli, domestici, familiares, & subditi Cardinalium; qui omnes remittuntur ad ipsos Cardinales puniendi; & ita p̄missum est ipsis Cardinalibus, vt teneant priuatum carcerem.

Quæro nunquid. Familia clericorum, si fuerit laica, nō gaudet priuilegio fori; excepta familia episcopi, ipsa enim (etiā si laica) gaudet priuilegio clericali, adeo quod si delinquat, non potest à Iudice laico puniri; sed ad Iudicem ecclesiasticum est remittenda.

Sed Pone. Licet aliquis laicus, det se, & sua bona ecclesię, si tamen (non mutato habitu) delinquat, punietur à Iudice seculari: nec erit locus remissioni ad ecclesiasticum.

Fuit aliquādo. Circa pœnitentes distinguendum est. Nam si pœnitens, profitetur quandā religionem, quam appellant publicę pœnitentiæ, tales pœnitentes sunt de foro ecclesiastico. Si verò solummodo, publicam pœnitentiam faciunt, de mandato Prælati, seu Inquisitoris, remanent de foro seculari.

Præterea quæro. Quo ad officiales, & eiꝰ Syndicatores, standum est statutis, & consuetudine particulari, Ciuitatum & locorum. De Iure communi illorum Iudex competens, est Princeps qui eis concessit officia. In plurimum verò de Iure speciali sunt syndicatores destinati. Qui quidem cognoscunt, de omnibus delictis officialium, etiam de non pertinentibus ad officium, modo sit commissa durante officio. De his aūt quæ ante, vel post officium cōmissa sunt, non pertinet ad eos cognitio, sed ad ordinarium.


Sed hic incidenter.

Quaero nunc. Scholarium Iudices cōpetētes in criminalib⁹, de iure cōmuni sunt, Episcop⁹ ciuitatis, Rector Gymnasii, & lectores vniuersitatis. Nota tamen, quod circa Scholares, sunt varij, in varijs Gymnasijs vsus. In Gymnasio nostro Papiensi, si scholaris est clericus beneficiatus, vel in sacris; ꝓcedit Episcop⁹, & Rector: Si est laicus, procedit Rector, & Potestas.

Quaero modo Militum Iudex competens, de generali consuetudine belli, sunt eorum praefecti, & capitanei; & sic ad eos, milites delinquentes sunt remittendi. In hoc autē Ducatu, adest decretum militare conditum à Senatu, distinguens quomodo, & ꝑ quos Iudices, in delictis militum cognosci debeat; quod tamen decretum, non semper fuit exequutum. Animaduertēdum autem est, quod si aliquis fuerit condemnatus, antequam militiam susceperit; si deinde factus miles capiatur à iudice ordinario, nō remittitur ei⁹ Capitaneo: sed sententia ab eodem ordinario, executioni demandatur: & ita fieri debere rescripsit Senatus.

Iudaeorū competens, est *Modo quaero.* Iudex laicus; nō autem ecclesiasticus.

Officialis, potest cogno *Solet etiam.* scere de iniuria, sibi, vel familiae suae illata tanquam officiali; non autem si fuerit sibi illata tanquā priuato; nisi casu quo esset iniuria notoria, & ei⁹ poena determinata à iure; nam tūc, utiq; posset de ea cognoscere. Sec⁹ verò si pęna esset relicta Arbitrio ipsi⁹ Iudicis; nam tunc, posset ut suspectus recusari. In omnem autem casum, vbicunque agitur de iniuria illata officiali; superior semper debet esse promptus, in committendo causam, alteri iudici cognoscēdam: praesertim parte id petente, uel saltem in dādo illi adiunctū: ut iudicia, sine suspicione pertranseāt. Quicquid autem sit de iure: hodie magni domini, habent hoc de consuetudine, ut possint cognoscere de propria iniuria. Bene uerum est; quod ex eorum modestia, eius ut plurimum committunt cognitionem.



QVAE-

QVAESTIO XXXVI.

De Iudicis competentia ratione personæ; & in quibus casibus, clerici possint à Iudice seculari iudicari.

Vers. 1. EXCEPTIO Clericatus, est omnium aliàrum, quæ in Iudicijs criminalibus proponuntur, ad allegandam Iudicijs incompetentiam, ratione personæ, longè frequentior: & propterea, de ipsa inprimis tractatur; circa quam hæc decernitur cõclusio. Quod Iudex secularis, nõ potest occasione alicuius delicti, procedere cõtra clericum, aut religiosum.

Sed ea retenta. Ex hac conclusione infertur, quod non valet consuetudo, per quam generaliter clerici pro criminib⁹ subijcerentur iudicibus laicis: sed consuetudo particularis, quod in aliquibus casibus, vel causis, & aliqui clerici; puta, in minoribus constituti, posint puniri à Iudice seculari, vtique valet; & ita in pluribus locis indistinctè obseruatur.

Secundo. Secundò infertur, quod non possunt clerici, huic priuilegio, tacitè, vel expressè renunciare.

Hæc autem exceptio est tantæ efficaciæ, vt à se ipsa proponatur; & ideò non tenetur clericus, citatus per Iudicem secularem, occasione alicuius delicti, corã eo per se, vel per procuratorem comparere; & exceptionem clericatus proponere. Quod intellige, nisi in citatione exprimeretur talis causa, propter quã clericus teneretur, coram Iudice laico comparere. In casibus autem, in quib⁹ clericus non potest à Iudice laico iudicari; licet citatus sit prorsus contumax, non potest contra eum Iudex secularis procedere, & si procedat omnia sunt nulla: Adeò quod, etiam si ipsum mulctauerit, quandocunque doceat de clericatu, solet talis mulcta reuocari, & annullari. *Est autem.*

Nota, quod hæc conclusio procedit, siuè clericus pro crimine coram Iudice conueniatur; siue reconueniatur: nam clericus, non potest coram Iudice seculari, pro crimine ciuiliter, neque criminaliter conueniri. Et etiam procedit, quamuis clericus sit illegitimus. *Et hæc quidem.* *Habet etiã.*

timus. Nam licet illegitimè nati, ſint maxime odioſi ſacris Canonibus; Filius tamen Clericus, etiãſi illegitimus gaudet priuilegio fori.

Quaro an clericus. Clericus coniugatus, cũ vnica tantum, eaque virgine; ſi habitum clericalem, & tonſuram deferat; gaudet priuilegio Fori: Si vero ſit bigamus, poteſt à Iudice laico puniri. Quod intellige, ſi ſit propriè bigamus; hoc eſt, ſi duas vxores duxerit: Si autem fuerit bigamus interpretatiuè: verbi gratia, ſi duxerit *Sed an ille.* vnam viduã, aut aliàs corruptam; aut cum vxore adultera ſemel dimiſſa, ſe recõciliauerit; nõ propter hoc perdit priuilegium Fori.

Sed Pone. Si aliquis clericus ſolutus, commiſerit aliquod delictum, & de eo fuerit accuſatus; & poſtea effectus ſit bigamus; Aut etiã cum virgine contraxerit, non propter hoc, eſt curiæ ſeculari remittendus; ſed puniendus venit à ſuo Iu- *Qua ratione.* dice eccleſiaſtico. Quia sẽper attenditur ſtatus, in quo erat tempore delicti. *Hac vero.* Quæ quidem intellige, dũmodo talis clericus, abſtineat à negociationibus, & Armis.

Dixi clericũ. Circa formam habitus clericalis; in omnibus, & p omnia eſt attendenda conſuetudo regionis. Et ideo ad iudicandum, an aliquis incedat in habitu, & tonſura clericali; videndum eſt an ille, qui in aliquo habitu incedit, prima facie ſi videatur in Populo, iudicabitur cleric⁹, an autem laicus. Vnum tamen eſt valdè notandum: quod, licet cognitio cauſæ, an aliquis ſit clericus vel ne, pertineat de Iure communi (licet apud nos aliter ſeruetur) ad Iudicem eccleſiaſticum; nihilominus tamẽ ſi dubitetur ſuper habitu, an ſit clericalis nec ne, cognitio huiuſmodi articuli ſpectat ad Iudicem laicũ, non autem ad eccleſiaſticum.

Sed hic quæro. Si Clericus coniugatus, qui ante tempus commiſsi delicti, nõ incedebat in habitu, & tonſura, reaſſumpſerit habitum, & tonſurã, & incõtinenti aliquod crimen commiſerit, nihilominus gaudebit priuilegio fori: niſi talis reaſſumptio habitus, fuerit facta in fraudem.

Sed quid ſi clericus. Quod idem dicendum eſt in eo; qui cum ſolitus eſſet

esset deferre tõsuram, fuit postea condemnatus, tempore quo non habebat tonsuram, pro delicto per eum commisso: nam si reassumat tonsuram, & deinde capt⁹ sit à Iudice seculari, non poterit ab eo puniri, sed est ad Iudicem Ecclesiasticum remittendus.

Quæro nunc. Si clericus non deferat tonsuram, quia non habet capillos, excusatur, non.n. est ei imputandum. Quia ad imposſibile nemo tenetur.

Vnum etiã. Clericus coniugatus, cũ vnica, & Virgine; ea mortua recuperat omnia Priuilegia, quæ competunt clericis non coniugatis.

Hæc autem. Licet ea quæ dicta sunt de clerico, non deferente habitum, & tonsuram; de Iure communi procedant tantum in clerico coniugato: nam non coniugatus, etiam si non incedat in habitu, & tonsura, nihilominus gaudet Priuilegio Fori, nisi ter monitus à suo prælato, neglexerit monitionem. Quia tunc in omnibus reputatur pro laico. Ex quibus apparet differẽtia, quæ reperitur de Iure, inter Clericum coniugatum, & non coniugatum. Coniugatus enim, eo ipso quod nõ defert habitum, & tonsurã, absque alia monitione amittit priuilegiũ fori. Clericus autem non coniugatus, non amittit priuilegium, nisi post monitionem. Tamen hoc apud nos non seruatur: nam Clerici, qui non sunt in sacris, neque habent beneficia, si non incedunt in habitu, & tonsura; puniuntur indistinctè per Iudices seculares, etiam si à suo prælato moniti non fuerint: & ita rescripsit Senatus. Clericus autem beneficiatus, licet incedat armatus vt miles, non potest à Iudice laico puniri: & ita declarauit Senatus.

Sed quid si. Vnica monitio generalis, facta clericis ĩ synodo, quod deferant habitum, & tonsuram, sub expressa pœna priuationis priuilegij clericatus, sufficit pro trina monitione. Ratio est; quia habet vim constitutionis.

Regulariter Quamuis regulariter, si clericus captus sit per Iudicem secularem, debet remanere penes eum, donec fuerit cognitum per Iudicem ecclesiasticum de clericatu: & comperto qđ sit clericus debet remitti. In hoc tamen Ducatu, aliter

ter seruatur; nam clericus, contra quem procedit Iudex secularis pro aliquo delicto, docet iura sua coram eodem; & eis visis, Iudex secularis illum remittit, ad suũ Iudicem ecclesiasticum, vbi sit in casu remissionis: & ita seruari debere rescripsit Senatus. Illi verò, qui non sunt constituti in sacris ordinibus, neque deferunt habitum, & tonsuram; vltra clericatũ tenentur exhibere titulum beneficij, & probare etiã, quod sint in quasi possessione ipsius, aliàs non remittuntur. Et nota; quod debet Iudex ecclesiastic⁹, statim quod ei innotescit, clericum sibi subditum, à Iudice seculari detineri, illũ repetere: aliàs posset tanquam negligens, ab administratione deponi, & fortè etiam criminaliter puniri.

Quaro modo. Est autem menti tenendum; Quod cleric⁹, siue in sacris, siue in minoribus constitutus, qui dimisso habitu clericali, aliquod enorme delictum committit; etiam nulla monitione præcedente amittit priuilegium fori, & potest à Iudice laico puniri. Hæc conclusio, est communiter approbata, & vsu recepta; à qua in consulendo, aut iudicando non est recedendum, salua semper determinatione Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Cæterum. Si verò incedat in habitu, & tonsura; quantumcũque grauia crimina committat, & illa reiteret, in eisque perseueret, nunquã efficitur de foro seculari. Bene verum est, quod si clericus esset seditios⁹, & turbaret publicam quietem, solet Senatus (etiam quod sit in sacris) illum ad tempus eijcere ab illa Ciuitate, vel loco, quam perturbat; & ita pauci dies sunt, fuit factum cum quodam Archipresbytero. Quę quidem prouisio, ideo magis videtur toleranda, quia redundat, nõ minus in beneficium ipsius clerici, ne offendatur; quam aliorum. Et etiam aliquando Senatus ipse, condemnauit ad triremes per decennium, quendam fratrem alicuius monasterij; qui confessus fuerat se totondisse pluries monetam: habita tamen prius fide ab eius superiore, quod fratres habebant illum pro incorrigibili, & pro membro putrido.

Licet

Quæro Pone Licet per Principem, fuerit clericus admiſſus, ad aliquod officiũ ſeculare; ſi in ipſo officio delinquat, non poteſt ab ipſo Principe, vel alio Iudice ſeculari criminaliter puniri; etiam ſi eſſet tantum in minoribus ordinibus conſtitutus.

Vlterius quæro. Neminem latere debet, edicta Principis ſecularis prohibentia arma, ligare etiam clericos, quoad pœnam pecuniariam. Ratio eſt, quia talia proclamata, concernunt publicam vtilitatem, & quietem totius populi; & etiam quia armorum vſus, non modo de Iure Ciuili, ſed etiã de Iure Canonico, eſt interdictus. Hinc igit̃ eſt, quod ſi clerici fuerint reperti, cũ ipſis armis prohibitis, poteſt Iudex laicus, ſeu eius familia ea ipſis auferre; neque tenetur illa eis reſtituere; & ita obſeruatur. Aliàs ſequeretur, quod clerici poſſent cum armis libere vagari, & impunè turbare quietem Ciuitatis; quod eſſet abſurdiſſimũ, & nullo modo tollerandũ. Pœna verò impoſita, non poteſt exigi à Iudice ſeculari. Et ideo Iudex, & familia ſecularis, põt, & debet talem clericum, cum armis deprehenſum detinere, & cõſignare ſuo Iudici, vt illum puniat, & pœnam proclamatis exequatur.

Quæro nunquid. Cleric⁹ (de Iure loquendo) non dicitur propriè, cõmittere crimen læſæ maieſtatis; quia verè nõ eſt ſubditus Poteſtati ſeculari. Tamen de facto Principes ſeculares, pluries ſeruant contrarium: quia cum in in hoc crimine, agatur de ipſorum vita, aut ſtatu, nõ ſolent clericos remittere, ad ſuos Iudices eccleſiaſticos; ſed ipſi per ſuos Iudices, illos examinari faciũt, & torqueri, & quandoque etiam ſuſpendi; & fortè poſſent Principes, & Iudices ſeculares, hoc facientes excuſari. Si verò cleric⁹, fuerit iudicatus à ſuo Iudice eccleſiaſtico, quod commiſerit tale crimen; venit poſtea degradãdus; non actualiter, ſed verbaliter tantum; & deinde poteſt, Iudex eccleſiaſticus ſi vult (etiam non expectata incorrigibilitate) illum tradere curiæ ſeculari: non tamen tenetur.

Item quæro. Clericus imputatus de Aſſaſsinio, poteſt puniri, per Iudicem ſecularem. Quia tales Aſſaſsini (cum

sint diffidati à toto populo christiano) possunt à quocunque impunè offendi.

Sed quaro. Et tali casu (apud nos) nec spectatur actualis, neque solênis depositio, vel degradatio, nec traditio curię seculari; nec declaratoria fienda per Iudicē ecclesiasticū, qua dicat talē clericum esse assassinū: sed de consuetudine obseruatur, quod si talis clericus est in fortijs Iudicis secularis (reiecta exceptione clericatus) proceditur ad vlteriora contra ipsum imputatum de Assassinio, & retinetur in curia seculari iudicandus: & deinde, perfecto processu & constito de Assassinio, fertur per ipsū Iudicem secularem, sententia declaratoria, vna cum ipsa condemnatione. *Quaro etiā.* Si verò fuerit in fortijs Iudicis ecclesiastici; est tradendus curiæ seculari, non expectata incorrigibilitate.

Successiuè. Nota, Quod licet regulariter clericus incorrigibilis, non possit puniri à Iudice laico, nisi prius sit degradatus, & traditus curię seculari: si tamen fuerit verè incorrigibilis; poterit tali casu per Iudicem secularem, absque vlla degradatione, puniri; & hoc, etiā si sit in sacris cōstitut⁹. Et pariter, quando cleric⁹ incorrigibilis, non potest puniri ab ecclesia, potest ipso Iure comprimi, & eijci à Ciuitate, per Iudicem secularem, absque alia degradatione.

Incorrigibilis dicitur ille clericus, qui non incedit in habitu, si præcessit trina monitio. *Sed quaritur.* Si verò incedat in habitu; tunc, dicetur incorrigibilis ille; qui primo est depositus; secundo excommunicatus; tertio anathematizatus, & adhuc in contumacia perseuerat. Qua forma seruata (licet raro uideatur in vsu) absque alia declaratione, efficitur fori secularis. Incorrigibilis autem magis propriè, dicitur clericus post binam remissionē de delictis, aut capitalibus, aut non capitalibus; tam in odium incorrigibilitatis; quam in odium iudicis ecclesiastici, negligentis eum corrigere.

Ex supradictis nota, *Scias autē.* Quod regulariter, duo requiruntur ad hoc vt Iudex laicus, possit clericū in sacris constitutum (etiam enormia crimina committentem) punire. Primum qđ

sit

ſit degradatus. Secundum quod ſi traditus curiæ ſeculari. Degradatio autem duplex eſt; verbalis ſcilicet, & actualis: effectus huius differentiæ eſt maximus; nam quando degradatio, eſt tantummodo verbalis, Iudex laicus nullam habet Iuriſdictionem in clericũ ita degradatum; niſi tradatur etiam curiæ ſeculari. Sed ſi ſit actualiter degradatus, poteſt Iudex ſecularis eum punire, abſq; alia traditione.

Scias etiam. Nota deinde, quod etiã ſi degradatio de iure, non veniat fienda niſi in tribus criminibus; ſcilicet, Hæreſis; Falſi commiſſi in litteris apoſtolicis; & Cõſpirationis in proprium Epiſcopum. Adeò quod in alijs, quantumcunque grauibus, & enormib⁹ delictis, ſufficiat ſola depoſitio; nec poſſit procedi ad degradationem, nec traditionem curiæ ſeculari, ſi clericus reus paratus ſit ſe corrigere. In practica tamen, hodie contrariũ obſeruatur: nã in huiuſmodi criminibus enormibus; relinquitur arbitrio ipſius Iudicis eccleſiaſtici degradantis, qui ſecundum qualitatem facti, & perſonarum, decernat; an non expectata incorrigibilitate, ſit tradendus curiæ ſeculari, nec ne. In dubio tamen, melius, & benignius eſſet, non tradere clericum delinquentẽ, qui non eſſet incorrigibilis; niſi natura rei, & circũſtantiæ criminis aliud ſuaderent.

Sed an Iudex. In caſu autẽ, quod clericus ſit degradatus, & traditus curię ſeculari; Iudex ſecularis poteſt illum punire corporaliter, vſque ad mortem incluſiuè; & ita vbique practicatur.

Sæpe numero. Si delinquens poſt commiſſum delictum, aſſumpſerit clericatum, aut factus fuerit religioſus, diſtinguendum eſt. Nam aut ſuſcepit abſque fraude ordinem eccleſiaſticum: & tunc liberatur, & eximitur prorſus, à iuriſdictione Iudicis laici; & relinqui debet Iudici ſuo eccleſiaſtico puniẽdus. Aut verò aſſumpſit ordinem in fraudem; eo ſcilicet animo, vt ſe eximeret à Iuriſdictione ſeculari; & tunc, non liberatur, ſed poteſt per Iudicem laicum contra eum procedi.

Quod tamen intellige, non contra perſonam: hoc eſt, quod poſſit Iudex lai-

cus eum corporaliter punire: sed tantùm in confiscatione bonorum, & pecuniariè; & sic remanet subditus ratione causæ, & bonorum, non autem respectu personæ. Deberet tamen Iudex ecclesiasticus talem clericum, qui ecclesiasticum ordinem in fraudem suscepit, degradare; & tradere iudici seculari, etiam corporaliter puniendum.


Sed in hoc. In fraudem dicitur delinquens, assumere clericatum, aut ingredi religionem: quando prius fuerat de ipso delicto delatus, aut diffamatus. In fraudē etiam dicetur, quando talis mutatio status, fit post commissum delictum: & ita iudicauit Senatus.

Sed nūquid. Et Nota, quod si delinquens ingrediatur religionem, tenebitur monasterium pro delicto ipsius ingressi, in quantum ad eum peruenit.

Euenit plerumque. Quando in crimine cōmisso, interueniunt simul clerici, & laici; licet de Iure causa veniat remittenda, ad Iudicem ecclesiasticum, tanquam magis dignum; etiā quo ad laicos: & hoc, ne continentia causæ diuidatur; & ne fortè etiam diuersæ sententiæ sequantur. Tamen hæc conclusio nō obseruatur: imò tali casu, in hoc Ducatu Iudex laic⁹ cognoscit quo ad laicos; & ecclesiasticus quo ad clericos; & ideo ab hac obseruantia non recedas in practica.

Quæro quid. Si per laicum illata fuerit iniuria clerico; vterque Iudex procedere potest cōtra delinquentem, quia vterque videtur offensus, & vterque condemnare: ecclesiasticus scilicet, ad pœnas spirituales; & secularis ad pœnas fisco applicandas. Pœna enim spiritualis, nō tollit temporalem, nec è contra.

Quæro quomodo. Actus remissionis, personæ clerici ad Iudicem ecclesiasticum, solet fieri in hac Prouincia, sine aliquo ipsius clerici dedecore, aut ignominia. *Quæro igitur.* Et nota, quod in dicto casu remissionis, non tenetur Iudex ecclesiasticus, stare processui facto, à Iudice seculari: Quia sunt acta facta, coram Iudice incompetente.



QVAE-

QVAESTIO XXXVII.

De Iudicis competentia ratione cauſæ; & Criminibus mixti, ſeu communis Fori.

Verſ. 1. CVM iam in principio huius opuſculi dictũ ſit; quod delictorum, quædam ſunt merè eccleſiaſtica; quædam merè ſecularia; quædam mixta; ſcilicet communis fori: nunc ad exempla deueniendo; animaduertendũ eſt; quod crimen vſurarum, proponitur in Iudicio, aut criminaliter, aut ciuiliter. Quando proponitur criminaliter ad ipſum puniendum, tunc dicitur crimen mixtum & communis fori; & ideo vterque Iudex poteſt contra vſurarium criminaliter procedere. Quando verò proponitur, inter ipſas partes ciuiliter, tunc diſtinguendum eſt. Nam aut vertitur quæſtio iuris ſuper vſura: an ſcilicet contractus ſit vſurarius, nec ne: & tunc, cognitio ſpectat ad Iudicem eccleſiaſticum, neque poteſt Iudex ſecularis, in ea ullo modo ſe intromittere. Aut vertitur quæſtio facti; verbi gratia, quia habito pro conſtanti quod contractus eſt vſurarius; ſolummodo tractatur de repetitione uſurarũ, & tũc vtique laicus eſt Iudex competens. Hæc omnia intellige ut procedant, quando in iudicio deducitur, quæſtio vſurarum principaliter, & primariò. Cæterum, quando incidenter opponitur per modum exceptionis, contractum eſſe vſurarium; tunc, bene poteſt Iudex laicus cognoſcere, etiam ſuper quæſtione iuris, & contractum ipſum, tãquam vſurarium annullare.

Adulterij cauſa eſt mixti Fori; & ideò ex cauſa adulterij, poterit Epiſcopus punire etiam laicos, & ipſos excõmunicare, & detrudere in monaſteriũ. Cum enim hoc delictum, ſit violatio ſacramenti, merito eius vindicta, non minus pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticũ, quam ad laicum. Nota verò, quod quando agitur ad ſeparationẽ thori, tunc de ea ſolus Iudex eccleſiaſticus cognoſcit. *Quæro nunquid.*

Concubinatus crimen, dicetur eccleſiaſticum; dato *Quæro etiã.*

to

to quod de Iure Ciuili cõcubinatus non sit delictũ. Si verò aliquo Iure Ciuili; puta municipali, aut vigore ꝓclamatũ, aut aliàs, cõcubinatus fuerit prohibitus; tunc dicetur crimen mixti Fori.

Item quæro. Crimen nefandum Sodomiæ, est pariter communis fori; & sic, pro eo Iudex ecclesiasticus, potest etiam contra laicum procedere.

Vlterius quæro. Licet crimen sacrilegij; Aliqui teneãt esse ecclesiasticum: Alij mixtum; quod scilicet, possit ab vtroque Iudice, tam laico, quam ecclesiastico puniri; & quod inter eos, est locus præuentioni. Apud nos autem de consuetudine, Iudices laici cognoscunt de sacrilegio, non autem Ecclesiastici.

Vnum tamẽ Nota tamen, & tene mẽti in hac materia. Quod Episcop⁹, in criminalibus communis Fori, in quibus potest procedere contra laicos, non potest illos personaliter capi, aut carcerari facere, aut punire; sed tantummodo, per censuras contra eos procedere: nisi legitimè præscripsisset hoc Ius; tali enim casu posset illos capere, & punire. Quo verò ad clericos nulla est difficultas, quin possit Episcopus eos capere, etiam sine auxilio brachij secularis: & ita obseruatur.

QVAESTIO XXXVIII.

De Iudicis competentia ratione loci delicti.

QVIA dictum est iam de competentia, & incompetentia Iudicis, ratione personæ, & ratione causæ: nunc de ea quæ est, ratione loci delicti videtur dicendum. In quo articulo, hæc est indubitata iuris conclusio. Quod Iudex loci, in quo commissũ est delictum, potest cõtra delinquentem procedere; etiam quod ille aliàs, non sit iurisdictioni suæ suppositus, eumque condemnare, & punire. *Vers. 1.*

Si fuerint duo domini vnius Castri, qui diuidant administrationem inter se: licet unus delinquat in iurisdictione alterius, non poterit ab alio puniri. Quia par in parem non habet imperium. *Quæro pone.*

Si aliquis delinquat in exercitu Mutinensium, tũc posito in territorio Bononiæ; nihilominus poterit puniri, *Quæro etiã.*

puniri, à Iudice Mutinensis exercitus. Ratio est, quia vniuersitas potest prorogare iurisdictionem; & exercitus in hoc habetur loco vniuersitatis. Circa hũc articulum, adest mirabilis decisio Senatus: Nã quidam miles cataphractus, qui erat Forẽsis, dum esset hospitatus cum eius comitiua, in ciuitate Papiæ, cõmisit homicidium in territorio Placentino; & conclusum fuit, quod licet ipse non esset subditus ducatui Mediolani, neque ratione originis, neq; domicilij, neque delicti; nihilomin⁹ poterat tanq̃ subdit⁹ ratione Militiæ puniri.

Quaro nunquid. Nota, quod in foro pœnitentiali, non sortitur quis forum ratione delicti; & ideò, vbicũque quis delinquat, tenetur peccata suo parocho confiteri.

Item quaro. Mandans fieri aliquod delictum, nõ est puniendus in loco, ĩ quo fuit datũ mãdatũ, sed in eo in quo fuit cõsummatum delictũ: & ratio est; quia mandans non tenetur ex mandato; sed ex delicto facto, occasione, & causa mandati.

Sed Pone. Si aliquis cõmiserit homicidium Florentiæ, ob securitatem personæ, alicuius Senensis: licet Senensis postea Senis, ratificauerit dictum homicidium; nihilominus erit puniendus Florẽtiæ, & nõ Senis: quia ibi fuit cõmissum delictũ.

Licet aliquis non sit subditus ratione originis, neque domicilij, poterit tamen puniri in aliquo territorio, occasione tractatus facti, de committendo maleficio extra territorium: ac ita per Senatum fuit aliquando decisum. Et hoc, licet maleficium fuit commissum extra Ducatum, neque delinquens esset iurisdictioni suppositus. Quod nota, q̃a cũ hęc decisio sit Senatus; pro lege in hac prouincia est obseruanda. *Vidi aliquando.*

Si aliquis existens in vno territorio, emittat sagittam, vel exoneret archibusium, cuius ictu interficiat aliquem existentem in alio territorio; Iudices vtriusque territorij, ambo poterunt procedere, & erit inter ipsos, locus præuentioni. *Item Pone.* Delinquens autem in vna Ciuitate, nõ poterit puniri in alia ei cõfœderata: nisi ex capitulis, fœderum, illud expresse cautum fuerit. *Successiuè quaro.*

Si aliquis committat delictum *Præterea.*

lictum in confinibus duorum territoriorum, ita qd̄ nescitur super quo territorio, possit dici cōmissum fuisse; vterque Iudex procedit, & punit in suo territorio.

Vlterius quęro. Si quis accusauerit Titium de aliquo delicto, & Titius compareat, & non neget delictū, sed dicat illum commisisse in alieno territorio; Iudex ante omnia debet cognoscere, an ille locus in quo delictum commissum fuisse dicitur, sit de sua Iurisdictione.

Sed quæro. Si testis falsum deposuerit, coram Iudice qui respectu pœnę, non sit illi Iudex competens: aut talis Iudex est ordinarius; & potest illum punire pœna extraordinaria. (Nota tamen, qd̄ relinquitur nihilominus, facultas Iudici cōpetēti ipsius testis, procedendi contra eum de falso ad pœnā ordinariam.) Aut verò Iudex est delegatus: & tūc, distinguendum est. Nam aut loquimur in delegato Principis; & potest eum punire, non autē pœna ordinaria; sed tantū extraordinaria: Aut in delegato ab inferiore, & nulla pœna ipsum punire potest.

Sed hic quæro. Si clericus, deposuerit falsum testimonium coram Iudice laico; non potest Iudex laicus illū punire, nec corporaliter, nec pecuniariter. Potest autem in ipsa causa ciuili, cognoscere super falsitate, quam clericus deposuit; non quidem ad effectum puniendi ipsū clericum, sed ad affectum expediendi causam. *Quæro nunc.* Si verò è conuerso, laicus deponat falsum coram Iudice ecclesiastico: vterque Iudex; ecclesiasticus scilicet, & secularis, potest procedere contra huiusmodi testē, & inter ipsos Iudices, erit locus præuentioni.

Tu scis. Licet Bartolus & multi teneant, quod si aliquis cōmiserit furtum, in Ciuitate Astēsi; postea se trāstulerit cum re furtiua, ad Ciuitem Alexandriæ; quod ratione contrectationis, potest Prætor Alexandriæ illum punire. Nihilominus tamen in hoc Ducatu, hæc opinio non seruatur; nam fur, repertus cum re in alieno territorio furata, nunquam punitur criminaliter. Sed tantummodo, solet quandoque Senatus, tales fures eijcere à Ducatu, sub aliqua pœna.

Vidi etiam. Nota, & tene menti;

Quod

Quod si laic⁹ cōmittat aliquod delictū in Ecclesia, eius criminis cognitio spectat ad Iudicem secularē, non autem ad ecclesiasticum. Ratio est, quia licet locus ecclesiæ sit sacer, nō autē propter hoc, desinit esse de territorio Principis secularis. Et ita indistinctè apud nos obseruatˉ.

Est autem. Locus commissi delicti, est tantæ potentiæ: quod de Iure communi, tenentur alij Iudices; scilicet originis, & domicilij ipsū delinquentem remittere, ad Iudicem loci delicti (si fuerint ab eo requisiti) & hoc, ad effectum, vt ibi contra eum procedatur; & puniatur.

Sed certè. Hodie tamen (quicquid sit de Iure) de generali cōsuetudine, nō fiūt istæ remissiones: nisi inter eos Iudices, qui subsunt vni dominio. Cæterum, inter diuersa dominia; & inter Iudices, qui non sunt subditi

Hæc tamen. eiusdem Principis, non solet fieri remissio: quia vnusquisque sibi ipsi Præses est; & sic, alter alteri, obedire non tenetur: Nisi casu quo talia dominia, & prouinciæ diuersæ, haberent inter se inita capitula, de tradendis inuicē delinquentibus, & adhuc ista capitula, non solent obseruari nisi ad libitum.

Sed quid si Iudex. Nota deinde, quod dicta remissio habet locum; etiamsi Iudex requisitus, non haberet iurisdictionē procedendi pro illo delicto; et consequenter nec ipsum reum capiendi: solūmodo enim attendi debet iurisdictio Iudicis requirētis: & ita obseruatur. Nam siue remissio petatur à Iudice, qui sit sub eodē Principe, seu Præside Prouinciæ; siue petatur ab eo, qui sit sub alio Principe; non attenditur an potuerit re⁹ à Iudice requisito capi de Iure, nec ne: sed solum an ille qui petit, habeat iurisdictionem procedendi cōtra eū; & hoc casu, si Iudex petens, & Iudex à quo petitur, fuerint ambo in hoc Dominio, potest Iudex requisitus, à se ipso talem remissionem facere: si verò Iudex petens, fuerit extra dominium non fit remissio nisi Principe ita iubente. In hoc namque Ducatu, Prætores, nec alij Iudices inferiores: neque etiā Senatus, facit huiusmodi remissiones iudicibus extra dominium existentib⁹; sed solus Princeps, seu locumtenens Generalis.

Scias tamē. Est autem animaduertē dum; quod vbi agitur de leuibus delictis, non debet fieri remissio. Neque *Item scias.* quando agitur Ciuiliter tantum pro crimine; & hoc casu, etiam si delictum esset grauissimum. Ratio est, quia quando agitur ciuiliter pro crimine (etiam grauissimo) non potest procedi, ad reum puniendum.

Scias etiam. Est rursus animaduertē dum; quod curia Romana, nunquam in aliquo casu, remittit delinquentes ad aliam ciuitatem, seu Prouinciam. Et ratio est; quia Roma est communis patria.

Hæc autem. Hæc omnia quæ de remissione dicta sunt, intelligi debent; quando agitur de eodem delicto. Si autem agatur de pluribus delictis, per eundem reum cō missis, super quibus duo Iudices procedant, vtique finito processu per vnum, fit remissio rei ad alium: quando scilicet, ambo Iudices sunt sub eodem Præside Prouinciæ: non autem aliàs.

Item intelligenda. Item intelligenda sunt in ea remissione, quæ inter ipsos Iudices laicos fieri petitur. Si enim Iudex ecclesiasticus, petat ad se remitti clericum delinquē tem, tenetur Iudex laicus, (in casu remissibili) illum remittere.

Si duo Iudices loci deli- *Frequenteri* cti, pro eodem crimine procedant; ille est præferendus, à quo fuerit causa pręuenta. Ille autem censetur præuenisse (iuxta decreta constitutionum Mediolani) qui prius inquisitionem transmisit; nisi eodem die, quo fuerit per vnum Iudicem transmissa inquisitio, alter reum capi fecerit; nam eo casu pręferendus est Iudex capturæ; vultque decretum, in omnem casum præferi Iudicem, qui de grauiori delicto inquirit: & ita declarauit Senatus, quod ille q; præuenit per capturam, & procedit de grauiori delicto, præferatur.

QVAESTIO XXXIX.

De Iudice originis & domicilij.

IVDEX loci origi- *Vers. 1.* nis delinquentis: & etiam loci illius, in quo re- *Sortitur ei* peritur habere domiciliū tempore commissi delicti, pos-

possunt procedere contra delinquentem, & etiam ipsum punire:non solũ si fuerit præsens in loco, originis,& domicilij;sed etiam si fuerit absens: adhuc enim poterunt ipsum citare, & si sit contumax condemnare.

Sed quæro.

Hinc fit, quod Iudex originis, & domicilij, possunt contra subditum suũ, qui extra territorium deliquit; non solum ad instantiam partis offensæ, sed etiam ex officio inquirere, & procedere. Quamuis enim,cum non videatur offensa Respub. in cuius territorio delictũ non est cõmissum;nec etiam videatur, posse procedi per inquisitionem; quæ principaliter tendit ad publicã vindictam. Nihilominus tamẽ negari nõ potest, quin publicè intersit, vt hi qui origine, vel habitatione, sunt subditi alicuius loci, vbiq; rectè viuant;& quod vbicunque delinquant, ab ipso etiam Præside suo puniantur. Et etiam ad tollendam occasionem delinquendi: Quilibet enim scelestus, ad delinquẽdum in alienas prouincias properaret,si sciret, se in loco vbi habitat puniri non posse. Bene verum est, quod si in aliqua Prouincia, contraria opinio obseruaret, illa venit sequenda. Nam in omnibus causis, præsertim verò in criminalibus, nunquam est à communi practica, & vsu recedendum.

Statim igitur.

Statim igitur commisso delicto, omnes tres Iudices; scilicet delicti, originis,& domicilij, possunt cõtra delinquentem procedere, seruatis seruandis; & habitis legitimis indicijs, neque vnus processus alium impedit. Et si ipsi Iudices procedentes, sunt sub diuersis Præsidibus Prouinciæ,non est locus præuẽtioni,nec remissioni: sed si sunt sub eodem Præside, solet semper reus remitti ad Iudicem loci delicti (nisi aliud ex causa,ipsi Prȩsidi videatur) debentque ipsi omnes Iudices alterũ adiuuare, & indicia quæ habẽt ad illum transmittere; vt melius iustitiæ locus esse possit. Si tamen reus,sit in aliquo loco carceratus, solẽt alij Iudices supersedere, dummodo illud per collusionem factum non fuerit. Et si in eo loco, in quo detentus est fuerit punitus, vel absolutus, facta fide de

huiusmodi punitione, vel absolutione, non potest amplius per alios Iudices molestari. Quæ omnia intellige semper, omni fraude cessante.

Quæro nunquid. Si delinquens, conuersauerit continuè in aliquo loco per decem annos; habēs ibi familiam, & maiorem partem fortunarum, posset ibi puniri. Quia tali casu, videretur in eo loco constituisse domicilium.

Cæterum. Cæterum, si reus sit vagabundus, poterit de delicto puniri in quolibet loco, in quo inueniatur: vagabundus enim, vbique potest puniri: per regulam; vbi te inuenero, ibi te iudicabo.

Sed hic quæro. Vagabundus dicitur ille, qui per mundum vagatur; non habens alicubi, certum domicilium in quo habitet.

Fui interrogatus. Bannitus non potest dici vagabundus, quando habet in aliquo loco, certam habitationem, seu domicilium; Si verò sine certa habitatione, per mundum vagaretur, vtique habendus esset pro vagabundo; prout alij ita vagantes: non enim est rationi consonū, quod propter bannum, efficeretur melioris conditionis, quam cæteri non banniti.

Nota, quod ex delictis, de quibus, aut propter diuersitatem loci, aut incompetentiam Iudicis, cognosci non potest: possunt Iudices illa maleficia de quib⁹ cognoscere possunt aggrauare, & in maiori pœna punire. *Pro complemento.*

QVAESTIO XL.

De Vicariis, & an possint in causis criminalibus cognoscere.

VICARIVS Prætoris, potest de his omnibus cognoscere, & ea omnia facere, de quibus, & quæ, poterat cognoscere, & facere ille, in cuius locum est constitutus. *Vers. 1.* Circa *Sed nūquid.* impositionem autem vltimi supplicij, aut mutilationem membri distinguendū est. Nam aut loquimur in Vicario Prætoris, qui communiter esse solet in omnibus Ciuitatibus, & deputatur quandoque à Principe; quandoque etiam ab ipsomet Prætore: & de hoc iudicatur tanquam de Iudice ordinario, & eius iurisdictio regulatur, secundum statuta, & consuetudinem Ciuitatis in qua est

Vi-

Vicarius. Et ideo in hoc ſtandum eſt, diſpoſitioni ſtatutorum, vel conſuetudini. Aut loquimur in Vicario, qui deputatur in dies locumtenẽs Prætoris: verbi gratia, ex cauſa abſentiæ; & tunc pariter diſtinguendum eſt. Nam aut eſt deputatus ab ipſomet prętore, ſine auctoritate Principis; & non poteſt imponere vltimum ſuppliciũ. Ratio eſt, quia cauſæ meri Imperij non poſſunt alteri delegari. Aut eſt deputatus à Principe, in locũ prætoris mortui, vel abſentis, & tunc poteſt: & ita obſeruatur. Et idem etiam tenendum eſt, ſi deputetur ab ipſo prætore, cum ſcientia, & auctoritate Principis. In hoc tamen Ducatu, neque delegati, neque Vicarij, neque ordinarij, poſſunt imponere pœnam vltimi ſupplicij, neque mutilationis membri, niſi facta prius relatione in Senatu; ita diſponentibus decretis.

Item quæro. Vicarius Epiſcopi, ex ſpeciali ipſius commiſsione, vel Capituli, poteſt cauſas criminales cognoſcere, & eas etiam diffinire.

QVAESTIO XLI.

Cauſæ Criminales, an poſſint delegari.

CVM hactenus dictum ſit, de iudicibus ordinarijs, ſequitur nunc dicẽdum de delegatis. In quo articulo hæc decernitur cõcluſio. Quod Princeps poteſt delegare, omnes cauſas criminales, cuiuſcunque generis ſint. *Verſ. 1.*

Iudex etiam ordinarius (quidquid ſit de Iure) hodie ex generali conſuetudine, omnes cauſas criminales indiſtinctè, & meri, & mixti Imperij, etiã quo ad pęnam vltimi ſupplicij poteſt delegare. *Nam ſi quis idem.*

Iudex verò delegatus, (etiam ſi ſit delegatus à Principe) in hoc Ducatu non poteſt cauſam criminalem, alteri ſubdelegare. *Si uero eſt. In delegato autem.*

In caſibus, in quibus merum imperium poteſt delegari; delegatus poteſt ꝓcedere, vſque ad vltimum ſupplicium. Quod tamen intellige, quando ex tenore ipſius delegationis colligeretur: aliàs tutius erit, quod delegatus, antequam pœnam mortis imponat, *Sed nunquid.*

Prin-

Principi referat. Nota tamen., Quod quando esset periculum in mora; vt in insigni latrone, vtique posset delegatus pœnā mortis imponere.

Quæro nunquid. Episcopus nō potest causas criminales clericorū *Sed quid si.* delegare laico: neque laico solo, neque laico simul *Sed an poterit.* cum alio clerico, neque etiam clerico coniugato.

Sed quid dicendum. Summus Pōtifex, potest, etiam mero laico; committere causas criminales clericorum. Quia Papa in omnibus causis ecclesiasticis, habet absolutam plenitudinem Potestatis. Non tamen posset Papa, conferre generaliter iurisdictionē ordinariam, Principib' lai*Quæro quid.* cis in clericos. Clericus similiter, potest esse delegatus Principis laici: hoc est, in vna causa tantum.

QVAESTIO XLII.

De prorogatione Iurisdictionis in Criminalibus.

Vers. 1. IVrisdictio in causis criminalibus, siue procedatur ex officio, siue instāte accusatore; potest expresè, & tacitè prorogari; quo ad præiudicium partis, vel partium, quæ prorogationi ipsi consentiunt: non autem in præiudicium Reipub. vel Iudicum, ad quos pertinet, perpetrari *Scias autem* criminis cognitio, & punitio; vel alterius tertij accusare volentis: aliàs possent mille fraudes quotidie committi.

Hæc conclusio affirma- *Est etiam.* tiua, intelligenda est vt ꝓcedat, dummodo ille Iudex in quem fit prorogatio, aliàs etiam haberet iurisdictionem, in similibus causis criminalibus: non autē aliàs. Ratio est, quia si Iudex non haberet in talibus causis iurisdictionē, non esset locus prorogationi eius quod nō esset, sed potius esset Iurisdictionis noua collatio, quæ partium consensu, in causis criminalibus tribui non potest.

QVAESTIO XLIII.

De recusatione Iudicis, tanquam suspecti.

IVDEX in causis crimi- *Vers. 1.* nalibus, potest tanquā suspectus recusari. Si enim in causis ciuilibus, in quibus

bus solummodo agitur de re pecuniaria, admittitur recusatio Iudicis suspecti: multo magis admittenda est in criminalibus, vbi agitur de vita. *Item quæro.* Nota tamen, quod non potest Iudex recusari exceptione criminis; si enim hæc exceptio admitteretur pauci possent iudicare: cum nemo sine crimine uiuat.

Vnū tamē. Nota deinde in hoc proposito, quod licet aliàs, regulariter Iudex possit cognoscere super exceptionibus, quæ contra eius iurisdictionē proponuntur: si tamen opponatur aliqua exceptio, sugillans eius psonam: verbi gratia, quod sit infamis, aut excommunicatus, vel huiusmodi, nō potest ipse super tali exceptione cognoscere. Et ratio est, Quia quo ad hunc articulum diceretur Iudex in causa propria: & patet, quia nullus Iudex esset, qui se pronunciaret infamem, vel excommunicatum, & ideo super tali exceptione, superior debet ipse cognoscere, vel alium Iudicem dare.



QVAESTIO XLIV.

Quibus modis, contra absentes contumaces procedatur.

MODVS procedendi huius Prouinciæ, cō tra absentes contumaces, est multum conformis dispositioni Iuris communis. *Vers. 1.* In hoc enim Ducatu, *Sed hodie.* statim post assumpta indicia, seu informationes con tra reum, quæ sufficiant ad capturam; si crimen est tale, pro quo ingeratur confiscatio bonorum; statim transmittitur notarius, qui describat omnia bona, tā mobilia, quam immobilia, ipsius delinquentis, & ea sic descripta consignet cōsulibus, & syndicis locorum, in quibus bona sita sunt, & mobilia reponit etiam pęnes ipsos, vel aliquem alium idoneum depositarium. Quod si periculum est, ne aliqua mobilia propter moram fiant deteriora; vel pereant, solēt vendi, & pretium eorum deponi.

Facta huiusmodi descriptione, & consignatione, *Facta autē.* proceditur contra reum,

& si

& si est contumax, seruatis seruandis bannitur, & condemnatur diffinitiuè: & si deinde post condemnationem, infra annum compareat, solet plerunque per Senatum admitti, ad se de nouo defendendum. Et si se defenderit, absoluitur ab ipsa condemnatione, & recuperat bona; non obstãte quacunque apprehensione facta per Fiscum; & etiã quibuscũque sententjis inde sequutis. Si verò comparet post annum, non recuperat bona; sed tantummodo si se defenderit, absoluitur à condemnatione corporali; & bona (non obstante absolutione) remanent fisco, in pœnam ei' contumaciæ. Nota tamẽ: quod si crimen non est tale, pro quo veniant bona confiscanda; tunc, nec sũt ponenda ad manus curiæ, etiam si reus sit contumax; nec est facienda aliqua ipsorum bonorũ descriptio: ita disponentibus decretis huius Ducatus.

Licet autẽ. Licet de Iure cõmuni, nõ possit absẽs diffinitiuè cõdẽnari; tñ ex generali consuetudine totius Italiæ, in quantũcunque graui crimine, proceditur contra absentes, & habentur pro cõfessis ex cõtumacia; cuius confessionis vigore, & banniuntur, & condemnantur, etiam ad mortem. Et hæc omnia obseruantur, non modo in foro Ciuili, sed etiã in foro Canonico: nam hodie si citatus est contumax excõmunicat; & si ꝑseuerauerit in excõmunicatione per annũ, habetur ꝓ confesso, & cõuicto, de crimine de quo imputatur.

Dixi quod. Quamuis etiam de iure, si reus cuius bona sunt annotata, compareat infra annum, & satisdet coram Præside, de parendo iuri; statim recuperat bona descripta, & sequestrata. Qđ quidem nititur optima ratione: quia scilicet, talis annotatio fit tantum ratione contumaciæ, non autem ratione delicti; meritò igitur omnis eius effectus tolli debet, statim purgata contumatia, per ipsius rei comparitionem. Attamen, Quando quis admittitur ad nouas defensiones, post condemnationem, & bonorum confiscationẽ, tunc in hoc Ducatu seruatur, quod bona descripta remanent penes Fiscũ, neque relaxantur reo, nisi purgato crimine; & condẽnatione per contrariam sẽten-

tentiam sublata. Et ratio est; quia talis descriptio nō fit ratione cōtumaciæ, sed ratione delicti, & confirmatur secuta confiscatione; & sic eius effectus non tollitur, nisi secuta absolutione. Quinimò, si reus ad nouas defensiones admissus, se constituat in carceribus (vt fieri solet) & superueniēte infirmitate decedat, firma remanet eius bonorum confiscatio, nulla habita ratione, ꝓbationum per eum factarum, neque earum quas eius hęredes facere vellent, ad demonstrandam eius innocētiam. Et ita iudicauit Senatus. Vix autem videtur rationabile, quod posit Princeps talia bona retinere in foro conscientiæ; vbi de innocentia rei appareret. Sed cum sit sententia Senatus, non est vlterius quærendum.

Quæro quando. Rursus, licet de Iure, quando reus cuius bona sunt annotata, cōparet infra annum, non tenetur ꝓbare innocentiam suam: imò accusatori incumbit onus probandi delictum; adeò quod eo non probāte reus venit absoluendus.

Attamen, admissi ad nouas defensiones post condemnationem: nisi probent ipsi, eorum innocentiam, vel saltem elidant indicia, quæ contra eos sunt in processu; quamuis non sit delictum plenè probatum: nihilominus tamen in hoc Ducatu, solet exequi condemnatio, vel saltem torquentur; aut puniūtur, aliqua pęna extraordinaria arbitrio Senatus. Ratio huius differentiæ est; quia admissus ad nouas defensiones, habet sententiam super delicto contra se; quæ facit ius: res enim iudicata pro ueritate accipitur: & ita in facti contingentia, rescripsit Senatus. Ille autem cuius bona tantum sunt annotata, non habet nisi simplicem annotationem bonorum, quæ fit ex causa contumaciæ.

Similiter, quamuis de generali consuetudine; stante dicto statuto, quod contumax habeatur pro confesso, & conuicto, debeat contumacia rei, accusari à parte. In hoc tamen Ducatu, nunquam pars accusat contumaciam rei: nam hodie in criminalibus, Iudex supplet defectum partis. Sed certè super his, solet dari forma in qualibet prouincia, ex statutis, vel Dictum est.

consuetudine quæ omnino seruanda est.

Sed nūquid. In Italia Practica seruat, quod eodem contextu, iudex declarat, & pronūciat ipsum reum contumacem, & illum tanquam contumacem condemnat; & ita etiam, apud nos obseruatur. Et ideo, tu qui facis processum, sequere consuetudinem, quæ in eo loco obseruari solet, & ita faciē do non errabis.

Vnum tamē Nota verò, quod priusquam proferatur aliqua sētentia, seu mulcta contra contumacem; debet etiam de nouo citari, ad allegandum quare mulctari non debeat; statuto ei termino, sex, aut octo dierum, secundum consuetudinē Prouinciæ.

Quero nunquid. Nota deinde; quod ad hoc vt possit contumax cō demnari, & banniri; non est necesse qđ vltra contumaciam, sit etiam per legitimas probationes, de ipso delicto conuictus: sed sufficit, quod subsint indicia ad transmittendam inquisitionem sufficientia; ea enim, per contumaciam (vigore statutorum) remanēt taliter corroborata, quod habent vim plenæ probationis, & legitimę confessionis. Quam quidem cō- *Quæro nunc.* fessionē (licet fictā) si reus velit elidere, & contra eā probare: animaduertendū est; quod post condemnationem, nō est audiendus; nisi à Principe, vel Senatu, fuerit admissus ad nouas defensiones. Si verò antequam condemnetur comparuerit; tunc, omnino debet audiri: neque hoc casu, tenetur probare errorem huiusmodi confessionis; sed sufficit ipsa comparitio; ex illa enim sola, remanet ipso facto elisa; quia per eam, purgatur contumacia, propter quam statutum inducit, illam fictam confessionem.

Quæro etiā. Nota rursus: qđ (q̧dquid sit de Iure) in practica seruatur, quod Iudices ex officio recipiunt testes contra absentes; non autem ꝓ ipsis, neque in eorum fauorem; & Iudex, qui produceret testes ex officio, pro reo contumace, posset tanquam imperitus, & fatuus ab officio remoueri.

Item quæro. Licet de Iure cōmuni, reᵘˢ contumax sit citandus ad sententiam; Apud nos autem non citatur; sed tantū modo fit condemnatio, ad sonum tubę, vel campanæ, quæ vocatio habet vim di-

ctæ

Vidi quandoque. ctæ citationis. Et neque accusatur contumacia: neque spectatur triduum; post lapsum termini statuti ad comparendum; nisi ita Iudici ex æquitate videatur: sed plerumque in ipso termino peremptorij, fiunt dictæ condemnationes.

Nota tamen, quod circa hunc articulum, variæ in varijs locis adsunt consuetudines, quæ ab omnibus iudicibus sunt seruandæ, iuxta practicā loci in quo proceditur.

Videamus. Forma proferendæ sententiæ, contra huiusmodi reos contumaces talis est. Et quia nobis, & offitio nostro, constat ipsum esse culpabilem dicti maleficij, præsertim ex eius confessione resultāte ex contumacia, iuxta formam statutorum &c. ideo ipsum condemnamus, in amputatione capitis, & eius bona fisco Regio confiscamus: ita quod, si aliquo tempore venerit ad manus Iustitiæ, ducatur, & duci debeat, ad locum iustitiæ cōsuetum, & ibi eius caput amputetur, ita vt moriatur. Et interea ipsum, à toto dominio bānimus. &c. & ita practicatur.

QVAESTIO XLV.

De Reo personaliter comparente.

HActenus, de his quæ fiunt reo absente, vel contumace dictum est; nunc dicendum uidetur, de his quæ cōtingunt, reo in iudicio personaliter cō parente, siue quia captus fuerit; siue quia sponte cōparuerit. *Vers. 1.*

In qua materia inprimis tenendum est: quod hodie de consuetudine, in causis criminalibus, lis specialiter non contestatur. Sed animaduertēdum est; quod aut reus est contumax; & tūc, cum ex dispositione statutorū, habeatur pro confesso, non est necessaria alia litis cōtestatio, quam illa quæ fit per talem confesionem fictam à statuto, & sic contra ipsum proceditur, etiam vsq; ad condemnationem. Aut verò reus comparet in iudicio, & examinatur super delicto; & tunc responsio, quam ipse facit responden do accusationi, vel inquisitioni ad interrogationem Iudicis, inducit littis con- *Et inprimis*

testationem, etiam absque eo quod pars aduersa sit pręsens: & hoc, etiamsi procedatur ad instantiam partis. Quia in criminalibus, etiam absente accusatore, potest Iudex ex officio procedere, & interrogare.

Sed hic incidenter. Nota, quod ex parte accusatoris, vel Fisci, admittuntur positiones, quibus tenetur reus cum Iuraměto respondere: ex parte autem rei accusati, nullo modo admittuntur, ita vt teneatur accusator ipsis respondere: & ita obseruat consuetudo.

Scias autě. Reo capto, vel sponte cōparente, solent iudices illum statim adhibito notario, super ipso delicto interrogare; eiusque examen (quod vulgo *constitutum* appellant) in acta redigi facere. Et licet de iure; si reus compareat, & neget, non est vlterius examinandus: sed recipiũtur testes, & ad vlteriora proceditur ad perfectionem process⁹. Hodie tamen seruatur cōtrarium de consuetudine: nam si facta inquisitione reus compareat, & neget, nihilominus interrogatur, & examinatᷓ sup ea. Et siue pcedat diffamatio de crimine, siue nō pcedat, teneť indistinctè re⁹ sup ipso crimine Iudici respondere.

Sed Pone. Si reus, constitutus corã Iudice nolit respondere, interrogationibus sibi per eum factis, pręcisè affirmando, vel negando: sed vel omnino taceat; aut saltem respondeat per verba dubia: verbi gratia, non scio, non recordor: tunc Iudex potest, & debet illum ponere ad torturam, & cogere, vt respondeat affirmatiuè, vel negatiuè. Et hæc tortura, nō datur reo ad eruendam veritatem; nam ad hoc necesse esset, vt præcederent inditia ad torturam sufficientia; sed datur ad extorquendam responsionem. Quæ quidem obseruanda sunt, non modo qnando reus nō vult respōdere super facto principali: scilicet, an cōmiserit homicidium, vel non, sed etiam super circunstantijs substantialibus; pertinentibus ad ipsum delictũ; modo sint tales, de q̃bus verisimile sit, ipsum recordari; puta, quia interrogetur de facto, de modico tempore: & de rebus, de quibus alij solent communiter recordari: prout ipse Iudex considerata facti, & personarum qualitate,

po-

poterit arbitrari: & ita serua; nam ita obseruauit Senatus in quodam, qui dũ interrogaretur super quadam rixa, in qua ipse interuenerat, nolebat respõdere, neq; iurare; quapropter iussu Senatus, fuit affectus tribus ictibus funis publicè, deinde reductus ad carceres, iurauit, & respondit ad interrogata: Aduerte tamẽ, vt omnino aliqua subsint indicia contra reũ, aliàs enim non tenetur respondere.

Sed hic quære. Aduerte deinde, quod si reus peteret dilationẽ ad respondendum, nullo modo est ei concedenda; nam in criminalibus, super facto proprio, non debet dari reo terminus ad deliberandum; sed cogitur statim respondere: nullo dato ei termino; nec copia processus, nec inditiorum contra eum existentium. *Sed quid si reus.*

Sed quæro. Licet videatur tenẽdũ, quod reo nõ debet deferri iuramentum de veritate dicenda: quia nemo cogi potest, ad detegẽdam propriam turpitudinem. Et etiam experientia docet, quod rei propter metum illius iuramenti, nunquam solent fateri delictum. Vnde non esset deferendum iuramentum: quia est trita iuris conclusio, quod vbi subest probabilis suspicio periurij, nunquam est deferendum iuramentum. Nihilominus tamen, communis praxis Italiæ obseruat contrarium; nam in examine rei semper ei defertur iuramentum: & ideo in locis in quib⁹ obseruatur, debet Iudex illi deferre, nec à communi vsu deuiare. Hæc tamen praxis nunquam placuit Iulio Claro.

Quid ergo. Si reus in ipso examine falsum dicat, non potest puniri in foro contentioso; sed solum Deum habet vltorem. Bene verum est, quod si dicat aliquod mendacium, de quo fuerit conuictus; erit tale mendaciũ contra eum, sufficiens indicium ad torturam.

Debet autẽ. In examinibus reorum, debet Iudex semper procedere ad veritatem indagãdam (salua omni suggestione.) Non autem debet interrogationibus suis procurare, vt auferat reo suas defensiones: puta, si reus confiteatur aliquem percussisse, aut vulnerasse; nõ debet eum interrogare; an ille ex tali percussione, aut vulnere decesserit; ne-

que

que ab illo extorquere huiusmodi confessioné, istud namque est diabolicũ: nam fiscus satis habet intentionem fundatam, ex quo ille vulneratus, seu percussus mortuus est; & sic, Iudici hoc sufficere debet, absq; eo quod velit per huiusmodi confessionem, tollere reo facultatem probandi, quod non decesserit ex percussione, seu vulnere; quæ esset magna ipsi⁹ defensio.

Quæro etiã. Licet de iure videatur dicendum, quod in examinibus reorum, debent esse præsentes patroni causarum. Tamen vsus, & curiarum stylus, hoc nullatenus obseruat.

Cæterum si. Si reus in examine, confiteatur delictum, poterit puniri ex tali confessione; si verò neget, debent repeti testes examinati, super veritate ipsius delicti, citata parte ad videndũ eos iurare. Et grauiter erraret Iudex, qui omissa tali repetitione testium, procederet ad torturam, vel condẽnationem: Et nota; quod ista repetitio, debet fieri cum omnibus illis qualitatibus, quæ requirerentur vbi isti testes repetẽdi, nũquam fuissent examinati; & ideo debent de nouo iurare: aliàs nullam fidem facerent. Et etiam si fuerit aliquis testis talis, cuius dicto, de iure non sit adhibẽda fides, nisi cum tortura: puta, quia esset socius criminis; non sufficeret quod prius esset examinatus in tormentis, & quod de nouo iuraret; sed opus etiam esset, vt de nouo post iuramentum, poneretur in tormentis, & perseueraret in illo dicto. Ratio est, quia testes recepti, & tortura illata; & tandem, ea omnia quæ fuerunt agitata, ante litis contestationem, nullam fidem faciunt; nec habentur in consideratione; quo ad præiudiciũ ipsius rei comparentis: quia facta fuere parte non citata. Quod tene menti.

Nota rursus; quod licet receptio testium, non soleat committi, seu delegari alteri Iudici, quando testes examinandi reperiuntur extra territorium: repetitio tamen illorum, qui examinati sunt in processu informatiuo, potest delegari; & ita seruatur de consuetudine.

Nota deinde, & tene menti; quod quando reus permittit, se in contumaciam condemnari; deinde pe-

petit admitti ad nouas defensiones, & admissus comparet; iudex non debet repetere testes examinatos contra eum, in processu informatiuo: licet enim examinati fuerint ipso reo nõ citato (prout solitum est) ex quo tamen ipse reus citatus non comparuit; habentur illi testes pro legitimè examinatis, in odium eius contumaciæ; neque vlterior eorum repetitio requiritur. Et ita obseruari mandat Senatus.

Sed in proposito. Licet reus non fuerit citatus, ad videndum iurare, & repeti testes; si tamẽ Iudex eos repetat, confrõtando cum ipso reo, & testes confirment in eius pręsentia, ea quæ prius dixerant; tales testes dicuntur recepti parte citata; & probant contra ipsum reum: & ita practicatur. Hæc confrontatio fieri solet, quando testes deponũt tale qd, quod de directo contrariatur ei, quod reus dixit in suo examine: & licet de iure non sit necessaria, (& sic propter eius omissionẽ, nõ corrueret regulariter processus) tamen in practica obseruatur, ad hoc vt in ipsa confrontatione veritas melius elucescat.

Senatus vult, omnino eã fieri; quando est testis, qui contra reum deponit de visu. Et quando testes, sunt inter se contrarij. Et quando depositio testis, nõ potest certificari, nisi mediãte inspectione ipsius rei; puta, quãdo testis dicit, illum non cognoscere de nomine, sed tantum de visu. Vel illum describit per signa: nam eo casu, reus est exhibendus testi, vt ipsum recognoscat. Debet autem hoc casu, reus exhiberi testibus; non ipse solus, quia esset timor subornationis; sed posit⁹ inter alios tres, aut quatuor, qui sint illi similes quãtum fieri potest, vestibus, statura, & etiam facie: & ita seruatur in hac prouincia.

Facta repetitione, & cõfrontatione testium; priusquam reus carceribus tradatur, aut fideiussori relaxetur; est ei facienda monitio generalis, vt singulis diebus, & horis, adesse debeat processui faciẽdo, per ipsum Iudicem, tam circa receptiones testium, quã quæcunque alia, vsque ad sententiam inclusiuè. Et hæc monitio operatur, qđ non requiritur vlterior citatio: quæ quidem moni- *Facta autẽ.*

tio

tio per notarium solet scribi in fine examinis rei, hoc modo: scilicet. Quo facto fuit consignatus, & ei facta in faciem monitio generalis; vel huiusmodi. Quod nota; quia fortè, si de ipsa monitione non appareret in actis, omnia acta postea facta, reo legitimè non citato, corruerent.

QVAESTIO XLVI.

De Reo examinato carcerando, aut fideiussoribus relaxando.

Vers. 1. PErfecto reorum examine, factisque debitis confrontationibus, solent Iudices ipsos reos, ad carceres duci facere, (nõ obstante quacunque appellatione, quæ ab ipsis reis interponatur.) *Sed quid si.* Debent autẽ poni in carcere custodiendi, & non in vinculis. Vbi verò qualitas personę, & delicti hoc exposceret, posset Iudex reum in arctos carceres conijcere, & prohibere ne cũ aliquo loqueretur: & ita practicatur per Iudices expertos. Aliàs autem, laudabilius est, reos qui de graui crimine delati non sunt, vinculorum asperitate non vexare.

Carceris fabricatio pertinet ad Ciuitates, seu loca, in quibus de carcere est prouidendum: *Et quoniã.* Custodia autem carceratorum, pertinet ad Regem, seu dominum cuius est iurisdictio; & ad eius officiales. Quod nota, quia super hoc aliquando dubitatur; & in multis etiam locis obseruatur contrarium.

In Ciuitate Mediolani *Scias etiam.* obseruatur, quod singulo mense Commentariensis, siue custos carcerum, tenetur numerum carceratorũ, Iudici significare, vna cum titulis delictorum, propter quæ detinentur, & eorum qualitate, & ætatę, sub pœna viginti librarum auri, & Iudex si in hoc fuerit negligens, punitur in decem libris auri. Quinimò, solet singulo mense vnus ex Senatoribus, accedere ad carceres, & omnia prędicta diligenter exquirere, & in causis leuibus plerunque relaxari facere detentos, sub fideiussione; in grauibus autem Senatui referre, cui maxima est cura, ne carcerati in vinculis macerentur..

Si aliquis ex carceratis *Sed in hoc.* in

in carcere moriatur, custos carcerum non tenebitur illum exhibere, facta prius hac diligentia: quod scilicet, quando infirmatur, moneat Iudicem de illius ægritudine; & deinde si moriatr, faciat vocari notariū Processꝰ, q̃ corã testibus visitet cadauer, & illud recognoscat pro eo, qui dicitur mortuus, & illam visitationem redigat in actis.

Plerumque vero. Quando reus, aut eius procuratores, petunt ipsũ à carcere dimitti, ac fideiussori relaxari, debent facere, quod hæc petitio ponatur in actis, cum oblatione idonei fideiussoris: si enim non reperiatur in actis; etiam si eum Iudex non relaxet, non tenetur in syndicatu.

Licet de Iure regulariter, contractus facti à carcerato non valeant: tamen de consuetudine, carcerati solent procuratores constituere, & satisdare, & alios contractus facere.

In hac autẽ. Cõclusio generalis erit in hac materia: quod regulariter, vbicunque pro crimine imponitur pœna corporalis, reus non est fideiussoribus relaxandus. Vbi vero non ingeritur pęna corporis afflictiua, non debet reus carceribus mancipari, si offerat præstare fideiussorem; si enim non habeat fideiussorem, vtique debet in carcerib' detineri; & ita seruatur: & maximè in seruis, nam illi non relaxantur fideiussori. *Et hæc quidem.*

Solent etiã. Solent etiam plerumque Iudices, in festis Paschatis, & Natalis domini, reos in carceribus detentos relaxari facere: & ad hunc effectum, solẽt illis temporibus, quatuor Senatores ad visitandos carceres accedere, & alios fideiussoribus dimittere, alios carceratos relinquere; & vbi negocium est grauis momenti, Senatui referre; & his relationibus, solent etiam interesse in Senatu, Gubernatores Generales Mediolani, & eis absentibus, eorum Locumtenẽtes. Laudabile enim est, si crimen non fuerit enorme, & reus non sit confessus, vel conuictus, in festis Paschalibus, & Natalitijs eum relaxare, saltem data domo, vel Ciuitate ꝓ carcere. Et ita de consuetudine obseruatur.

Pariter etiã. Similiter etiam vbicunque pendente Processu, appareat reum non esse cul-

pabilem delicti de quo imputatur, debet relaxari; prçstita fideiusſione; & ita practicatur. Hæc relaxatio operatur; quod regulariter reus non conijciatur iterum in carceres ex ea cauſa, niſi ſuperuenientibus nouis indicijs. Hoc tamen Iudicis arbitrio relinquitur. Nota verò; quod in omnem caſum, tempore quo fit relatio diffinitiua cauſç in Senatu, ſemper ſolet reus ad carceres reuocari; ne, ſi ſequatur condẽnatio corporalis, poſsit illam fugiendo eludere.

In dubio autem. Iudex in dubio, ſemper debet inclinare in mitiorẽ partem; vt ſcilicet reũ ſub fideiuſsione relaxet: Et hoc vt ſubditos, mitius quam fieri poteſt, grauet impenſis: licet Iudices ſeueritatis gloriam affectantes, de cõſuetudine ſeruẽt cõtrarium: nam in dubijs, ſemper ipſi conſueuerunt, retinere reos in carcerib⁹ mancipatos. Poteſt etiam Iudex, quando perſonæ qualitas hoc requirit; & credit pro certo reum non eſſe culpabilem; conſignare illũ militibus, vt ipſum cuſtodiant, in aliquo loco tuto extra carceres: vel fideiuſſoribus, qui promittant eum in aliquo loco tenere; vel ſtatuere Palatiũ, vel Ciuitatem pro carcere ſub fideiuſsione: & hæc eſt communis practica.

Nota, quod in hoc Ducatu ſeruatur: quod Notarij cauſarum criminalium, recipiunt fideiuſſores: & ſi non fuerint idonei, ita vt tempore executionis ſoluẽdo non ſint: ipſi Notarij tenentur pro eis: propterea bene aduertant nõ recipere fideiuſſorem minus idoneum: & ideò bonũ eſt, vbi fideiuſſor, non ſit notoriè pluſquam ſoluendo; facere ei dari approbatorẽ, ſeu collaudatorem, qui illum collaudet, & approbet pro idoneo: tunc enim ipſe collaudator tenebitur, vbi repertũ fuerit fideiuſſorem non eſſe ſoluendo. Dicitur autem fideiuſſor idoneus, non modo qui poſſidet bona immobilia, ſed etiam qui licet nulla poſſideat immobilia, habet tamen tot bona mobilia, quæ de facili aſportari non poſſunt: puta, ſi haberet magnam apothecam, vel multa nomina debitorum; vel his ſimilia. *Cæterum.*

Si aliquis Forenſis: verbi gratia Alexandrinus, aut alius, detentus Mediola- *Pone quod.*

la-

lani, offerat dare fideiussores in Ciuitate Alexandriæ, quia dicit eos non reperire, in Ciuitate Mediolani, nō erit admittendus. Quia fideiussor, semper debet dari in loco iudicij: & ita obseruatur.

Sed quid agendum. Si reus propter paupertatem, non inuenerit fideiussorem: licet forte de Iure veniat relaxādus præstita ꝑ ipsū iuratoria cautione: de consuetudine tamē obseruatur contrarium; nā neque viri, neque mulieres relaxantur iuratoria cautione. Bene verum est, qđ quandoque consulto Senatu, solēt relaxari delinquētes nō multū grauati in ꝓcessu, cum iuratoria cautione, & præcepto in faciem cum comminatione pœnæ Iudicis arbitrio: & etiam Senatu non consulto, si agatur de leui crimine. Quæ consuetudo videtur optima; ne rei qui aliàs essent relaxādi, vbi fideiussorem non inuenirent, propter eorum paupertatem in carceribus marcescant.

Sed quomodo. Difficultas præstandi fideiussorem: propter paupertatē rei, de iure probatur ipsius Iuramēto. In practica tamen apud nos seruatur, quod Iudex ex officiò summariè, & sine scriptis cum interuētu Fisci se informat de facultatibus ipsius rei, aliter quam per eius iuramentum, & deinde fit ordinatio, quod relaxetur cum iuratoria cautione, cum participationē & interuentu Fisci, & subscribitur à Fiscali, & Iudex est postea tutꝰ ī syndicatu.

Licet de iure, viri Illustres non possint cogi ad fideiussionem præstandā in causa criminali, sed dimitti debeant cum iuratoria cautione; contrarium tamen seruat consuetudo: vt scilicet, non modo cogātur fideiubere, sed etiam in carcerem detrudantur. *Scias autē.*

Forma promissionis est, quod fideiussor, promittat consignare reum ad omnē requisitionem ipsius Iudicis; sub aliqua certa, & determinata pœna pecuniaria: non autem corporali, quia nemo potest se obligare ad pœnam corporalem, ex sua conuentione propter delictum alterius. *Quæro quæ.* *Sed nūquid.*

Quando verò pro delicto, tātūmodo imponitur pœna pecuniaria, tali casu reꝰ est dimittendus, cum fideiussione de iudicato soluēdo: & tunc sequuta sententia condemnatoria contra *Vbi verò.*

 reum,

reum, fit executio contra ipsum fideiussorem, etiam absque alio nouo processu.

Sit tamen cautus. Est tamen animaduertendum, quod in instrumento fideiussionis, apponatur clausula; quod promittit stare, & soluere quãcunque cõdemnationem, quæ fiet contra eius principalem; etiam in causis appellationis: nam regulariter talis fideiusio, expirat lata sententia, & ideo fideiussor nõ tenetur in causis appellationis. Hæc tamen clausula apud nos nõ practicatur: quia (vt dictũ est) in causis criminalibus, nõ admittitur appellatio.

Sed quæro. Stante statuto, imponente pro vulnere pœnam centum, & pro Homicidio mille; si aliquis simpliciter fideiusserit, ꝑ aliquo imputato de vulnere, de ipsum consignãdo, & deinde uulneratus decesserit. Animaduertendum est, quod si vulnus à principio erat mortale, fideiussor non cõsignans, debet cõdemnari in mille; si autem non erat mortale, debet tantum cõdemnari in centum. Hæc tamen quæstio hodie cessat in practica; cum fideiussores semper accipiantur pro certa summa.

Quæro pone. Nota, Quod si aliquis præstiterit fideiussorem in causa criminali, deinde fuerit imputatus de alio crimine, & pro eo fuerit bãnitus; fideiussor datus in prima causa, non tenebitur illum consignare; imò secuta condemnatione banni contra reum, remanet fideiussor prorsus liberatus, quia ex facto Iudicis videtur impeditus, ne illum cõsignet. Et ideo Iudex debet esse cautus, vt priusquam condemnet reum ex secũda causa, citet fideiussorem ad illum præsentandum ex prima causa; & vbi non consignet, eum condẽnet in pœna contenta in fideiusione: deinde procedat cõtra principalem, ex primo, & secundo delicto.

Sed his quæro. Licet de iure fideiussor, habeat certum tempus ad præsentandum reũ. Apud nos autem talis dilatio, nõ est in vsu; quia omnes fideiusiones, expresè recipiũtur, de consignando ad omnem requisitionem, & toties, quoties. &c. sub pœna promissa: quæ quidem, in casu contrauentionis applicatur fisco, & ita obseruatur. *successiuè.*

QVAE-

QVAESTIO XLVII.

De Cautione de non offendendo.

POTEST accusator, seu pars offensa, petere ab eo à quo timet offendi, sibi prestari cautionem de non offendendo: & tenetur Iudex illum cogere ad eam præstandam: Licet ille qui petit sibi caueri, dedisset causam inimicitiæ.

Vers & in primis.

Sed Pone.

Et non solum ad instantiam, & petitionem partis: verum etiam ex suo mero, & absoluto arbitrio; non præcedente aliqua causę cognitione, potest & debet Iudex, quando subest timor scandalorum, cogere aliquem ad hanc cautionem præstandam. Et ẽt cogere partes, ad inuicẽ fide iubendum de se non offendendo, omni appellatione, & exceptione remota: & vbi recusant fideiubere, eijciuntur à ciuitate, sub comminatione graui, pęnarum. Debent enim omni studio curare Iudices, vt ĩ Ciuitate omnia sint pacata, & tranquilla. Quinimò in multis locis, vbi qs minatur alteri, solet ille dari in custodiam aduersario suo sub pœna vitæ; & hanc custodiam appellamus *salua guardiam*, quam Senatus ex causa quandoque solet concedere; præsertim quãdo aduersarij, sũt potẽtiores, & manu prõptiores.

Sed nũquid.

Nota, Quod ista cautio est præstanda cum fideiussoribus; etiam quod pars multa bona possideat. Bene verum est, quod si ille à quo petitur hæc cautio, sit pauper, ita vt uerisimiliter non posit iuuenire fideiussorem, tunc admittitur ad præstandum (loco fideiussionis) iuratoriam cautionem: & hoc dummodo sit bonæ vocis, & famæ: aliàs enim non esset de eo confidẽdũ: sed debet Iudex illũ potiꝰ cogere, vt exulet: neque excusatio paupertatis, esset hoc casu admittẽda; nam hoĩes malæ vitæ, & conditionis, quanto sunt pauperiores, tanto etiam prõptiores sunt ad delinquendum: quia cum non habeant bona, non timent confiscationem.

Sed quæro.

Tempus huius cautionis: quo scilicet debeat durare, relinquitur arbitrio Iudicis: qui si viderit, quod intra illud temrus non cessat causa suspicionis, tunc potest, & debe cogere partes, antequam

Item quæro.

expiret ad illam renouandam. Ex negligentia enim Iudicum, super hac renouatione facienda; multa mala contingunt, & maiora contingere possunt.

Sed quoniã. Si facta per aliquos promissione de non offendendo (prout fit quando contrahitur pax, aut quando præstatur hæc cautio) vnus ipsorum offendat alterum, & sic frãgat pacem: potest alter impunè illum offendere: etiamsi in contractu apposita esset clausula, quod pœna toties committatur, quoties contrafactum fuerit: nam etiam tunc, qui posteriore loco offendit, non dicitur in pœnam incidisse. *Sed hic incidenter.* Hoc idem dicendum est in Treuga, si enim vna pars fregerit inducias, siue treugam; poterit etiam & altera pars eis contrauenire: & ita obseruatur vbique; præterquam in Hispania.

Quæro nunc. Quando existente inter aliquos rixa, seu inimicitia, facta fuerit inter ipsos, promissio de non offendẽdo sub certa pœna: Si postea ex noua causa, siue rixa superueniente, vnus eorum alterum offendat, non propter hoc dicetur commissa pœna. Quod tamen intellige, quando apparet de noua causa verisimili; aliàs secùs. Et quando ille qui offendit, nõ dedit causam, vel occasionem secundæ rixæ, nec illam aliquo modo procurauit, seu affectauit, aliàs enim diceretur cõmissa pœna. Et hoc, ad euitãdas fraudes; Quilibet enim, posset facere oriri nouam causam, & ita impunè alium offendere, non obstante promissione: quod esset maximè inconueniens.


Si duo, qui promiserunt se inuicem non offendere; *Sed hic quæro.* sub pœna applicanda parti, & pœna applicanda Fisco; nihilominus se offenderint eodem tempore, ita vt nõ appareat, quis primo offenderit; nullus ipsorum tenetur, quo ad pœnam applicandam parti: quia offensa inuicem compensatur. Ambo autem tenentur, quo ad pœnam Fisco applicandam, ne delictum remaneat impunitũ. Quia licet regulariter, in Iure dicatur, quod ratione incertitudinis, omnes deberent absolui. Hoc autem habet locum, in pœna corporali, non in pecuniaria.

Quæro etiã. Si duo promiserũt, se inuicem non offendere sub

pœna

pœna:& vnus eorum offendat fratrem alterius, non propter hoc dicetur incidisse in pœnam. Quia ad hoc vt dicatur pax rupta; requiritur, quod persona offensa sit talis, quod propter eius offensam, competeret principali actio iniuriarum proprio nomine. Quod tamen intellige; nisi manifestè appareret, quod offendisset eius fratrem, vt ipsum principalem offenderet: puta, quia nullam aliã causam inimicitiæ haberet cum ipso fratre: nam eo casu, grauius etiam esset puniendus.

Sed quid si. Si vnus ex illis, qui promisit alium non offendere sub pœna: adulterauerit vxorem alterius, non propterea videtur incidisse in pœnam. Ratio est: quia potius pręsumitur id fecisse causa libidinis, quam animo iniuriandi. Nota verò, quod si illa mulier esset adeo deformis, seu vetula, vt verisimile esset, quod potius animo iniuriandi, quã ex causa libidinis id fecisset, forrè posset dici, quod incidisset in pœnam.



QVAESTIO XLVIII.

De dilationibus, quæ in causis criminalibus concedi debent.

PERFECTO ꝓcessu informatiuo ex parte Iudicis, reoque examinato, factisque debitis repetitionibus, & confrontationibus testiũ; solet pars offensa citari ad subministrandũ, si quid habet contra ipsum reum, præsertim vbi adest querela: & etiam eodem cõtextu citatur ad videndam fieri publicationem processus. Et scias, quod licet in causis ciuilibus, publicatio processus non sit de substantia iudicij: in criminalibus tamen si omitteretur, processus esset ipso Iure nullus; quia tolleretur reo facultas se defendendi. Nam secundum communem practicã, eodem contextu solent Iudices publicare processum offensiuum, & eius copiam parti decernere, vna cũ termino ad suas faciẽdum defensiones. *Vers. 1.*

Si accusator compareat, & petat sibi statui dilationem ad probandum, debet *Sed Pone.*

bet

bet Iudex illam concederè, & superſedere à publicatione proceſſus. Et ita vbique obſeruatur.

Quæro quot. Licet de iure, debeāt dari duæ dilationes accuſatori; & tres reo. In hac autem prouincia ſeruatur, quod materia dilationum in cauſis criminalibus, eſt arbitraria. Et ideò, ſolent Iudices de facili concedere, plures etiam dilationes reis; maximè quando sūt in carceribus: quia eo caſu ceſſat præſumptio calūniæ. Accuſatoribus autem, non ita de facili concedūt, ne rei grauentur impenſis. Et propterea aliquando obſeruatur; quod accuſator, petens tertiā dilationem ad probandum, reo exiſtente in carceribus, cogitur fideiubere, de omnibus expenſis verſus partē, vbi non probet.

Sed nūquid. In crimine adulterij (q̄d quid ſit de Iure) dantur de conſuetudine dilationes, quemadmodū in alijs cauſis criminalibus.

Cætera. Vnum nota in hac materia: quod ſicut in cauſis ciuilibus, dilationes conceſſæ vni parti, ſunt alteri cōmunes; ita etiam in cauſis criminalibus.

QVAESTIO XLIX.

De publicatione Proceſſus, & eius copia parti decernenda.

SI accuſator citatus non compareat, aut dilationem non petat: tunc fit publicatio proceſſus, & decernitur eius copia reo, cū termino defenſionis. *Verſ. 1.*

Quod intellige, ſiue procedatur ad inſtantiam partis, ſiue ex officio: nam regulariter, etiam ſi contra aliquem procedatur ex officio: hoc eſt, per viam inquiſitionis, danda ſunt inquiſito nomina, & etiam dicta teſtium contra eum productorū: ad hoc vt poſſit ſe ipſum defendere, & ſuas exceptiones proponere, aduerſus eorum dicta, & perſonas. *Et hoc quidem.*

Hæc concluſio habet locum, etiam in crimine hæreſis. Nam etiam in ea cauſa, danda eſt reo copia indiciorum: non tamen edēda ſunt nomina teſtium, vbi adſit ſuſpicio periculi; aut propter potentiam inquiſiti, aut aliàs. Et propterea in cauſis hæreſis, cū ſemper graue periculum *Habetque locum.*

cre-

credatur imminere; si non testibus saltem causis fidei catholicæ; quia pauci liberè testimonium perhiberent, si nominum publicatio fieret; ideò consuetudine receptum est, vt nũquam nomina testium publicentur. Similiter seruãdum esset in alijs causis, casu quo immineret periculum: nam possent dari nomina testium confusa, & separata à dictis eorum, ne possent scire, quid ab vnoquoque ipsorum dictũ fuerit. Et ꝓpterea, aliquando Senat⁹ ita obseruauit: nã ĩ causa cuiusdã Homicidij, ꝓpter potentiã aduersariorum permissum fuit iudicib⁹ in ipsa causa delegatis, vt nõ ederent nomina testiũ, nisi prout sibi videret.

Sed nũquid. Ad hoc vt intelligatur, an dicta copia indiciorũ, sit danda reo non petenti: distinguendum est. Nam aut loquimur, an sit danda antequam reus subijciatur torturæ: & tunc, non est danda nisi petatur; petenti autem, non debet denegari. Aut loquimur, an sit danda ante condẽnationem: & tunc, debet omnino dari, etiam si non petatur: & hoc, siue reus fuerit conuictus, siue confessus, & ita in hac prouincia obseruatur. Non tamen intellige, quod sit danda reo cum effectu ipsa copia processus, expensis officij, vel partis querelantis, sed sit tantũmodo Decretũ copiæ, ita vt pars (si velit) possit illã habere suis expẽsis.

Reus petens copiã processus, non tenetur exprimere causam, propter quã illam petat; satis enim est, quod dicat, peto copiam indiciorum mihi decerni; hęc.n. assertio, inclusiuè cõtinet causã: hoc est, q̃a volo me defẽdere, & elidere indicia aliter q̃ ꝑ torturã. *Sed quæro.*

Quando proceditur contra reum absentem, & contumacem, nec solet fieri publicatio processus, nec dari copia parti; imò nulla facta publicatione, deuenitur contra reum ad condẽnationem; etiam capitalẽ. *Scias tamẽ.*

Si plures fuerint rei, de vno delicto accusati, quorum vn⁹ sit præsens, alij vero contumaces. In hac prouincia seruatur, quod differtur processus offensiuus rei præsentis; & nũquam ei publicatur, nisi prius contumacibus condemnatis. Et videtur optima practica; ne (si publicetur processus) possint contumaces in- *Sed Pone.*

ſtrui de indicijs cōtra eos exiſtentibus, & ſubornare teſtes, & deinde comparere. Ipſis autem contumacibus iam condemnatis, fit publicatio proceſſus quo ad præſentes, daturque eis copia, deletis tamē prius, (quantū cōmodè fieri pōt) nominibus cōtumacium, atque ijs omnibus, quæ ad eos pertinent; quatenus tamen quo ad præſentes, per huiuſmodi deletionem, nō tollatur, vel in minimo facultas defenſionis.

Item ſcias. Nota, quod nunquā publicatur proceſſus, neque datur parti copia indiciorum, quæ Iudex ſumpſit ſuper proceſſu informatiuo; niſi poſtquam fuerit facta reo citato, debita teſtium repetitio.

Danda eſt. Nota deinde, quod copia proceſſus, non ſolum datur reo, ſed etiam accuſatori ſi illam petat. Quod intellige, poſtquam proceſsus eſt publicatus reo; ante publicationem enim, non debet dari copia accuſatori, etiam ſi illam peteret pro intereſſe Fiſci, vt poſſet alia indicia ſubminiſtrare. Bene verū eſt, quod quandoque oſtendi poſsūt à Iudicib9, examina reorū accuſatoribus, vt melius ſciant fiſci partes tueri: hoc tamen, non niſi ex magna cauſa, & in atrocioribus delictis; & in quibus difficilè eſſet, habere indicia faciendum eſt.

Nota rurſus, & tene mēti; Quod dicta publicatio proceſſus; ſolummodo habet locum in inquiſitione ſpeciali: hoc eſt, in proceſſu qui ſpecialiter fit contra aliquem certum delinquentem: non autem in pceſſu, qui fit ſuper inquiſitione generali, ad inueſtigandum quis fuerit delinquens: cum enim in illa nō ſit aliquis reus certus, ſic non eſt alicui danda copia indiciorum. *Hæc autem.*

Ex ſupradictis infertur, Generalis, & certa iuris cōcluſio: quod in Criminalibus, nemo debet condemnari, niſi prius dato termino, ad faciendum ſuas defenſiones. Qui quidem terminus debet dari, etiā reo non petenti; & hoc, non ſolum quando tantum eſt cō uictus; ſed etiam quando fuerit ſpontè confeſsus. Ratio eſt, quia multa poteſt reus allegare, contra propriam confeſſionem. *Eſt igitur.*

Et hoc adeò verum eſt; quod nec etiam Princeps poteſt de plenitudine poteſtatis, *Et hoc adeo.*

ſtatis, tollere in criminalibus ſuas defenſiones reo. *Quæro nunc.* Bene tamẽ poteſt reus, ſua mera & ſpontanea voluntate, renunciare termino ſibi ſtatuto ad ſe defendendũ: maximè quando fuerit ſpõte confeſſus delictum; nam tunc, renunciato termino, poteſt Iudex ſtatim illum morti tradere; & ſolent Iudices huiuſmodi renunciationi, hanc apponi facere clauſulam: Quia ſcilicet, nullam ſcit ſe habere defẽſionem; Caueant tamen Iudices, ne perſuadant reos ad tales renunciationes faciendas; ne ſuper eos, & eorum filios conuertatur.


Sed hic incidenter. Si reus implorauerit clementiam Iudicis; & petierit veniam delicti ſolemniter coram Iudice; cenſetur fateri delictum: Si uerò petierit veniam extraiudicialiter, illud fateri non videtur.





QVAESTIO L.

DE DEFENSIONIBVS REORVM.



Vers. 1. ACTENVS dictum est: de Processu offensiuo; nunc de defensiuo videndum restat. In quo basis prima, & fundamentum firmius; est defensio illa, quæ oritur ab exceptionibus, concernentibus nullitatem processus: cuiꝰ multæ colligi possunt ex dictis supra; & ex infra dicendis; verbi gratia, si processus fuerit formatus cōtra minorem, 25. annis, nō dato prius ei curatore, tali enim casu est ipso Iure nullꝰ. In hoc tamē Ducatu (quidquid sit de Iure) in delictis, minor. 25. annis dummodo sit maior. 14. habetur in omnibus, & per omnia pro maiore: maximè quando confitetur delictum.

Licet etiam de Iure, opponi possit, processum factum fuisse tempore quadragesimę; nam in illis diebus, inhibita est cognitio causarum criminaliū. De cōsuetudine tamē, hæc exceptio nullius esset momēti; quia ista nō seruantur in practica. *Pariter ēt.*

Alia nullitas posset allegari: videlicet, quod processum fuisset per inquisitionem generalem, ex qua non potest sequi aliqua spe- *Item quia.*

cia-

cialis condemnatio: quia inquiſitio generalis non fit ad puniendum, ſed tantum ad inueſtigandum; & ſic vt prę paretur via inquiſitioni ſpeciali. Ad cuius exceptionis intelligentiam, animaduertendum eſt: quod ſi ex inquiſitione generali, nihil emergat ſpecialiter contra aliquem, nulli dubium eſt, quod ſuper ea nō poteſt ſequi condemnatio. Si autem reſultent indicia, ſpecialiter contra certum delinquentem: tunc ille citatur, ſuper ipſa inquiſitione generali ad ſe defendēdum, & contra eum proceditur. Et hoc caſu, facta citatione, & ſequuta litis conteſtatione (teſtibus legitimè repetitis) ſequi poteſt ex ipſa generali inquiſitione condemnatio.

Sciās etiam. Nota, quod in cauſis ſyndicatus officialium, proceditur ſuper generali inquiſitione, & ſuper ea poſſunt officiales condemnari, etiā nulla alia ſpeciali inquiſitione præcedente. Quod tamē intellige, citato pri⁹ officiali, ſuper capitulis ex inquiſitione emergētibus; & lite conteſtata, & facta monitione generali, ſuper probationibus recipiēdis. Ex quibus apparet, quod nulla alia eſt differentia, inter inquiſitionem generalem, quæ fit contra officiales; & illam quæ fit in alijs caſibus; niſi quod ea quæ fit contra officiales, fit ad inueſtigādum delicta, per eos commiſſa; licet nulla adſint indicia, neque diffamatio: illa verò quæ fit in alijs caſibus, non fit, niſi cō ſtito de delicto. Illud enim quod dicitur, quod in ſyndicatibus, non ſeruatur ordo iuris; intelligēdum eſt, vt procedat, quando officialis ipſe à ſyndicatu aufugit: non aliàs. Eſt etiam animaduertendum; qđ in cauſa ſyndicat⁹ officialiū, licet poſſet agi criminaliter pro barateria; tamen vt plurimum agitur tantūmodo Ciuiliter: niſi ad inſtantiam partis, quo caſu, debet à parte porrigi libellus, ſiue accuſatio, quæ habetur loco libelli.

Alia ſimiliter poteſt à reo allegari defenſio: quando ſcilicet, actori, ſiue parti offenſæ, in vim ſtatuti, ſeù aliàs denegatur actio: prout, quādoque in bannito diſponitur, & in illis, qui onera non ſoluerunt, vel huiuſmodi: quo caſu, neque admittitur eius accuſa- *Poſſet etiā.*

cuſa-

cuſatio: neque etiã poteſt Iudex ex officio inquirere. Ratio eſt; quia ſi ille qui eſt offenſus, conqueri non poteſt, ergo nec Reſpublica; quæ illi prohibet ne conqueratur. Regula enim eſt; quod non competit actio criminalis Reipub. vbi nõ oritur parti actio Ciuilis.

QVAESTIO LI.

De exceptione Præſcriptionis.

Verſ. 1.

POTEST etiam reus ſe defendere, exceptione præſcriptionis. Omnis enim actio criminalis, præſcribitur ſpatio viginti annorum, à die commiſsi delicti: ſiue fuerit accuſatio, ſiue inquiſitio, & ſic officiũ iudicis. Cum enim inquiſitio ſuccedat loco accuſationis; meritò ſublato iure accuſandi, cenſetur ſublatum Ius inquirendi.

Et hæc quidem.

Vnum tamen ſcias, quod licet criminalis actio, vel inquiſitio, præſcribatur viginti annis; nihilominus omnes actiones ciuiles, q̃ ex crimine deſcendunt, durant vſque ad 30. annos.

Sed hic quæro.

Si delictum fuerit reiterabile; verbi gratia, Adulterium, Inceſtus, Furtum; & his ſimilia: tempus præſcriptionis erit computãdum, à die vltimi delicti.

Poteſt autẽ.

Actio accuſandi crimen Adulterij pręſcribit quinquennio: & etiam alia crimina, poſſunt minori tempore præſcribi, ſi ita ex particularibus ſtátutis præfixum fuerit.

Sed quæro.

Si ſtatutũ præfixerit terminum Iudici, ad inquirendum, terminus ille currit ſtatim, à die commiſsi delicti; non autem à die ſcientiæ. Ratio eſt; quia regulariter, ignoranti currit omnis præſcriptio.

Hac etiam.

Hac eadem exceptione ſe poteſt defendere, Iudex exiſtens in ſyndicatu: nam lapſo tempore, quod præfigi ſolet in edictis Syndicatorum, ad querelandum; non poteſt vlterius moleſtari, non ſolum in ipſo loco officij; ſed neque etiam in eius propria patria.

Vnũ tamẽ.

Nota, quod ex maleficijs, de quibus obſtante pręſcriptione non poteſt cognoſci: poteſt Iudex alia maleficia, de quibus cognoſcere poteſt, aggrauare, & in maiori pœna punire.

Alia etiam.

Licet reus poſſet alia vti de-

defensione; excipiendo scilicet, esse peremptam instantiam causę: quia quamuis in ciuilibus perempta instantia, actor adhuc audiatur refectis impensis; nihilominus in criminalibus, accusator post peremptam instantiā, non est amplius audiendus. Attamen in hoc Ducatu, hæc defensio nullius esset momenti; quia in causis criminalib⁹, nulla seruatur instantia. Imò ea perempta, potest Iudex prosequi processum: & ita practicatur.

Pariter ēt. Similiter, nulli⁹ esset momenti, defensio allegantis, accusatorem esse mortuū, & propterea extinctum esse iudicium; neque audiendos esse hæredes. Quia ēt mortuo accusatore, potest Iudex ipse ex officio, accusationem prosequi, & processum perficere. Cum ex generali consuetudine, in omni casu procedatur per inquisitionem, siue extet accusator, siue non.

Quinimò. Quinimò, si aliquis ali⁹, velit accusationem prosequi, potest illud facere intra triginta dies, à morte accusatoris: & etiam post triginta dies admittitur, si velit de nouo accusare principaliter, & per se.

Sed quid si accusator. Idem etiam dicēdū est, si accusator ex quacunque causa, desistat ab accusatione: nam poterit Iudex ipse prossequi processum, & finire. Quod intellige, in illis casibus, in quib⁹ Iudex ab initio, potuisset ex officio procedere aliàs secùs.

Quæro nunc. Si allegetur, & probetˉ, reum esse mortuum; nō debet Iudex ad vlteriora procedere. Ratio est, quia crimen, & pęna, morte delinquentis extinguuntur: nisi in criminibus exceptis; in *Sunt tamē.* quibus etiam post mortē delinquentis, procedi potest; verbi gratia Hæresis, læsæ maiestatis; Repetundarum; Peculatus, Homicidij sui ipsius, ob conscientiam sceleris patrati.

Scias etiā. Nota, quod licet de iure communi, in omnibus casibus, in quibus pœna amissionis bonorum, est imposita à lege ipso iure, possit etiam mortuo delinquente, tractari de eo crimine contra hæredes, ad effectū confiscationis bonorum. In hoc tamen Ducatu, ad hoc vt posit ꝓsequi causa contra hęredes, requiritur qđ facta fuerit declaratio criminis; ante mortem ipsius rei: & ita semper obseruatur à Senatu.

Quæ

Quæ tamen obseruãtia, vix potest de Iure sustineri: maximè in casibus, in quibus potest memoria defuncti damnari; & sic cum in istis, specialiter nõ reperiatur decisum à Senatu; si casus contingeret, non videtur recedendum à dicto Iure communi. Scias autem, quod in casibus, in quibus, potest damnari memoria defũcti, vel bona post mortem confiscari; illud intelligendum est, vt procedat, intra quinquennium à die mortis defuncti, non autem vltra.

Sed hic incidenter. Si reus, qui est de crimine confessus, vel conuict⁹ vel etiam condemnatus, ante executionem sententię moriatur, vel naturali fato, vel quia ipse in carceribus se suspenderit; aut aliàs sibi manus intulerit; tali casu (quidquid sit de Iure) praxis tenet, & obseruat, quod eius cadauer suspendatur; aut aliàs contra illud exequatur, iuxta qualitatem delicti. Et licet aliqui magis dicant, quod ẽt est obseruantia Iudicum, quod eos qui se ipsos ex quacunque causa occidũt, suspendi faciunt; eo quia sunt homicidæ sui ipsius: attamen hęc practica apud nos non seruatur; nisi id faciant (vt dictum est) pendente processu, in carcere existentes: tunc enim præsumuntur id fecisse, conscientia proprij sceleris.

Scias tamẽ. Hæres nõ tenetur ex delicto defuncti, nisi vsq; ad vires hæreditarias, siuè cõfecerit inuẽtarium siue nõ. *Sed pone.* Et si delinquens reliquerit plures hæredes, quorũ vnus nõ sit soluendo, alius tenetur exonerare conscientiam defuncti.

Vltimo quæro. Si Iudæus post commissum delictum, susceperit sacrum Baptisma; non est religioni nostræ cõsonum, vt pro eo delicto temporaliter puniatur: nisi appareret, quod sacrũ Baptisma in fraudẽ suscepisset. Erit autem condemnandus ad restitutionem, vel emendationem damni, ad quam tenebatur ante baptismum susceptum.

QVAESTIO LII.

De negatiuæ probatione.

Vers. 1. MAxima pari ratione poterit esse defensio rei, probãdo delictum ipsum non fuisse commissum.

ſum. Quod probari poteſt, inprimis per euidentiam facti: verbi gratia, ſi homo qui dicitur occiſus, exhibeatur viuus: aut domus, quæ dicitur combuſta reperiatur illeſa: & his ſimilia. Aut etiam quando delictum, quod commiſſum fuiſſe dicitur, eſt per rerũ naturam impoſsibile: tunc enim abſoluitur reus, tanquã accuſat⁹ de re incredibili: & ita obſeruauit Senatus.

Item poteſt. Probari etiam poteſt per teſtes, probãdo negatiuã; ſcilicet, quod reus delictũ ipſum non cõmiſerit, neque committere potuerit. *Scias autẽ.* Quæ quidem negatiua, licet quando eſt non entis ſimpliciter, & ſic indeterminata, regulariter ſit improbabilis. Nihilominus tamen, quãdo eſt coarctata, loco, & tempore; eodẽ modo probatur ſicut affirmatiua: verbi gratia, quãdo teſtes deponunt ipſam negatiuam, & reddunt rationẽ, quod non potuiſſet eſſe, vel fieri, quin ipſi teſtes vidiſsẽt, vel ſciuiſſent.

Poteſt etiã. Similiter poteſt probari hæc negatiua, per confeſſionem, & dictũ ipſius met offenſi. Licet enim aſſertio vulnerati, cõtra aliquẽ non probet; neque faciat indicium ad torturam: è conuersò tamẽ dictum defuncti, excu[l]pantis imputatum de Homicidio, tollit omnia indicia quæ ſunt cõtra ipſum, ita vt ex eis non poſſit torqueri. Quod tamẽ intellige; quãdo res eſt dubia: ſi enim appareret de veritate in contrarium, vel eſſent contra reum indicia, valde vrgentia, & proxima delicto, non eſſet ſtãdum huiuſmodi exculpationi, ſaltem ad euitandã Torturam. Quia plerumque videmus, quod offenſi ob varias cauſas, faciunt huiuſmodi proteſtationes veritati contrarias: propterea in hoc, maximè verſabitur Iudicis arbitrium; qui inſpecta qualitate facti, cõſiderabit an talis aſſertio, videat[ur] veriſimilis nec ne; & an ei ſtandum ſit.

Poteſt etiam reus ſe defendere, allegando quod non conſtat de delicto. *Præterea.*

QVAESTIO LIII.

De exceptionibus contra teſtes.

EXCEPTIO quæ opponitur contra teſtes, ex *Verſ. 1.*

triplici capite proponi potest. Quorum primum respicit personam ipsorum testium; verbi gratia, qđ non potuerint in causa criminali examinari; quia sunt infames, periurij, & his similia.

In hac autē. Hoc autem casu, non sufficit contra ipsorum personas, opponere generaliter; sed opꝰ est specificè, describere locum, & tempus commissi delicti, & circunstantias. *Sed nūquid.* Non autem est necesse, quod probetur publica diffamatio; hoc est, qđ pro talibus ab omnibus reputētur. Sed sufficit probare, quod sunt infames ex tali causa. *Caueant tamen.* Et licet de Iure, opponens contra personas testium, si opposita non ꝓbauerit, teneatur actione iniuriarum: de consuetudine tamē, non tenetur etiā si non probet. Sēper tamen aduocati, in exceptionibꝰ contra personas testium, apponi faciunt protestationem; quod citra animum iniuriandi. &c. & est optima Practica.

Secundum. Secundum Caput respicit processum, ipsarum attestationum: verbi gratia, quia testes ipsi minus legitimè recepti sint; eo quia sine iuramento deposuerint; vel aliàs non seruata iuris forma examinati: aut fortè recepti super generali inquisitione; quo casu fidem non faciunt nisi repetantur: & his similia.

Tertium autem caput respicit ipsorum dicta, seu depositiones: puta, quia sint falsi, varij, contrarij, singulares, & quod non concludenter deponant, vel huiusmodi. *Tertiū est.*

Inprimis igitur, exceptio falsi, quæ contra dicta testium apponitur, hodie in Iudicijs criminalibus frequentissima est; eo quia, raro fiunt processus, in quibus, vel ad offensam, vel ad deffensam; & quandoque ex vtroque latere, non examinētur testes falsi: quod non aliunde procedit, nisi qa Iudices hoc delictum nimis leuiter castigant: cum nullum deberent seuerius castigare; eo quia nullum est Reipublicæ, perniciosius, quam crimen falsi. *Frequentissimè.*

In hac igiť materia, hęc est facienda conclusio, qđ testi, qui in sua depositione falsum dixisse conuincitur, tanquam periuro, nulla est fides adhibenda.

Adeò,

Sed quæro. Adeò, quod etiã in vno tantummodo falsum dicat, nihilominus tota eius depositio uitiatur; & sic nec creditur in vno, nec creditin alijs. Ratio est, quia iuramentum est indiuisibile: & ideò, siue capitula super quibus testis deposuit sint separata, siue sint connexa; eius testimonium tanquam vnicum, & super vnico iuramento fundatum, nihil valet.

Scias tamẽ. Hæc tamẽ intellige, quando falsitas consistit circa factum principale, vel qualitates substantiales: non autem, quando testis falsũ dicit, circa alia extrinseca; quia eo casu, nec dicitur falsus; neque vitiatur eius depositio.

Et ratio est, quia quando testes in facto principali conueniunt, & in eo sunt concordes; nõ nocet quod sint varij, vel contrarij in accessorijs.

Prædicta autem. Omnia supradicta habẽt locum; quando vnus testis ab alijs de falso conuincitur: sed quando ipsemet testis, aliquãdo vnum dixit, aliquando aliud totum cõtrarium: Ad intelligendũ an ei credendum sit; & an standum primo, vel secundo dicto; sunt distinguendi nonnulli casus.

Primus est: quãdo testis, dixit primo vnum extra iudicium, deinde in iudicio deposuit totum contrariũ: quo casu, standum est secũdæ depositioni factæ in iudicio. Bene verũ est, qđ debilitatur fides huiusmodi testis: & ideo poterit torqueri. Et etiam est animaduertendum; quod si testis, illud quod dixit extraiudicialiter dixisset cum iuramento; deinde, contrarium etiam in iudicio deposuisset cum iuramento; tũc forte posset de periurio condemnari; ex duo reperitur positus inter duo iuramenta contraria. *Primus.*

Secundus casus est: quando testis deposuit vnum in iudicio cum iuramento; deinde extra iudicium illud dictum reuocauit: Et hoc casu, stãdũ est eius primo dicto iudiciali: etiam si testis, talem reuocationẽ fecisset, in articulo mortis. *Secundus.*

Tertius est casus, quando testis in vno iudicio, deponit contrarium eius, qđ deposuerat in alio iudicio: quo casu, cum vtrumque dictum sit iuratum, certum est, quod potest tanquam falsa- *Tertius.*

falsarius puniri. Quo ad fidem autem; ex quo reuocauit primum dictum in alio iudicio, siue ciuili, siue criminali, standum est primo dicto. Et ratio est; qa iam ex primo dicto iudiciali, & iurato, quæsitum fuit ius parti; quod sine ei⁹ culpa, vel facto, ab ea auferri non potest. Bene verum est, quod debilitatur primum dictum, quo ad fidẽ probationis: & propterea si essemus in casibus, in quibus etiam liber homo, non admittitur ad testificandũ nisi cum tortura, tunc standum esset illi dicto, in quo perseueraret in tormẽtis; licet in alio iudicio ciuili contrarium deposuisset. Quod intellige vt procedat, quando primum dictum non fuisset cum tortura cõfirmatum; nam hoc casu, licet perseueraret in reuocatione in tormentis, adhuc standum esset primo dicto. Et etiam si semel bene deposuisset in iudicio ciuili, licet deinde reuocaret in tormentis staretur primo dicto.

Nota tamen, quod si prima depositio, facta esset in Iudicio nullo, & secunda in iudicio valido; tunc stãdum esset secundæ depositioni; nec noceret quod dixisset contrarium in iudicio nullo.

Sed quid si testis. Nota deinde, quod si testis in primo iudicio, dixerit nihil scire; deinde in secundo deponat de veritate facti; tali casu; nihil probat.

Quartus. Quartus casus est; qñ testis in eadem instantia; & inter easdem personas, cõtraria testimonia deposuit. In quo casu distinguẽdum est: nam aut testis in eodem examine, contraria deponit sine iusta correctionis causa; & tunc illi prorsus non creditur: nec reducitur ad concordiam, vt probet; & hoc, non solũ si contrarietas fuerit manifesta, & non de facili concordabilis; sed etiam si fuerit aliquo modo compatibilis. Aut verò deponit contraria in diuersis examinibus; & tunc, aut deponit contrarium secundo loco, non dicendo in specie se errasse in prima depositione, sed simpliciter loquendo: quo casu, modo secundum dictum compatiatur cum primo, debet quantum fieri potest ad cõcordiam reduci. Aut ipsemet testis dicit se velle suum primum dictum corrigere;

rigere; & tunc, si quidem vult illud facere in continenti: hoc est, antequam alloquatur partem; est admittendus. Si verò illud corrigere velit ex interuallo, non est audiendus, sed tanquam periurus, & falsarius puniri debet: Et tali casu, stãdum est eius primæ depositioni. Hoc tamẽ in causis criminalibus non seruatur in hoc Ducatu: imò si testis, reuocet primã depositionem, quia dicat se errasse, vel falsum deposuisse, ponitur in tormentis, & illa depositio quam confirmat in tortura solet attendi: & ita seruandum esse rescripsit Senatus. Bene verum est, quod ex quo talis testis, omnino est periur⁹ punitur de falso; neq; eius primo dicto adhibetur plena fides, tanquam dicto integri testis; sed multum de eius fide diminuitur: adeò, vt eius dictũ sine alijs adminiculis, non sufficeret ad Torturã contra reum, sed solummodo ad inquirendum. Et nota, quod ad hanc torturam, de consuetudine nõ fit citatio partis. Nota rursus, quod in huiusmodi reuocationibus, multum tribuitur arbitrio Iudicis, qui considerare poterit, ex illis depositionibus cõtrarijs, quæ videatur magis verisimilis, & cum qua concurrant plura adminicula, & illi adherere: præsertim vbi subesset aliqua suspicio subornationis. Aut tandem nõ ipsemet testis; sed aliqua partium, petit ipsum testem iterum examinari: & tunc, si fuerit illa contra quam testis deposuit, non debet audiri: subest enim magnus timor subornationis. Si autem fuerit illa pars, in cuius fauorem testis deposuit, vtique auditur. Et si testis deinde variet, & diuersa, seu contraria deponat, tũc standum est secũdo dicto: & sibi imputet pars, quæ petijt illum iterum examinari. Ex hoc enim censetur, eius primo dicto renunciasse.

Caueant tamẽ Iudices, in causis criminalibus, quãtum fieri potest; ab huiusmodi testium repetitionibus, ad instantiam partiũ: ex illis enim sæpenumero sequuntur multa absurda.

Nota, quod quando testis primo loco deposuit per verbum credo; in secundo autem deponit per verbum assertiuum verita- *Vnum etiã.*

tis:

tis: eo casu semper standũ est secundo dicto. Quia hodie possũ credere vnũ, & cras aliud.

Quintus. Quintus est casus, quando testis non contrariatur de directo, suę primæ depositioni: sed negat se ita deposuisse, prout à notario scriptum reperitur: & tunc distinguendum est. Nam aut tractatur de puniendo teste de falso; Et hoc casu, tantum creditur testi quãtum notario, Aut tractatur cui plus credendum sit, an notario qui dicit testem deposuisse, prout scriptum est: an verò testi neganti: & tunc magis creditur Notario. Quando autem Iudex est præsens, & assistit examini, tollitur omnis cõtrouersia: nam eo casu, non auditur testis, postea dicẽs se nõ ita deposuisse, vt scriptum est à Notario; imò si contrarium postea deponat, potest etiam de falso puniri.

Dixi etiam. Solet etiam (vt supra dictum est) opponi contra testes, illorum singularitas. Nam testes singulares, non sufficiũt ad plenam probationem; quando agitur de probãdo aliquo delicto in specie: hoc est, de probando delicto, ad effectum puniendi aliquem criminaliter. Quando autem agitur de probando delicto in genere; hoc est, quando agitur non de pœna infligenda; sed tantummodo ad alium finem; puta, excipiẽdo de adulterio ad priuationem dotis, vel de alio crimine ad diminuendam fidem testis: tunc fortè testes singulares sufficerent, ad concludẽtem probationem. Bene verum est, quod isti testes singulares, faciũt indicium ad torturam; & aggrauant reum, ita vt ex illis acrius torqueatur; vel vt seuerius puniatur.

Et quid si. Hoc quidẽ adeò verũ est, q́d scilicet, testes singulares nõ probãt plenè; q́d si Episcopus faciat statutũ, quod crimẽ vsurarum, possit probari per testes singulares, tale statutum nullius erit momenti.

Sed quid si. Quando Princeps, dicit testimonium contra reum: Si agitur de modico præiudicio; prout est inquirere, & procedere: tũc, creditur solius Principis assertioni. Si verò agatur de magno præiudicio, tali casu distinguendum est. Nam aut Princeps attestatur de eo, quod ipse vidit; & illi soli creditur, etiam ad condemna-

nationem. Aut asserit aliquid, quod ipse intellexerit coram alijs fuisse gestũ: & non est ei soli credendũ: posset enim Princeps malè ab alijs informatus esse. Et ratio est, quia hoc casu cõcurrerent duo specialia; Primum, quod crederetur ei soli. Secundum, quod testi deponenti de auditu alieno, adhiberetur fides. Quod quidem esset contra regulas Iuris.

Præterea. Tãdem dictum est, quod solet opponi contra dicta testium; quod non concludant. Quo in casu potest allegari, quod non reddũt causam scientiæ: Licet. n. regulariter, testis non interrogat⁹, super causa sciẽtiæ, non teneatur illam reddere. Attamen in causis criminalib⁹ est speciale, quod teneantur testes, etiam nõ interrogati, reddere causã scientiæ: aliàs nec probãt, nec faciunt Indiciũ. Quod tamen intellige, vt procedat in testibus, qui ad offensam deponunt: testes enim qui deponunt ad defensam, vtique probant, etiam si causam sciẽtiæ nõ exprimant.



QVAESTIO LIV.

De exceptionibus, contra instrumenta.

EXCIPERE potest re⁹, contra accusatorem, producentem aliquod instrumentum ad probãdum delictum: dicendo, quod regulariter delicta non ꝓbantur per instrumenta. Hæc tamen exceptio intelligenda est; vt procedat, quando crimen consistit in facto, separato ab ipso instrumẽto; verbi gratia, Homicidium, Adulteriũ, &c. Si autem crimen consisteret in animo; prout est Hæresis; vtique posset crimen ipsum probari per instrumentum; in quo, aliquis assereret aliquod Hæreticum. Aut etiam si delictum consisteret in facto incorporato, vel connexo ipsi instrumento: puta; si aliquis faciat instrumentum contractus vsurarij; certè delictum vsuræ, probari poterit per illud instrumentum. Et ita illam regularem conclusionem declarat Practica; quæ est optima legum interpres. *Vers. 1.*

Similiter si producantur ali- *Item si.*

aliqua acta;potest reus excipere, quod acta facta in Iudicio ciuili (etiam si causa fuisset intentata super crimine) non faciunt fidē in Iudicio criminali. Quod intellige, quãtum ad hoc, vt plenè probent : faciunt autem indicium ad inquirendum.

Et hoc quidem.

Sed quæro.

Et Nota : quod neque confessio procuratoris, facta in vno iudicio ciuili, præiudicat principali in alio iudicio criminali.

Sed quid.

Rursus, quãuis exhibeatur cõfessio, ipsiusmet principalis, facta in alio iudicio ciuili: nihilominus huiusmodi confessio, non facit in iudicio criminali plenam probationē, sed tantummodo semiplenam, & sic indicium ad Torturam. Cum enim sit facta, coram alio iudice, & ad alium finem, potius debet dici extraiudicialis respectu secundi iudicij, quam Iudicialis: & ideò, nõ debet sufficere ad condemnationē, nisi vna cum ipsa confessione, concurrant alia indicia.

Sed Pone.

Tandē, licet exhibeatur sententia, & cõdemnatio, lata contra aliquem in loco delicti; Attamen non faciet fidem, in loco originis uel domicilij; ita ut sit executioni mittenda, sine noua causæ cognitione, quando est lata per Iudicem, alterius territorij prorsus separati: scilicet, quod sit sub alio Principe, vel sub alio Præside Prouinciæ. Sed tãtummodo faciet contra reum indicium; ita, vt etiam non constito aliter de delicto, poterit contra eum procedi: & ita fuit decisum in Senatu.

QVAESTIO LV.

De exceptionibus, contra propriam confessionem.

PRima exceptio, quæ à reo opponi potest, contra propriam delicti confessionem; est allegare quod illa fuit extraiudicialis: Aut dato, quod fuerit confessio Iudicialis; Poterit dicere, quod Iudex erat incompetens. Nam confessio criminis, facta coram Iudice incompetenti, non ualet tanquam iudicialis, sed tantummodo, ut extraiudicialis: & sic neque illa, neque ipsa, sufficiunt ad plenã probationē delicti, sed tantummodo

Vers. 1.

Præterea.

ad

ad Torturam.

Vnum tamen. Qđ intellige (qcquid sit de Iure) siue factæ fuerint parte psēte, & expresse acceptante; siue aliàs. In practica .n. indistinctè obseruatur, quod tales confessiones, non præiudicent confitentibus ad plenam probationem, si deinde illas reuocauerint; sed tantummodo torquentur rei, vt in eis perseuerent: nisi fortè cum ipsa confessione, cōcurrerent tot alia argumenta, ex quibus posset dici, quod omnibus simul iunctis, de crimine plenè liqueret.

Item Potest Potest pariter allegari à reo (casu quo Iudex esset cōpetens) quod facta fuit confessio coram eo, non sedente pro tribunali, & sic tanquam priuato: quo casu, talis confessio non dicitur Iudicialis: & ideò tantummodo facit indicium ad Torturam.

Posset etiā. Quamuis reus, posset etiam allegare, quod talis confessio, emanauit extra ipsam causam, de qua principaliter agitur. Hæc tamen defensio, nō esset multum tuta; quia quando de delicto, cōtingēte causam de qua agitur, constat per confessionem ipsius delinquentis; tunc potest ex ea puniri, etiam pœna ordinaria; licet directò actum non fuerit contra confitentem.

Allegare ēt. Cæterum potest reus allegare, quod talis confessio, fuit sibi extorta à Iudice, cum promissione impunitatis. Aut etiam minis, Aut blandis verbis: quo casu, fuit decisum per Senatum; quod tantummodo valeret ad Torturam. Ratio est, quia non potest Iudex, nec debet ad eruendam veritatem; facere reo promissionem impunitatis, nisi quando potest, & vult illam adimplere. *Circa primum.* Quāuis .n. liceat Iudici, veritatis indagandæ gratia, aliquid simulare, ac fingere; non autem licitum est ei, reum illaqueare, fraude, & mendacio; hæc namque, à quolibet viro sunt vitanda, quāto magis à Iudice, qui veritatis amantissimus esse debet. Et sic nota, qđ aut impunitas, ꝓmissa est ab eo, qui poterat gratiā, seu indulgentiam concedere: verbi gratia, à Principe aut ab eo potestatem habēte; & tunc, omnino est seruanda dicta impunitatis promissio. Quia turpè est fidem fallere; & ita apud *Circa secundum.*

nos quotidie obseruatur. Aut vero impunitas est ꝓmissa ab eo, qui non potest illā concedere, & tunc sibi imputet, qui credidit tali promissioni. Nunquam tamen reus ita confessus, est condemnandus ex tali cōfessione, ad pœnam ordinariam delicti, nisi esset alijs etiam indicijs grauatus.

Potest etiā. Potest etiam allegari, cōtra propriam confessionē, quod in processu non constat de delicto. Quando enim non apparet de crimine, aliter quam per confessionem ipsius rei; non debet reus ex sola confessione sua condemnari. *Quomodo.* Hoc tamen intelligendū est cū distinctione. Aut enim delictum, quod reus confitetur est tale, quod solo animo perfici potest, verbi gratia, hæresis, aut similia: & tunc, ex quo tale delictū vix aliter probari potest, sola confessio (modo sit verisimilis) sufficit ad condemnandum. Aut vero est delictum, quod etiam facto committitur: & tunc, si quidem reus confiteatur in genere aliqua delicta cōmisisse; puta, vnum, aut plura homicida; vel multa furta, non exprimendo in specie quos homines interfecerit: aut cuius res furto subtraxerit; indubitatum est, quod non debet ex tali confessione condemnari. Si autem confiteatur delictum, in specie cum descriptione certa, aut rei, aut loci, aut personarum; tali casu, distinguendum est. Nam aut est delictum facti transeuntis; cuius scilicet, nulla solent remanere vestigia: verbi gratia, adulterium, furtum, & similia; & tunc, vbi cum querela partis, concurrit confessio rei; erit sufficiens ad condemnandum. Vbi verò non adsit querela partis, aut aliqua alia informatio, sola confessio non sufficeret. Et ideo Iudices, quādo fures confitentur corā eis, maria, & mōtes, & plura furta se alibi commisisse, debēt mittere nuncios ad habendam informationem, aliàs sæpe innocentes condemnarentur: & ita in facti cōtingentia rescripsit Senatus. Aut est delictum facti permanentis; quod scilicet oculis subijci possit: verbi gratia, homicidium, & similia: & tunc, nisi per inspectionem, seù visitationem factam, vel faciendam per curiam, appa-

reat

reat delictum fuisse commissum, non poterit reus ex sola confessione condemnari. Et cauti Iudices, his casibus solent perquiri facere cadauera, & etiam exhumari, & visitari, an extent vestigia vulnerum.

Nota tamen; quod si confessio, esset de aliquo homine certo, & haberentur informationes, quod non reperiretur, & reus fateretur illum interfecisse; & aliàs apparerent aliqua vestigia; verbi gratia, sãguis, in loco designato à reo, vbi confessus fuit delictum cõmisisse: tunc, licet non reperiret̃ cadauer, fortè posset ex ipsa confessione condemnari.

Vlterius et. Licet minor allegaret, quod eius confesio facta fuit sine curatoris auctoritate; hæc tamen defensio, parum prodesset; stante consuetudine, secundum quam in confesione minoris, non requiritur curatoris auctoritas.

Item posset. Rursus potest reus allegare: quod talis confessio facta fuit, super processu formato per Iudicẽ, iuris ordine non seruato. In hac autem exceptione; animaduertendum est: an confessio ipsa, spontè emanauerit, an verò in tormẽtis. Si enim confessio, fuerit à reo sponte facta; tunc etiamsi facta sit super processu nullo, dummodo nullitas non pocedat, ex defectu iurisdictionis, sed ex aliqua alia causa; adhuc potest reus ex illa condemnari. Si autem facta fuerit in tormentis; tunc, si legitima indicia non præcesserint, & seruata non fuerint seruãda, talis confessio est ipso iure nulla, & sic nõ potest confessus, ex ea condẽnari; etiam quod illam ratificet formiter, & in ea pseueret. Imò quod magis est; etiam si post huiusmodi cõfessionem, extortam vi tormentorum, indicijs legitimis non præcedentibus; superuenerint deinde legitima indicia, non propterea talis confesio conualidatur. *Si vero.*

Quamuis posset reus allegare; quod talis confessio non esset pura, sed conditionalis, & cum aliqua qualitate adiecta: & sic qđ nec poterat, nec debuerat, pro parte acceptari, & pro parte sperni: hæc tamen defensio esset valdè periculosa; nam vbicunque confitens, habet præsumptionem contra se, eo casu potest *Posset quoque.*

test pro parte acceptari, & pro parte sperni. Et sic Homicida, qui confessus est hominem occidisse ad sui defensionem; habetur perinde, ac si cõfessus fuisset simpliciter homicidiũ sine illa qualitate; & nisi deinde illam probet, potest ex tali confessione condemnari.

Forte posset. Nota tamen; quod hæc exceptio, poterit prodesse ad mitigandam pœnam. Quando videlicet contra reum: non constaret aliqđ aliud legitimum indiciũ. Et quando eodem contextu verborum, reus confessus esset occidisse, ad sui necessariam defensionem. Si enim prius, confessus esset explicitè occidisse, deinde (aliquo interiecto) adderet, quod illud fecit ad sui defensionem; tunc non probando hanc qualitatẽ, posset absolutè reus, ex tali confessione condemnari ad mortem. Hanc autem qualitatem, semper potest reus in suis defensionibus probare, etiam quod prius cõfessus fuerit simpliciter, se illum occidisse. *Cautius igitur.* Cautius igitur faciet talis reus; si negauerit homicidium cõmisisse; subijciendo, & si feci, feci ad meam defensionem, quæ quidem responsio admittitur, & habetur pro pura negatiua.

Sed Pone. Tandem potest reus, cõfessionem absolutè reuocare; allegando ipsam fuisse erroneam, & errorem probare: quæ probatio est admittenda; & constito de errore, reus venit absoluendus.

QVAESTIO LVI.

De exceptione allegantis, fecisse delictum Iure permittente.

Vers. 1. CONTRA propriam confessionem, potest etiam reus allegare: quod illud de quo imputatur licitè facere potuit: verbi gratia, quia occisus erat bannitus: Aut fur, vel adulter; in furto, vel adulterio deprehensus; tales .n. licet occidere. *Potest etiã.* Vel etiam erat ei permissum correctionis, & castigationis gratia: puta, patri in filiũ; & sic per Senatum fuit absolutus quidam, qui filium suum interfecit illum corrigendo. Aut viro in vxorem; nam marito permittitur ex iusta causa, verberare vxorem; leuiter tamen.

Aut

Aut magistro in discipulum: magistro enim est permissa leuis castigatio in discipulum, non autem immoderata.

Et in hoc. Nota; quod ad euitandam pœnam; in supradictis casibus, sufficit probare tale quid, ex quo appareat illud ex aliqua causa potuisse licitè fieri; licet punctualiter non probetur, quod factum fuerit iure licito. Vbicunque enim aliquid, non est prohibitũ de per se, sed tantummodo prohibetur, aliquo limitato loco; aut certo, & limitato tempore: tunc oportet, qđ accusator præcisè probet, reum illud fecisse, in tempore, vel loco prohibito: aliàs enim præsumitur factum loco, & tẽpore licito. Et sic, si accusator probet, quod accusatus vulnerauit Titium de mẽse Nouembris: & è conuerso accusatus probet, qđ de mẽse Nouembris Titi⁹ erat bannitus: etiam si non constaret, quod iam erat bannitus, antequam accusatus illum vulnerasset; nihilominus accusatus est absoluendus.



QVAESTIO LVII.

De exceptione rei iudicatæ.

INTER aliàs etiam defẽsiones, quæ in iudicio criminali proponi posſũt, est exceptio rei iudicatæ: quando scilicet reus allegat; se in alio iudicio, fuisse iam de eodem crimine, aut absolutum, aut condẽnatum: nam eo casu, non potest vlterius contra eũ procedi. Quo ad absolutũ igitur; hæc est tenenda conclusio; quod de his criminibus, de quib⁹ semel quis fuit absolutus; eo quia non commisit delictum, non potest accusatio replicari. Et hoc, non solum si primum iudicium fuerit criminaliter intentatum; sed etiam si fuerit intentatum ciuiliter: ex quo enim reus fuit absolutus, eo quia crimen non fuerit commissum; nõ potest amplius criminaliter accusari. Si verò esset absolutus, eo quia probatum non fuisset: tunc utique potest iterum accusari.

Vers. 1. *Et hæc quidem.*

Nota, quod de Iure communi, in dubio sententia

Sed his quæro.

ab-

absolutoria, in causa criminali, semper censetur lata ex eo, quod non fuerit probatum. In hoc tamen Ducatu, est sublata hæc difficultas; quia forma, & styl⁹ est, vt quando quis absoluitur, eo quia crimē nō cōmisit, fertur sententia absolutoria simpliciter, & diffinitiuè: quando verò absoluitur, ob defectum probationum, semper apponitur clausula; stantibus rebus, prout stant. Et hoc secundo casu, quandocunque superueniant noua indicia, semper proceditur: sed primo casu; (vt dictum est) non potest amplius procedi.

Sed Pone. Si aliquis primam accusationem ignorauerit, poterit ipse, non obstante absolutione accusare, si suam vel suorum iniuriam persequatur. Et nota; quod hoc casu, probabitur ignorantia, per proprium iuramentum ipsius accusare volentis: nisi aliter in contrarium de sciētia appareret: Et debet etiam ignorātia esse probabilis, & verisimilis. Nota verò; quod etiam tali casu, oportet qđ subsit aliqua magna causa, ad hoc vt ampli⁹ procedi possit. Magna autem causa dicetur; quando tractabitur de crimine magno, & atrociori: & tunc adhuc non videtur audiendus; nisi prę stita fideiussione, de omnibus impensis, & damnis; casu quo delictum non probauerit.

Si primus accusator prævaricatus fuerit; secundus poterit accusare. Nō enim, debet obesse dolus primi accusatoris, huic secundo accusare volenti, pro quo stat fauor publicus; ne delicta impunita remaneant. *Vlterius quæro.*

Omnia autem supradicta; quod scilicet, absoluto reo, non debeat accusatio replicari; procedunt siue in primo Iudicio processū fuerit ad instātiam partis, siue via inquisitionis, siue super denunciatione. *Procedunt.* *Idemque.*

Et licet de Iure Canonico, non soleat imponi pœna ordinaria delicti, quando proceditur per viam inquisitionis: nihilominus tamen, neque eo Iure poterit pars offensa accusare, ad imponendam pœnā ordinariā: præsertim si citata fuisset ad subministrādum (prout hic obseruat practica) vel aliter sciuisset, aut scire potuisset, Iudicium ipsius inquisitionis, fuisse intentatum. *Sed hæc quidem.*

Pro-

Habet etiã. Procedunt etiam supradicta; quando secuta fuit absolutio, per viam dispensationis: quando enim dispensatio processit ab eo, qui habet potestatem dispensandi; tunc crimina semel dimissa, iterũ in vltionem venire, diuina clemẽtia non patitur. Scias tamen, quod si aliquis ob idẽ delictum, fuerit condemnatus in loco delicti; & ẽt in loco originis in contumaciam; licet deinde habuerit gratiam, à domino loci delicti, non prodest ei talis gratia in loco originis: & ita declarauit Senatus.

Sed nũquid. Quamuis aliquis fuerit absolutus; aut punitus pęna quantumcunq; magna, pro aliquo crimine in foro pęnitentiali. Attamen, non obstante tali absolutione, aut punitione, poterit iterum puniri in foro Iudiciali.

Sed hic occurrit. In Criminibus communis Fori; si aliquis fuerit de aliquo crimine accusatus, coram Iudice Ecclesiastico, & ab eo causa cognita absolutus; non obstante dicta absolutione, poterit iterum corã Iudice laico, de ipso crimine accusari, & puniri. Ratio est; quia iurisdictio Ecclesiastica, & secularis sunt prorsus separatæ, & distinctæ: & ideò, absolutio lata in vna iurisdictione, non parit in alia exceptionem rei iudicatæ.

Dictum est Dicto iam de reo absoluto; quo ad condemnatum dicendum est: Quod siue fuerit punitus pœna, ęquali delicto, siue alia minori; nullo casu potest iterũ puniri: & ita practicatur; nisi quando ex parte Iudicis, qui minorem pœnam imposuit, intercessisset aliqua fraus, vel collusio; imponendo pœnam leuiorẽ, pro delicto valde graui: nã eo casu, non obstante huiusmodi punitione, posset reus iterum accusari, & puniri: & ita fieri mandauit Senatus.

Scias etiam. Nota tamen; quod licet dicta generalis conclusio procedat de iure. Attamen consuetudo, illam nõ admittit: nisi quando isti duo Iudices sunt sub eodẽ dominio. Quando autem eorum territoria, & iurisdictiones, sunt penitus separatæ, & distinctæ, & sub diuersis Præsidibus prouinciarum: tunc, si delictum commissum in vno loco, potest puniri à duobus Iudicibus insolidum, condemna-

natio facta ab vno; & exactio pœnæ, non tollit accusationem, neque punitionem coram alio.

Sed quæro. In criminibus communis fori; si aliquis fuerit punitus à Iudice Ecclesiastico; poterit Iudex laicus, illum iterum, pro eodem delicto grauius punire. Si autem prius fuerit punitus à Iudice laico, non posset deinde ab Ecclesiastico molestari. Dummodo pœna imposita per Iudicem laicum, non esset minor illa, quam pro eo crimine posset imponere Iudex Ecclesiasticus: Loquendo de pęna corporali, vel pecuniaria. Nam licet pœna excommunicationis; secundum quid, sit grauior omni pœna temporali: cum tamen tendat præcipuè ad salutem animæ: & sic, potius sit medicinalis, quam afflictiua, non est in hoc proposito, connumeranda inter graues pœnas.

Vnũ tamẽ. Nota, quod tanta posset esse criminis atrocitas, vt non obstante punitione, per vnum Iudicem illata, posset etiam per aliũ Iudicem puniri.

QVAESTIO LVIII.

De exceptione, exhibẽtis remissionem à parte offensa.

DEFENSIO pacis, seu remissionis habitæ à parte offensa: quã reus contra processum opponere potest: est subtilitate, & vtilitate plena; tã propter statuta, quæ plerunque habita partis remissione minuunt pęnas delictorum; & etiam aliquãdo disponũt, quod delinquentes habita pace non molestentur: quã ẽt ꝓpter gratias, q̃ illis cõcedũtur à Principe, quæ in hoc Ducatu (& multis etiã in locis) non fiunt, nisi pręuia partis remissione. Hæc autem pax, seù remissio partis offensæ, si habita esset, antequam inciperetur causa, multũ prodesse posset delinquenti, attenta dispositione iuris cõmunis; secundum quam, non proceditur regulariter sine accusatore. Et experientia docet, quod vbi pars offensa non accusat, rarò solent alij accusare. Sed de consuetudine, parum prodesset ad impediendum processum. *Vers. 16*

cessum, cũ enim hodie secũdum eam, pro quocunque crimine, procedatur per inquisitionem, ideò non obstãte remissione, Iudex procederet ex officio: & ita in facti contingẽtia rescripsit Senatus.

Sed pãctus. Licet de Iure, trãsactio facta super crimine, nihil valeat; antequam super eo fuerit instituta accusatio: quinimò illemet, qui remisit per pactum, vel transactionem, poterit his non obstantibus accusare. Nihilominus tamen de consuetudine, contrariũ seruatur: nam quandocunque fiant paces, & transactiones super criminibus, semper valent, & sunt obseruandæ. Et quamuis de iure communi, transactio facta, per proximiorem offẽsi, non impediat, quo minꝰ alius sequens in gradu possit accusare. Attamen de cõsuetudine seruatur, quod vbi primus in gradu remittit, non possunt alij accusare: nisi prout posset quilibet extraneus. Et hinc est, quod in casu statuti, vel decreti, vel gratiæ particularis; semper remissio proximioris, tollit alijs facultatẽ accusandi. Et ita in practica obseruatur.

Post cęptum autem Iudicium, siue per uiam accusationis, siue per viam inquisitionis; videtur, quod hæc defensio fundata super pace, seu remissione partis, esset modici effectus; nam non obstante tali pace, seù transactione, quæ facta esset super crimine (etiam in casibus à iure permissis) deuenitur ad condemnationem, contra delinquẽtem; perinde ac si nulla pax, aut remissio partis secuta esset. Quod intellige, modo delictum sit tale, pro quo possit ex officio procedi: & ita in facti contingentia rescripsit Senatus. Et licet aliqui teneant, quod facta trãsactione super crimine, in casibus à Iure permissis, non possit deueniri ad condemnationem sanguinis contra reum; nihilominus tamen, contraria opinio est magis cõmunis, & obseruatur: nisi vbi extarẽt statuta, in aliquibus casibus contrarium disponẽtia. Et Ratio est: quia cũ ex Generali consuetudine totius Italiæ, (& fortè etiã totiꝰ orbis) possint Iudices ex officio ꝓcedere, super quibuscunque delictis; parum curamus an pars accuset, vel remittat: & in hoc

non est dubitandum. In casibus autem, in quibus non potest procedi, nisi ad querelam partis; certũ est quod remissio partis superueniens, tolleret omnẽ processum, et quod accusatus omnino esset absoluendus: in cęteris verò, remissio partis nihil operatũ, quo ad hoc ut ꝓcess⁹ impediri, aut tolli possit. Et hoc declarat apertè, Decretũ ĩ cõstitutionibus hui⁹ stat⁹; dicens, quod vbi agitur de pęna pecuniaria, habita remissione ab offenso, vel eius hæredibus, nullo modo proceditur in causa, nisi sint casus, in quibus possit etiã ex officio procedi.

Et scias. Nota. Quod facta transactione ab accusatore; aut secuta illius morte; non tenetur Iudex, nouum processum, aut nouam instantiam inchoare. Et ratio est, quia cum Iudex inquirendo, concurrat cum accusatore, ideò per transactionem, nõ dicitur perempta instantia, & sic potest Iudex, illam proffequi quandocunque.

Nota deinde; quod licet de Iure, accusator transigẽs super crimine, veniat puniendus. Tamen apud nos, non seruatur in practica, quod accusator transigens in aliquo casu puniatur.

Sed Pone. Quamuis pars offensa, faciat remissionem delinquẽti: poterit tamẽ aliquis tertius (in illis criminibus, in quibus ei competit ius accusandi; aut quia sint publica; aut quia prosequatũ suorum iniuriam) non obstante tali remissione, ipsũ delinquentem, de eo crimine accusare.

Secunda. Nunc animaduertendũ est; quod licet de iure cõmuni, pax, seu transactio, tantũmodo fieri possit, super criminibus, pro quibus ingeritur pœna sanguinis: non autem super alijs. Hodie tamen ex generali consuetudine Italiæ, licitum est facere pacem, pro quocunque crimine.

Vnum volo. Nota deinde, quod si statutum prohibeat, fieri pacem pro aliquo delicto, nõ poterit fieri vigore statuti, nec cum principali delinquente, nec cum mandante.

Scias etiã. Nota etiam, quod in casibus, in quibus non est licitum transigere, neque etiam licet gratuito paciſci.

Visum est. Ius remittendi, seu faciẽdi pacem: inprimis spectat

ctat, ad ipsummet offensū: si verò ille mortuus fuerit; tūc ptinet ad eius proximiores; eo scilicet ordine, vt ille qui præfertur in accusatione; præferatur etiam in remissione facienda.

Quæro nunquid. Pater, potest de Iure facere remissionem, pro iniuria facta filio; etiam inuito ipso. Et Ratio est; quia ex iniuria facta filio; magis videtur offendi pater, quam filius. Quicquid tamen sit de iure, Senatus indistinctè vult, quod in remissione iniuriæ, interueniat consēsus vtriusque: scilicet, filij qui iniuriam accepit, & ei⁹ patris. Bene verum est; qđ quando non interueniunt cædes, neque vulnera solet approbari remissio, facta à patre sine filio, qui est offensus: & ita obseruauit Senatus. Hæc autem omnia intellige, vt procedant in filio, qui sit in patria potestate constitutus; sed si esset emācipatus, sufficit ab eo remissionem habere, etiam sine patris interuentu: & ita conclusum fuit per Senatum.

Præterea. Episcopus solus, nō potest remittere iniuriam factam Ecclesiæ: bene tamen potest, cum consensu Capituli.

Sed quid. In delicto blasphemiæ (quicquid sit de Iure) apud nos seruatur; quod non requirat remissio. Cū .n. sol⁹ Deus sit offensus; ipse pœnitenti semper remittit: & ita rescripsit Senatus; qui quidem, illud idem obseruat in casibus, in quibus solus Princeps offenditur; prout, in sfrosatione bladorum: & his similia. Quia cum in his, Princeps ipse indulgeat, non est alterius remissio requirenda. Idemque est in his, qui defferūt sal in dominio: nisi casu quo Princeps, vectigal salis alicui locasset: nā tūc requireretur remissio conductorū ipsius vectigalis, tanquam principaliter interessatorum: & ita in facti contingentia fuit conclusum in Senatu.

Vlterius quæro. Si monachus fuerit interfectus, relicto filio, quē ante monachatum legitimè susceperat: ad intelligēdum an Ius remittendi ptineat ipsi filio; an autē Abbati monasterij distinguēdum est. Nam; aut apparet iniuriam factam fuisse Monacho intuitu Ecclesię, vel Monasterij: & tunc, debet præferri monasterium: Aut apparet, quod facta

fuit intuitu personæ ipsius Monachi, & tunc filius est præferendus: Aut sumus in dubio; & tali casu ad vtrũque spectat. Et sic tutius erit, habere remissionem ab vtroque, & cessabit omnis difficultas. Nota tamẽ, quod si ille qui est offẽsus, non esset professus religionem; eo casu non spectaret ad monasterium, facere pacem pro iniuria ei illata: & ita declarauit Senatus.

Scias antẽ. Nota rursus, quod Senatus non admittit remissiones, factas à filijs spurijs: licet de iure, contrarium fortè esset dicendum: scilicet, quod imò filij naturales, & spurij, possint pacem facere, pro offensis factis eorum matribus; & etiam patribus, quando sunt certi.

Quæro an tutor. Tutor, potest facere pacẽ pro pupillo, absq; alia causæ cognitione: & ita indistinctè ĩ hoc Ducatu obseruatur. Bene verũ est, quod quando pupillus est maior infante; requiritur quod & ipse, in contractu pacis interueniat. Quæ quidem omnia intellige, vt ꝓcedãt in tutore generali, qui fideiubeat, & inuentarium cõficiat, & cætera faciat quæ de iure requiruntur; nõ autem in tutore speciali: & ita fuit nouissimè conclusũ in Senatu.

Sed an procurator. Procurator habens ab offenso mandatum; etiam cũ libera, & generali administratione; non potest facere pacem cum offendente; sed requirit, quod habeat speciale mandatum. Nam in mandato cum libera, nũquam veniunt ea, quæ verisimiliter constituens non cõcessisset, qualis est remissio debiti liquidi, quæ donationi æquiparatur.

Quæro pone. Pax, seu remissio, habita ab ipsomet occiso, (quicquid sit de iure communi) apud nos tamen de consuetudine; non est in consideratione: & ita expressè declarauit Senatus.

Nota tamen; quod (etiã de iure loquendo) si quis aliquem vulnerauerit, & ille ei pacem fecerit de illis vulneribus, si deinde mors sequatur, talis pax facta ꝓ vulneribus, non prodest in causa mortis.

Contingit. Si maritus interficiat vxorem: nõ proderit ei pax habita à filijs communibus, ipsius vxoricidæ, & vxoris occisæ; neque ab eorum tutoribus specialibus: nisi ẽt habeat pacem, à fratribus, & attinentibus ipsius vxoris:

ris: & ita tenuit Senatus. Qui quidem aliàs è conuerso, approbauit gratiam factam cuidam vxori, quæ maritum in rixa interfecerat, habita tantummodo remissione, à filijs communibus. Hoc autem, fortè ita decisum fuit; quia non militat ratio metus reuerentialis in matre; prout in patre.

Quæro nunc. Si filius à patre offenso relictus, noluerit esse illius hæres. Licet de Iure valeat pax ab ipso filio facta: quia reuera Ius faciendi pacem, non est hæreditarium. In hoc tamen Ducatu seruatur, quod quando apparet hæres bonorũ; non admittatur remissio, habita à solo hærede sanguinis; nisi etiam habita fuerit ab hærede bonorũ. Quando autem non apparet, de hærede bonorum; tũc sufficit remissio, ab hęrede sanguinis habita.

Sed hic incidenter. Nota, quod licet filius faciat pacem, pro offensa illata patri suo defuncto: etiamsi pro ipsa pace aliquid recipiat: non videtur ex hoc, eius hæreditatem adire. Ex quo enim Iure sanguinis, potest facere pacem, etiamsi non sit hæres bonorum; potest eadẽ ratione, ꝓ ipsa pace aliquid recipere, absque eo, quod censeatur se ex eo hæredẽ facere. Nihilominus, ad euitandas disputationes, quotidie hæredes sanguinis, impetrant dispensationes à Senatu, vt possint facere remissiones, citra ius, & nomen hæredis, & Senatus illas concedit.

Frequenter. Si offensus decesserit, pluribus relictis hæredibus, non sufficit habere pacẽ, à maiori parte ipsorum: sed requiritur de necessitate, quod habeatur pax ab omnibus hæredibus. Et ratio est, quia nisi omnes remittant, non videtur sublatus rancor, & odium, inter offendentem, & hæredes offensi: quod videntur statuentes principaliter considerasse. Deinde, cum quilibet hæredum pro sua portione, repræsentet personam defuncti; ideo, ad hoc vt dicatur plena remissio, debent omnes in ea interuenire. Et ita in hoc Ducatu seruatur.

Sed quid si inter. Quando inter hæredes à defũcto relictos; reperietur vna fœmina, etiam ab illa erit habenda pax. Cum enim mulieri sit permissa accusatio; meritò etiã potest facere pacem: & ita apud

pud nos indiſtinctè obſeruatur. Et ideò Senatus, expreſsè reiecit gratiam cuiuſdam ex eo, quod non habebat remiſsionem à filiabus defuncti. Bene verum eſt, quod ſi filia eſſet excluſa, à ſucceſsione per ſtatutum; eo quia dotata, vel aliàs; tunc, non requiritur eius remiſsio. Neque etiam, caſu quo non fuiſſet hæres inſtituta, ſed tantummodo relictum ei legatum: nam tunc, ſufficeret pax habita ab hæredibus teſtamentarijs, qui etiam eſſent hæredes ſanguinis: Et ita cenſuit Senatus.

Sed quid ſi nullus. Sed quando nullus adeſt hæres, à quo pax haberi poſsit; tunc ſolet Senatus, approbare litteras gratiæ, appoſita conditione, vt ſi aliquis hæres apparuerit, teneatur ille cui conceditur gratia, infra aliquem terminum, puta vnius mēſis, habere pacem ab ipſo, aliàs &c. & ita obſeruauit Senatus tempore cuiuſdā Decreti gratioſi. Poſtea verò fuit concluſum per Senatum: quod illi, qui propter defectum hæredū, admittūtur ad gratiā ſine remiſsione partis, debeāt impetrare gratiam particularem, & non admittātur amplius, ad beneficium Decreti gratioſi: & eſt deciſsio longe tutior. Quia tempore Decreti gratioſi, declarationes fiunt per Iudices inferiores, qui non ad omnia, ita diligēter aduertunt ſicut Senatus, coram quo præſentantur gratiæ particulares. Pariter etiam ſi offenſus ſit forenſis, & abſens: ita vt ignoretur vbi reperiatur, ſolet approbari gratia cum conditione, quod ſi comparuerit in dominio: teneatur offendens, in termino duorum menſium, habere ab eo pacem: aliàs &c. & ita, tempore eiuſdem decreti gratioſi, ſeruauit Senatus.

Dictum eſt. Pax, facta abſenti (de Iure) non valet; niſi in ipſa pace interueniat aliquis, qui pro ipſo abſente recipiat. Et ita in practica ſeruatur, quod huiuſmodi remiſsiones, fiunt notario ſtipulanti, nomine omnium quorum intereſt. Et ſic ceſſat omnis difficultas: valet enim pax ita contracta, & prodeſt cuicunque illam producenti, aut eius beneficio vti volenti; perinde, ac ſi eſſet in ipſo contractu, ſpecialiter nominatus. Qđ tamen intellige, vt procedat in remiſſione, quæ fit

vt

vt profit in foro iudiciali: non autem de ea, quæ fit in foro pœnitētiali; illa enim, poteſt fieri ſacerdoti, uel cuilibet tertio; etiamſi nemo ſit, qui pro abſente recipiat.

Quæro modo. Si facta fuerit pax, ſimpliciter pro iniuria, vulnere, vel morte; nō ex hoc cenſetur facta remiſsio intereſſe pecuniarij, reſpectu damnorum, & expenſarū. Nam in dubio, cenſetur qđ offenſus, propter æternam ſalutem, ſolum rancorem animi remiſit, non autem dāna; quorum refectionē licitè petere, & conſequi poteſt. *Sed in propoſito.* Non enim tenetur quis ex præcepto euangelico, remittere niſi rancorē, & odium. Ex quibus clare infertur; quod etiam, facta ſic remiſſione iniuriæ, ſiue offenſæ in foro cōſcientię; non propterea cenſetur ſublatum ius accuſandi.

Adde quod etiam. Nota; & tene menti. Quod etiam ſi quis oſtendat, vel probet ſe reſtituiſſe rem ablatam; vel ſatisfeciſſe pro damnis, vel ſolniſſe pœnam pecuniariam; in qua fuerat condemnatus verſus partem; non propterea talis reſtitutio, ſolutio, vel ſatisfactio, ꝓderit uolenti impetrare gratiā; niſi habeat plenam partis remiſſionē, etiam pro pœna corporali, vel exilio, in quo fuiſſet condemnatus: & ita fuit deciſum per Senatum.

Et aduerte. Nota deinde, quod non ſolum ipſe principalis Homicida, non admittitur ad gratiam, ſine partis remiſſione: ſed neque etiam ille, qui ꝓ ſimplici auxilio ad homicidium, fuerit condēnatus in pœnam pecuniariam.

Scias etiam. Nota rurſus: quod Senatus, non ſolet admittere ꝓbationem pacis, niſi ꝑ publicum inſtrumentum. Si tamen Senator, & Fiſcalis atteſtarentur, pacem corā eis factam fuiſſe, tunc fortè talis probatio admitteretur: quia aliquādo, pacē ſic atteſtatam approbauit Senatus.

Pro complemento. Iudex, ſeu officialis regens prouinciam, non poteſt cogere offenſum, ut iniuriam remittat: æquitatis enim ratio non patitur, ut quis cogatur inuitus offenſam remittere; præterquam in foro pœnitentiali. Debet ergo Iudex ſuadere, non cogere ſubditos, ut pacem faciant.

QVAE-

QVAESTIO LIX.

De Gratiæ præsentatione.

Vers. 1. PRINCEPS supremus, potest pęnas delictorũ; tam corporales, quam pecuniarias, etiam per sententiam transactam in Iu- *Sed hæc quidem.* dicatum inflictas, delinquentibus remittere, & in *Et dixi.* dulgere. Quæ quidem præheminentia, ad solum Principem spectat; licet de facto, vel de consuetudine Barones, in aliquibus locis seruent contrarium. In hoc tamẽ Ducatu, Barones, vel Feudatarij, nõ possunt gratias delictorum concedere; nisi id specialiter eis concessum fuerit, in eorum inuestituris.

Adde quod. Potest etiam Princeps, pro bono pacis, (quia bonum publicum est,) remittere iniurias, & damna, singularium personarum; sine earum consensu: Non tamen censetur eas remisisse; nisi id specialiter & expressè dictum sit. Quia in dubio, nõ censetur iuri priuatorum velle praeiudicare. Quinimò in hoc Ducatu, regulariter non conceditur gratia, nisi his qui habent remissionem à parte offensa; non solum in offensionibus factis in personam; ut est, homicidium, vulnus, & similia; sed etiã in offensionibus factis in rebus, vt est furtum, robaria, & huiusmodi. Seruatur namque pro lege, quod gratiæ concessæ sine partis remissione, non approbantur per Senatum. Bene verum est, quod ex aliqua iusta, & rationabili causa, posset hæc obseruantia alterari; & etiam aliquando fuit alterata, & approbata gratia, sine partis remissione.

Nota tamen, quod in a- *Sunt tamen* liquibus etiam casibus, ex declaratione Senatus, non requiritur partis remissio: prout sunt, simplex insultus; prima euaginatio; & prouocatio; & delatio armorum prohibitorum; nisi vulnus interuenerit, aut percussio animo deliberato illata. Et hoc, dato etiã quod cum prima euaginatione, interuenisset ictus; modo non esset secutum vulnus. Hi autem casus procedunt, quando non interuenit animus deliberatus: nam ubicunque animus deliberatus interuenit,

nit, semper est necessaria partis remissio, licet nihil mali secutum fuerit: & ita rescripsit Senatus. Similiter, si quis dederit alapam alicui, requiritur remissio & ita declarauit Senatus.

Scias autē. Nota deinde; quod huiusmodi gratię, solent concedi à Principe duobus modis. Primò, quando alicui facit specialem remissionem, siue indulgentiā delicti; & hæ apud nos appellantur litteræ gratię. Secundò, quando Princeps ex aliqua causa; puta pacis initæ, aut ducendę vxoris, aut natiuitatis primogeniti, aut ingressus possessionis alicuius Regni, vel Prouinciæ, facit gratiam generalem. Et hoc apud nos appellatur Decretum gratiosum.

Quæro nunquid. Si Princeps dicat alicui, facio tibi gratiā pro delicto, cēset plenè restitutus, & consequenter recuperat etiā bona; ea scilicet, quę nō sunt alienata, sed reperiuntur adhuc penes Fiscum. Et propterea in hoc Ducatu; quando Princeps facit gratiam, solet addere; quo ad pœnam corporalem tantum. Ex quo tamen in hoc Ducatu, non solent fieri gratiæ quo ad bona, sed tantum quo ad personam, licet hæc limitatio nō fuisset expresse apposita; cēseret omissa p errorem; & tacitè apposita: nisi aliàs appareret de mente Principis. Illa autem bona, quę iam sunt per Fiscum alienata, non comprehēdūtur in illa gratia, in qua etiam ueniunt bona; nisi illud expressis uerbis dispositum fuerit: nam licet Princeps posset (si velit) ex causa restituere bānitum; etiam ad bona in alios alienata. Tamen in dubio non pręsumitur qđ uelit tollere ius tertii: & sic tali casu, requiritur expressa dispositio. *Item quæro:*

Quæro etiā. Nota verò, quod in nullo horum casuum, restitutus recuperat fructus: hoc est, neque perceptos ex bonis iam alienatis: neque perceptos ex non alienatis.

Sed quæro. Hinc infertur, quod si durante banno, aliqua hæreditas deuoluta fuerit bānito; quæ eo reperto incapace delata fuerit alteri proximiori in gradu. Licet bannitus postea fuerit restitutus; tamen non recuperabit illam hæreditatem alteri delatam, &

acquisitam. Quia (vt dictum est) nō censetur Princeps velle auferre ius alterius.

Debes autē. Nota, quod ab impetrante gratiam, necesse est, vt exprimantur in supplicatione, omnia illa, quæ potuissent verisimiliter retrahere animū Principis, ab ipsius concessione, si ea sciuisset: & præsertim si iam aliàs fuisset ei concessa aliqua alia gratia de aliquo delicto: debet illius primæ mentionem facere.

Et quia. Omnes gratiæ: hoc est; tam illæ, quas Princeps facit, absolutè remittēdo delictum: quam illæ, quas facit cōmutando pœnam debent regulariter à Senatu approbari, aliàs nihil valent; ita expresse disponentibus, constitutionibus huius dominij. Cum enim commutatio, vel diminuitio pœnæ, etiam dicatur gratia: puta, commutatio pœnæ furcarum, in pœnam triremium, vel his similia: ideò in ea, sicut in alijs, requiritur partis remissio: nisi casu quo pœna triremium esset in perpetuum: nam tunc fortè non requireretur partis remissio.

Sunt tamē aliqui casus, in quibus non requiritur approbatio Senatus: prout est, quando Princeps concedit gratiam exilij arbitrarij. Aut, quando cōceditur gratia, à pœna extraordinaria, imposita per edicta ipsiusmet Principis: & ita rescripsit Senatus.

Est autem animaduertēdum; quod statuta, seu decreta, concedentia liberationem, seu indulgentiam delictorum: vel disponentia, quod banniti cancellētur de banno, non trahuntur ad banna, vel delicta futura, scilicet, committenda post publicationem ipsius decreti: Et hoc, ne detur occasio delinquendi. *Successiuè.*

Imò quod fortius est, neque ad delicta iam commissa, ante publicationem ipsius Decreti; quādo commissa fuerunt, sub spe Decreti: talibus enim, nullo modo est indulgendum. *Fortius dico.*

Nota, quod in Generali abolitione delictorum, nō cōprehenditur crimen falsi. Et ideò si fiat decretū, vel statutum, quod omnes carcerati relaxentur, soluta certa quantitate; non extenditur ad eos, qui sunt carcerati pro crimine falsi. *In huiusmodi.*

Tan-

Scias etiam. Tandem nota, quod licet de iure communi, istę abolitiones non extinguāt crimen, sed tantum suspendant processum: nec prosit illis, quorum crimina sunt iam liquidata. Apud nos tamen seruatur totum contrarium: nam liberantur, etiamsi sint in carceribus, & iam condemnati. Et etiam illi solent liberari, qui sunt in triremibus condemnati, modo sint in casu Decreti: & ita pluries declarauit Senatus.

QVAESTIO LX.

De causis, propter quas in delictis; aut excusatur in totum, aut saltem minuitur pœna.

Vers. 1. NEMINEM latere debet, quod ætas in delictis, pōt esse maximè excusationis. Si enim reus fuerit infans, proculdubio excusatur à pęna: quia cum talis ætas, quicquid videt ignoret; ideò, non potest pro delicto criminaliter puniri. Si autem fuerit maior infante, sed adhuc pupillus: tali casu requirūtur tria, adhoc vt possit puniri: Primum, quod ipse sit doli capax. Secundum quod sit proximus pubertati. Tertium, quod deliquerit in committendo. Si enim non fuerit doli capax, aut non proximus pubertati, aut deliquerit in omittēdo; nunquā pupill⁹ punitur. In omnem autem casum, nunquam debet puniri pœna mortis; pro quocunque graui delicto, neque pœna ordinaria delicti: sed eius pœna semper debet esse citra mortem, vel membri mutilationem. Et Nota, quod hæc defensio proderit pupillo, non modo ante sententiam: sed etiam post condemnationem, contra eum in contumaciam sequutam. Si verò reus, fuerit maior 14. annis, sed minor. 25. tunc, nō excusatur; debet tamē propter ętatis imbecillitatē mitius puniri arbitrio Iudicis. Quinimò, si delictū fuerit cōmissum sine dolo, posset minor iuuari, ope restitutionis in integrum; etiam adhoc, vt à tota pœna excusaretur. Non autē (Apud nos) proderit minor ætas, ad obtinendam restitutionem in integrū, aduersus confessionem delicti, factam per ipsum mi-

norem: maximè si esset in delicto multum enormi: puta Sodomia.

Sed nūquid. Nota, quod minor delinquens in minori ætate, nō potest puniri postquā est effectus maior; pro illis delictis, pro quibus puniri non poterat durante minori ætate.

Successiuè. Senectus in delictis non excusat; quo adhoc, vt omnino pœnam euadat; sed bene quo adhoc vt mitius puniatur. Hoc autem obseruatur à Senatu tantummodo in leuibus delictis.

Item quæro. Furiosus, qui tempore commissi delicti, erat iam furiosus, non potest propter illud puniri. Ratio est; quia quicquid facit ignorat; & etiam, quia satis suo furore punitur: & ita obseruauit Senatus.

Nota tamen, quod Serenissima Regina Castellę fecit puniri quendam Furiosum, qui intulit vulnus Serenissimo Regi Ferdinādo ei' marito: quod quidē propter Regalis personæ excellentiam potuit iustū videri. Si rursus tempore delicti erat sanæ mentis, & postea effect' sit furiosus: neque etiam hoc casu, poterit de his quæ ante furorem perpetrauit, puniri aliqua pœna, neque ordinaria, neque extraordinaria; neque corporali, neq; pecuniaria: Et ratio est; quia aliàs diceretur indefensus condemnari: ex quo semper furiosus habetur pro absente. Et licet ex statutis Italiæ, possit absens condemnari etiam ad mortem: illud tamen est, quia absens habetur ab statuto, non modo pro præsente; sed durante contumacia habetur etiam pro confitēte, & conuicto; quod non potest cadere in furiosum; qui cum sit extra mentem, non potest dici, neque confessus, neque conuictus, etiamsi esset præsens.

Hæc autem intellige, nisi furor superuenisset, perfecto iam processu suarum defensionum: aut post condemnationem, & sententiā latam: nam tunc posset cō demnari; aut exequi sententia, non quo ad pœnam aliquam corporalem: sed quo ad pœnam pecuniariam tantum. *Sed quæro.*

Licet ira sit breuis furor. Attamē in criminibus, quando nō prouenit ex iusta causa in nihilo excusat: nisi in delictis contumelię, & excessus verborum; nam *Est etiā ira.*

in

in his, aut ex iusta, aut ex non iusta causa, prodest ad mitigandam pœnam. Quãdo autem prouenit ex iusta causa: tunc in quibuscunque delictis, licet non excusat in totum, excusat tamẽ, ad hoc vt delinquẽs mitius puniatur: vt patet in viro, occidente vxorem repertam in Adulterio.

Est & Amor. Amor etiam est furoris species. Propterea qui ꝓpter Amorem deliquerit, videtur mitius puniendus: & sic in facti contingẽtia, fuit absolutus quidam; qui fecerat sortilegia propter Amorem: & etiam aliàs idem obseruauit Senatus; nam quidam, qui libellum famosum publicauerat, cõtra quandam puellam, cuius amore captus erat, fuit absolutus; tanquam quod ex nimia amoris vehementia, nõ esset mentis suę cõpos. Bene verum est, qđ habebat remissionẽ à parte offensa: aliàs fortè hæc excusatio illi nõ ꝓfuisset.

Vlteriꝰ quære. Prodigus, in delictis nõ excusatur. Licet enim in administratione bonorũ, non reputetur integri sensus: & ideò contrahendo non obligetur: in cæteris tamẽ habetꝛ ꝓ homine sanæ mentis, quapropter delinquendo obligatur: & sic punitur, tam pęna pecuniaria, quam corporali. Quod tamen intellige, in delictis quæ fiunt committendo; in illis enim quæ fiunt omittendo, prodigus excusatur in totum.

Præterea quære. Ebrius, delinquens tempore ebrietatis, excusatur à dolo, sed non à culpa: & ideò puniendus est, non pęna ordinaria delicti, sed extraordinaria. Si autem sine culpa sua fuisset factus ebrius; puta, quia socij ipso inscio, sal in vinũ coniecissent; tunc à dolo, & à culpa, esset prorsus excusandus. In omnem etiam casum, semper ille qui ebrietatis calore blasphemauit, mitius est puniendus.

Quæro etiã. Si dormiens, hominem interficiat, aut aliàs delinquat, erit excusandus. Quia non erat tempore delicti cõpos mentis, & ideò de eo, tanquam de furioso est iudicandum. Hoc tamen intellige, vt procedat; quando aliàs ei dormienti talia euenire non solent: si enim aliquando id ei contingere soleret: hoc est, vt à lecto surgeret & ensem euaginaret, vel similia faceret; tunc si ipse non præcauisset clauden-

do ostium, diceretur esse in culpa) & ideò deberet, pœna extraordinaria puniri.

Quæro nunquid. Quamuis aliqui dicant, quod in delictis ignorãtia, etiam iuris excusat à pœna. Attamen tenẽdum est: quod quando delictum, qđ punitur ã cõstitutione, vel decreto; est etiam prohibitum de iure communi; eo casu, ignorantia cõstitutionis, vel statuti nõ excusat. Scias etiam, quod Iudicẽ, qui tenetur leges scire, ignorantia iuris Ciuilis, vel Canonici, vel Positiui, licet excuset à tanto, nunquam tamen excusat à toto.

Solet dubitari. Mandatum superioris, excusat regulariter in delictis: dũmodo illud, quod quis facit ex mandato alterius, non sit de genere prohibitorum. Et ideò, operarij, & Fabri, excusant̃ de eo, quod operantur in re alterius, ex mandato conducentis: nisi ipsis operarijs, facta fuisset denunciatio, siue protestatio, vt ab ipso opere desisterẽt: nam tali casu non excusarẽtur. Neq; etiam si de nocte, accessissent ad laborandum, vel actum clandestinè fecissent: ex quo enim clam agunt videntur esse in dolo. Hinc pariter infertur, qđ si miles, vel collateralis Prætoris, de eius mandato, aliquem decapitari fecerint iniustè, excusantur. Quæ quidem conclusio intelligenda est, vt procedat in delictis leuibus: in atrocibus enim, mandatum superioris, nũquam excusat in totum à pœna; sed bene excusat, vt mitius puniatur.

Hæc omnia de plano ꝓcedunt, in mandato superioris simpliciter loquendo, sed si esset vir potens, & seuerus, erga eos, quibꝰ mandare potest: fortè esset excusandus, qui de eius mandato aliquod delictũ committeret; non quidem à tota pęna, sed ut mitius, & citra mortẽ puniretur. Ex quibus nota: quod si Princeps, vel dominus, mã dauerint alicui, vt aliquẽ occidat, sub comminatione, quod nisi exequatur, ipsum occidi facient; talis mandatarius de iure ciuili excusabitur. Et ratio est; quia videtur, hoc quodam modo facere, ad sui necessariam defensionem: ne scilĩcet, ipse occidatur.

Nota rursus, qđ si Princeps mandat officiali, vt ali-

aliquem ſine proceſſu ſuſpendi faciat, poterit officialis, tale mandatum exequi licitè, & ſine peccato.

Nota deinde, quod excuſatur etiam ex mãdato, ille qui delictũ commiſit; quãdo mandatum factum fuit à perſona, quæ illud idem poterat impunè facere: verbi gratia, ille qui de mandato patris, interficit filiam depræhenſam in adulterio; & his ſimilia; & hoc, ſiue mandatum factũ ſit ab eo, qui poteſt imperare mandatario, ſiue à quocunque alio, qui non poſſit mandatario imperare.

Quæro modo. Metus, aut vis, in delictis excuſat; adeò, quod delinquens propter metũ, vel coactè, non punitur. Hinc infertur, quod ſi mulier, per metum adulteriũ commiſerit, non punitur. Neque etiam, ſi quis alium interfecerit metu mortis, eſt puniendus pœna Homicidij.

Nunc quæro. Prouocatio aduerſarij, non excuſat delinquentẽ in totum: prodeſt tamen, adhoc ut mitius puniatur, quia in dubio, ille qui eſt prouocatus, præſumitur facere id quod facit, cauſa ſe defendendi; & non cauſa vltionis.

Dolor Iuſtus in delictis; non excuſat in totum; ita vt delinquens impunitus euadat, ſed bene debet pœna aliquantulum temperari: verbi gratia, maritus occidens vxorem deprehẽſam in Adulterio. Nota tamen, tu qui defendis reum; vt probes, non ſolũ cauſam ipſam, quam prætendis illum impuliſſe ad ita faciendum; ſed etiam, quod ipſe reus motus fuit ex ea cauſa. *Sed hic quæro.*

Excuſatio, quod delictũ clam commiſſum fuerit; diſtinguenda eſt: nam aut delictũ eſt ex illis, quæ ex ſui natura poſſunt eſſe licita, & illicita: vt ſunt contractus, qui regulariter ſunt liciti; ſed in aliquibus caſibus prohibentur; puta, tutori cum pupillo, vel his ſimilia: & tunc magis punitur, qui ea clam committit quã qui palàm. Et ratio eſt quia ex eo, quod illud clã facit, præſumitur ſcire illicitum eſſe. Aut verò delictum eſt ex his, quæ de ſui natura ſunt ſemper illicita; vt eſt blaſphemia, furtum, homicidium, & huiuſmodi: & tũc plus punitur, qui ea palam committit, quam qui clam. *Sed an forte.*

Pœ-

Etiā quandoque. Pœnitentia post commissum delictum, non excusat ad euitandam accusationem: neque ad euitandam pœnam, præterquam in crimine Hæresis.

Nota tamen, & tene mẽti; quod licet hæretico pœnitenti parcatur, si quis tamen accusauerit falsò aliũ de hæresi, non potest iste pœnitere, adhoc vt euitet pœnam, sed omnino puniẽdus est: & ita obseruatur. Si autem pœnitentia fuerit ante patratum delictũ; tunc distinguendum est. Nam aut pœnituit, quia facere non potuit delictum, & non excusatur; imò puniendus est, ac si perfecisset. Aut verò pœnituit, q̃a non voluit, & tunc excusatur, non in totum, sed vt mitius puniatur.

Et generaliter. Nota, quod quęlibet iusta crudelitas excusat à pę na. Imò dici solet, quod quælibet causa etiam iniusta, excusat à delicto; siue à dolo, & pœna.

Tu vero dic. Ad cuius dicti intelligẽtiã animaduertendum est: quod aut loquimur in delictis, in quibus dolus est de substantia, vt est falsum, periurium, & similia: & tũc siue causa sit iusta, siue iniusta excusat: Quia videtur cessare animus delinquendi. Aut verò loquimur in delictis, in quibus dolus non est de substantia: & tũc, si causa fuerit iniusta, excusat quidẽ à dolo, sed non à culpa; & ideò punitur pro culpa, non autem pro dolo. Si autem causa fuerit iusta; & excusat à dolo, & excusat à culpa.

Defensio quam rei faciunt, probando bonam vocem, qualitatem, & famam: nec non, & nobilitatem, & merita ipsius Rei, potest esse vtilis ad multa. Nam inprimis, dato quod fama publica alicuius maleficij, esset contra aliquẽ indicium sufficiens ad torturam; tunc facta dicta ꝓbatione, bonæ vocis, qualitatis, & famæ, talis reus nõ posset torqueri. Quod tamen intellige, vt procedat quando contra reum, nihil aliud esset probatum, quam sola fama: secus autẽ si vltra famã, esset etiam aliquod aliud indicium super delicto; nam eo casu non obstante tali probatione, vtique posset torqueri: & ita obseruatur. *Frequẽs est.*

Deinde, probatio nobilitatis, vel dignitatis, etiã pro- *Prodest etiã*

prodesse potest. Nam licet quando tractatur de pœna pecuniaria, grauius puniẽdi sint nobiles, quam ignobiles. Quando tamen agitur, de imponenda pœna corporali, seuerius punien di sunt plebei; & magis ignominioso genere pœnę, quam nobiles, aut viri in dignitate constituti. Et ideò de consuetudine, nobiles, & magnates, non solent furca suspendi, nisi in casu proditionis, nec pati aliàs pœnas viles; sed in crimine ultimi supplicij decapitantur; etiam ex delicto, pro quo plebeius suspenderetur.

Itẽ prodest. Rursus; bonum est probare, quod aliquis sit egregius miles, & vtilis Reipub. *Pariter etiã* Aut quod sit insignis peritus, et excellens in aliquo artificio: nam etiam ex his causis, pœna remitti aut minui potest. Nota, qd' Iudices inferiores, nõ possunt nisi cõsulto Principe, ex illis causis pœnam remittere. Senatus autem, qui est loco Principis, vtique id facere potest à se ipso ante sententiam; & etiam aliquando hoc fecit: vt scilicet, pœna minueretur, non autem remitteretur in totum: post sententiam verò, omnino Princeps est adeundus. Scias tamen, quod in omnem casum, valde difficile est, hoc in practica obtinere.

Cæterum; probatio meritorum ipsius Rei, in Principem, vel Rempublicam, vtilis pariter esse potest. *Vtilis etiã.* Quia etiam aliquando, remittitur pęna ei, qui multum seruiuit Principi.

Est etiam animaduertẽdum, quod si delictũ, commissum fuerit sine dolo, nõ potest quis ex eo corporaliter puniri. *Sunt etiam.* Et si fuerit cõmissum extra propositum, & intentionem ipsius delinquentis; tali etiam casu potest Iudex pœnam minuere.

Quando multitudo reorũ, commiserit maleficiũ; tunc, propter multitudinem venit mitiganda pęna. *Allegatur.* Hinc est, quod in foro ecclesiastico: in vniuersitatem non fertur sententia excommunicationis. Et etiam in foro seculari: Vbi multorum strages contingeret; necessariò seueritati est detrahendum. Et ideò, licet regulariter auxiliatores, & fauentes delinquenti, sint eadem pœna

puniendi: attamen si fuerit multitudo auxiliantiũ, non puniuntur eadem pœna; & ita quotidie obseruatur. Nam Principes, & caporales factionum, & seditionum ciuitatis, puniũtur asperrimè; reliquis autem auxiliantibus, & fauentibus mitigatur pœna.

Vidi ego. Stante statuto, vel edicto, quod primò euaginãs, vel ponẽs manus ad arma, uel huiusmodi; puniatr certa pœna: si duo inuicem rixentur, & nescitur quis fuerit aggressor; tali casu, si pœna fuerit pecuniaria, vterque est condemnandus: si autem fuerit corporalis, vterque est absoluendus; propter incertitudinem.

Præterea. Præterea potest reus allegare, quod delictum est antiquum: scilicet, commissum iam supra decem annos; nam eo casu, non debet puniri pęna mortis, sed mitiori. Hoc apud nos quandoque obseruatur in delictis leuibus. In atrocibus autem per uiam iustitiæ, difficillimum esset in practica obtineri. Bene verum est, quod proderit ad obtinendam gratiam, seu commutationem pęnæ; etiam in illis, qui fuerint in contumaciã condẽnati.

In foro ecclesiastico, possset etiam reus allegare, quod processum fuit per inquisitionem: quo casu de Iure Canonico, non debet reis imponi pœna ordinaria: nisi delictum sit notorium; aut reus illud confiteatur. Hoc tamen, nec de Iure Ciuili; nec de consuetudine (apud nos) non seruatur: nam ita punitur reus, quando Iudex procedit ex officio; prout punitur, quando procedit ad instantiam partis. *Potest etiã.*

Aliqui etiam aduocati allegant, reum qui sponte confessus est, se delictum commisisse, mitius puniendum esse; quam eum, qui probationibus est conuictus. Sed certè Iudices de hoc non curant. *Non desunt.*

Legitur etiam, quod Iudex ratione amicitiæ, quã habet cum reo, potest ei pœnam remittere. Circa quod dicendum est; Qđ in supremo Principe, non est inconueniens, vt quandoque, vbi non agatur de præiudicio tertij, amico suo pœnam indulgeat; sed in Iudice inferiore, esset detestandum, & graui pœna vindicandum; nisi tamẽ *Legitur.*

pœna

pœna esset arbitraria: quia eo casu vtique posset Iudex, secundum conscientiæ motum, mitius agere cum amico.

Sed Pone. Quando illi, qui inter se rixati sunt, aut vulnera intulerunt fuerint sanguine coniūcti: si delictum sit atrox, debent seuerius puniri: vt videmus in Parricidio, Incestu.&c. Si autem delictum fuerit leue, tunc plerunque minuuntur pœnæ, propter consanguinitatem.

QVAESTIO LXI.

De Publicatione Processus defensiui.

Vers. 1. LICET publicatio Processus offensiui, sit de substantia Iudicij; adeò vt reus cui nō est decreta copia processus, neque datus terminus defensionis, non possit condemnari: nihilominus publicatio processus defensiui, nō est de substantia, quia acta sunt semper nota Iudici & Fisco. Si tamen adsit accusator, solet etiā publicari, adhoc vt ipse videat, an velit aliquid in contrarium deducere, aut probare.

Sed quæro. Ad intelligendum autē; an facta huiusmodi publicatione, possint adhuc recipi testes; distinguendum est. Quod aut loquimur in accusatore: hoc est, quando accusator comparet in iudicio; & tūc si delictum fuerit tale, pro quo nō possit procedi, nisi ad querelā partis; nullo modo debet Iudex, pro accusatore probationes aliquas inducere, neque ante publicatas attestationes, neque post; & hoc, siue accusator assistat in iudicio, siue se absentet. Si verò delictum fuerit tale, pro quo possit etiam procedi ex officio; & sic per inquisitionem: tūc, ex quo eo casu, Iudex concurrit cum accusatore, potest, & debet ex officio, ꝓ ipso accusatore testes recipere, & processum ipsum ꝓsequi, etiam si accusator recedat. Bene verū est, qđ post publicatas attestationes, non debet nouas probationes inducere ad instantiam partis; siue data sint nomina testium ipsi Iudici in cedula, siue aliter: neque etiam ex officio, nisi ex iusta, & magna causa, & quando certus esset, nullā adesse subornationem. Et idem etiam seruādum est, quando nullus adest accusator; sed solus Iudex ex Sed hæc quidem.

officio, siue instante Fisco procedit.

Aut verò loquimur in Reo; qui si absens fuerit à Iudicio, superfluum est quærere, an facta processus publicatione possint adhunc recipi testes. Quia practica est, quod nullo modo, recipiantur testes, ad defensam rei contumacis, neque fiat ei aliqua processus publicatio. Si autē fuerit præsens in Iudicio: tunc post publicatas attestationes, non potest nouos testes inducere super eisdem capitulis: sed super nouis, & diuersis capitulis, bene potest nouos testes & probationes inducere. Et propterea in criminalibus, non concluditur in causa. Quia æquum & rationabile est; quod vbi de uita hominis tractatur, possit reus quandocunque ante sententiam, noua capitula tradere, & nouas defensiones, & probationes facere.

Quæro etiā.

Quæro nunquid.

Nota tamen, quod post publicatas attestationes, potest Iudex ex officio, iterum examinare seu repetere testem, ad effectum vt declaret dictum suum obscurum, Et etiam ad instantiam partis, potest illud idem facere si vult; licet non teneatur, nec debeat fieri; nisi ex iusta causa, & quando aliter veritas sciri non potest.

QVAESTIO LXII.

Accusatore non probante, reum esse absoluendum.

Vers. 1.

VBI nihil vlterius supe rest ad agendum, neque ex parte accusatoris, neque ex parte accusati; tunc, debet Iudex diligenter cōsiderare processum, tam offensiuum, quam defensiuum, & recta trutina perpendere, quid ex ipso processu resultet: & quæ, & qualia contra reum extent indicia, seu probationes, quæ ab eius defensionibus elisæ non fuerint. Et si reus fuerit ex eis plenè conuictus, vel confessus, debet condemnari. Si semiplena tantum resultet contra eū probatio, est torturæ subijciendus. Si verò nec semiplenè fuerit conuictus; tunc, tanquam deficiente probatione, est absoluendus; de quibus omnibus sigillatim vidēdum restat.

Et inprimis.

Inprimis igitur, vbi contra reum non sit delictum

fal-

saltem semiplenè probatũ, debet reus absolui. Quia vera est Iuris conclusio, quod etiam in causis criminalibus; actore non probãte reus venit absoluendus.

Forma autẽ

Forma absolutionis, quæ in hoc Ducatu seruat est, quod si reus probat innocentiam suam, aliter quã per Torturam, absoluitur diffinitiuè: & tali casu, nõ potest amplius contra eũ ex ea causa procedi, etiãsi noua superueniãt indicia. Si verò non probat innocẽtiã suam, nisi per torturã: vel si nõ adsint indicia, sufficientia ad torquendum; vel ad imponendam aliquam pęnam extraordinariam; tunc absoluitur etiã; non tamen diffinitiuè, sed stantibus rebus, prout stãt: & tali casu, si deinde superueniant noua indicia, iterum contra eum proceditur, non obstante tali sententia. Et licet hoc casu, in aliquibus Prouincijs obseruetur, quod inquisitus præstat fideiussionem, de stando Iuri, & se præsentãdo, toties, quoties fuerit requisitus. Apud nos autem non seruatur, nisi Senatus, cui fiunt relationes causarum criminalium, id expressè iubeat. Et licet etiam (de Iure loquendo) ille qui purgauit per torturam, omnia indicia contra se existentia, fortè esset diffinitiuè absoluendus, tanquam si puram veritatem dixisset; nihilominus tamẽ consuetudo obtinuit, vt absoluatur tantummodo rebus stantibus; & ita apud nos practicatur.

Ad hoc autem vt scias, quo casu in istis causis criminalibus, ille qui in causa succumbit, debeat condemnari in expensis: animaduertendum est, quod duplex est calumnia, vera scilicet, & præsumpta. Vera calumnia dicitur illa, quando quis sciens, aut scire debens, aliquem esse innocentem, proponit contra eum accusationem, aut querelam. Præsumpta autem, quando accusator nõ probat delictum; vel quando post cęptum iudicium desistit ab accusatione: nã his casibus præsumitur calumniari. — *Sed nũquid.*

His sic positis, dicendũ est; quod aut agitur de præsumpta calumnia; & tunc rarò vel nunquam solet accusator, in expensis condẽnari. Et Ratio est, ne querelantes metu huiusmodi

con-

condemnationum, deterreantur ab accusando, & delicta impunita remaneant. Aut agitur de vera calumnia; & tunc, aut Iudex procedit simpliciter super accusatione, & querela partis; & debet accusator qui calumniatus est, condẽnari in expensis, & damnis. Aut procedit simpliciter ex officio, & sic solũmodo instante Fisco; & nõ debet procurator Fisci, neque Iudex condemnari in expensis: quia de ipsis officialibus lex bene præsumit. Aut procedit ex officio, sed alio instigante, vel procurante inquisitionem: & tunc talis promotor, siue instigator, si verè fuerit calumniatus, pariter in expensis venit condemnandus.

In hoc Ducatu, habem' Decretum in nouis constitutionibus; quod ille qui aliquem calumniosè detulerit, accusauerit, vel notificauerit, condemnetur in duplicatis expensis, versus partem, vltra pœnas à iure inflictas: & ita obseruatur. Etetiam quandoque falsi accusatores, & notificantes corporaliter puniuntur.

Vnum aũt. Nota, in hoc proposito; quod quamuis in foro contentioso, quis teneatur de damno, & iniuria alteri illatis, etiam ex leui, & leuissima culpa; tamen in Foro conscientiæ, non tenetur, nisi de damno illato, p dolum, vel latam culpam.

Accusator igitur, eo ipso quod non probauerit suam accusationẽ, præsumitur calumniari. Hoc tamen intelligendum est, vt non procedat in eo qui accusat, vel ex necessitate officij; vel in tutore; vel propter immensum dolorẽ: vt in matre accusante aliquem de morte filij; vel propter atrocitatem criminis: prout est hæresis, vel læsæ maiestatis. *Dixi supra.*

Licet accusator, tempore porrectæ accusationis, iurauerit de calumnia, nõ propterea excusatur, à præsumptione calumniæ, quæ contra eum oritur, ex eo quod accusationem nõ probauit. Si tamen, vis conuincere querelantem de calũnia, potes illum interrogare, an velit vti querela, & probationibus superinde factis, eo quia intendis illum querelare de falso; & si ille respondeat, quod vult vti; eo casu, potest tanquam sciens de falso puniri, *Sed quid si.*

ri, si querela tanquam falsa conuincatur.

Sed Pone. Si accusator habuerit pro se, aliqua euidentia indicia; puta famam, vel auditum à fide dignis; vel quid simile: excusatur à præsumptione calumniæ, etiam si defecerit in probatione. Idem operatur dictum vulnerati morientis: excusat enim hæredem accusantē.

Sed quaro. Calumniator, potest in eadem sententia condemnari vnico contextu. Oportet tamē, absolutoriam accusati in ordine præcedere: & successiuè non se diuertendo ad alia, accusatorem de calumnia condemnare. Et Practica est, quod Iudex, prius faciat statui accusatori terminum ad allegandum, quare non debeat de calumnia condemnari: & vbi nihil releuans deducat, tunc poterit illū in eadem sententia condēnare. Quod nota, ne erres.

Sed hic. Custos carcerum (quicquid sit de Iure) potest reū absolutum, qui erat in carceribus detentus, retinere pro expensis in eis factis, donec ipsi fuerit satisfactum: & ita de consuetudine obseruatur.

QVAESTIO LXIII.

Iuramentum suppletorium, an deferatur in causis Criminalibus.

IN causis criminalibus, regulariter non defertur iuramentum, in supplementum probationis accusatori, qui tantum semiplenè suam intentionem probauit. Quod tamen intellige in illis causis, in quibus venit imponenda pœna corporalis, etiam si leuis fuerit. In illis autem, in quibus imponi deberet pœna pecuniaria, bene potest deferri tale iuramentum. *Vers. 1.* *Scias autē.* *Scias etiam.*

Licet etiam (vice versa) quandoque de Iure, accusatore non probante; & non extantibus indicijs contra reum, quæ sufficiant ad torturam, deferatur ipsi reo iuramentum, quod appellatur purgationis; etiam si aliàs in sui defensam nihil probauerit. In hoc tamen Ducatu, non seruatur hoc iuramentum purgationis: sed eius loco succedit, iuramentum de veritate dicenda, quod defertur reo in eius examine. Vbi igitur *Solet etiā.* *Licet autē.*

tur

tur non adsunt indicia cõtra reum, quæ sufficiant ad torturam, reus absolui debet. Si verò extent contra eum indicia, quæ ex suis defensionibus non sint sublata, vel elisa: tunc, non est locus iuramento, sed deuenitur ad torturam; & ita quotidie practicatur.

Sed quæro. Si accusator dicat; se velle stare cum reo in tortura; ad ipsum conuincendũ. Aut reus è cõuersò proponeret, vt accusator torqueretur, ostendens se pariter velle sustinere in tortura contrarium; non sunt audiendi.

Tu scis. Quamuis in causis Ciuilibus, duæ semiplenè probationes iungantur, ad faciendam plenam probationem. In causis tamen criminalibus; hoc est, in illis in quibus agitur de pœna corporali imponenda, non debent coniungi ad condemnandum. In illis autẽ, in quibus agitur de imponenda pęna pecuniaria; possunt coniungi, etiam ad condemnationem: prout etiam in eis (vt dictum est) stante semiplena probatione, potest deferri iuramentum suppletorium. Bene verum est, quod si causa esset decidenda per Principem, vel eius suprema cõsilia, tunc plura indicia iũgi possent, ad condemnationem etiam corporalem, saltem extraordinariam: & ita sæpissimè fit per Senatum. Quia Senatus iudicat secundum conscientiã.

Hinc est; quod licet aliqui dicant, quod in criminalibus fama probat semiplenè: nihilominus tamen, etiamsi iuncta sit cum vno teste de visu (qui pariter probat semiplenè) nõ sufficiunt ad plenam probationem: nisi adsint aliæ coniecturæ, vel adminicula. *Hinc infertur.*

QVAESTIO LXIV.

De tortura Reorum.

QVANDO delictum contra reum, nõ fuerit plenè probatum; videndum est, an saltem cõtra eum possit deueniri ad torturam. Quod quidem fiendum est, cum maxima circunspectione: nam si Iudex indebitè, & iniustè id faceret; ac reus in Tortura moreretur; Et aliàs appareret, quod propter inimicitias, aut propter pecuniam, vel aliter corruptus id fecisset: tali casu esset puniendus pœna ordinaria *Vers. 1.* *Antequam*

Debet autẽ. ria Homicidij. Quam ob rẽ, aliqua requisita debet Iudex animaduertere, antequam reum tormentis subijciat.

Primò, ut in processu cõstet de delicto: cauti enim & iusti Iudices, nisi prius de delicto appareat, neminem ponũt ad Torturam: licet aliquando Senatus cõtrarium obseruauit; quod tamen fuit admiratione dignum.

Præterea debet. Deinde debet animaduertere, an pro eo delicto, veniat imponenda pœna corporalis. Nam vbi non ingeritur, nisi pęna pecuniaria, vel alia corporis non afflictiua, non est ad Torturam procedendum. Et ratio est, qa cũ tortura sit grauis afflictio, nõ debet maior pęna inferri reo nõ cõuicto, nec condemnato, quam inferretur ex ipsa condemnatione, casu quo esset de crimine conuict⁹, vel confessus. Vbi verò pœna corporalis imponitur, solet indistinctè ad Torturam procedi; etiam super leuibus delictis.

Debet etiã. Tertiò debet considerare, an delictum aliter, quã per torturam probari possit. Cum enim tortura sit remedium subsidiarium; non debet regulariter ad eam deueniri, nisi quando aliæ probationes haberi non possunt.

Et ideo. Hinc est; quod Iudices facilius debent procedere ad Torturam, in delictis clam commissis; verbi gratia, in Venenatione, Falso, Adulterio, & similibus; quam in his quæ palàm cõmittuntur; quia illa sunt difficilioris ꝓbationis quã ista.

Scias etiam. Nota; quod licet delictũ sit plenè probatum: solent Iudices in aliquibus Prouincijs, adhibere torturã; non vt amplius constet de delicto, sed solum vt reus fateat̃ delictum de quo cõuincitur; ne postea per appellationem, sententia suspendatur.

Veritas est. In hoc tamen Ducatu, non seruatur hæc practica: sed rei conuicti, vel confessi, vel condemnati, interrogantur, & torquentur super socijs, & complicibus, & super alijs criminibus; sed non interrogantur super principali delicto contra se ipsos, vt confiteantur. Et sic, quando tales rei torquentur, debet Iudex prius protestari, & facere apponere protestationẽ in actis: qđ scilicet, id

facit ſine præiudicio confeſsi, & conuicti criminis, vel (ſi ſint condemnati) ſine præiudicio condemnationis. Et Ratio eſt; quia ſi reus interrogaretur, ſuper ipſo crimine, de quo eſſet confeſſus, aut conuictus, ſine tali proteſtatione; & in tormentis negaret, & perſiſteret in negatiua; diceretur purgaſſe indicia, & probationes contra ſe exiſtentes; & tali caſu, aut eſſet abſoluendus, aut ſaltem non poſſet, in pęna ordinariam condemnari.

Debent etiam Iudices, torquẽdo reos ſup ſocijs, & ſuper alijs criminibus, moderatam torturam inferre: neque iuris terminos excedere.

Dixi etiam. Quartò debet animaduertere, an contra reum ſpecialiter ſubſint indicia. Nam regulariter, non eſt à Tortura incipiendum: Et ideò debet in hoc, eſſe Iudex valde circunſpect⁹; quia ſi torqueret aliquem ſine indicijs, poſſet grauiter puniri in ſyndicatu. Nec tali caſu, poterit excuſari prętextu arbitrij; nam licet arbitrium, quo ad modum, & ordinem procedẽdi in cauſis; & ſic quo ad ſolemnitates Iuris, ſit irregulare: nihilominus tamẽ, quo ad cognitionẽ, & quo ad merita cauſę regulatur, & reſtringitur ad ius commune.

Ex quib⁹ infertur; quod indicia debẽt omnino præcedere: adeò quod ſi poſt torturam, legitima ſuperuenirent indicia, non propterea tortura, non præcedentibus indicijs illata, legitimaretur. Et hæc concluſio habet locũ, nõ ſolũ in minoribus delictis, ſed etiam in maioribus, & atrociſsimis; imò etiam in crimine læſæ maieſtatis.

Hinc pariter infertur, qđ licet reus ſit ſolitus delinquere; & aliàs ſit malæ vocis, conditionis, & famę; nihilominus tamen, ſinè alijs indicijs ſpecialibus delicti, non poterit pro illo poni ad torturam: niſi eſſet vilis perſona; prout ſunt iſti vagabundi, qui ſoliti ſunt furari, & ſimiles. *Sed pone.*

Nota quo ad bannitũ, & condemnatum in contumaciam. Quod, aut bannitus captus fuerit; & tũc, quo ad ipſum non eſt tractandum de tortura: (niſi ſuper ſocijs, & cõplicib⁹, & ſuper alijs delictis) ſed tantummodo de exequenda *Sed nũquid.*

da condemnatione. Aut bannitus admissus fuerit ad nouas defensiones: & tunc poterit torqueri, ad veritatem delicti eruẽdã, propter solum bannum, & condemnationem; etiam quod nulla alia cõtra eum, legitima subsint indicia. Et licet videantur incompatibilia, bãnũ, & defect⁹ indiciorũ: cũ inquisitio, & bannum non valeant, nisi præcedentibus legitimis indicijs. Attamen, compati se possunt, & verificari in multis casibus: verbi gratia, si processum fuerit ad inquisitionem ex conscientia Principis: nam tũc valet inquisitio, alijs indicijs non præcedentibus. Aut si processum fuerit, ex dispensatione Senatus (vt sæpe fit) vel per inquisitionem: vel præceptis pœnalibus, non præcedentibus legitimis indicijs, sed solummodo suspicionibus, vel coniecturis. Præterea certum est, quod multa indicia sufficiunt, ad formandam inquisitionẽ, quę non sufficiunt ad Torturam. In quolibet igitur ipsorum casuum, si aliquis permiserit se banniri; poterit deinde si admittatur ad nouas defensiones, torqueri ex solò banno, & illis qualibuscũque indicijs, etiam quod aliàs non essent sufficientia ad Torturam. Cæterũ si iste bãnitus, admissus ad nouas defensiones; probauerit in suis defẽsionibus talia, ex quibus remaneãt sublata, vel elisa omnia indicia, contra eum existentia: adhuc tamen propter solum bannum, seu contumaciam poterit torqueri: & ita obseruatur.

Non sufficit. Quintò animaduertere debet, an illa indicia, contra reum specialiter existẽtia, sint legitimè probata; & quod per rei defensiones, non remaneant sublata, vel elisa: nam aliàs non posset torqueri.

Dixi quoq;. Sextò; quod talia indicia, & taliter probata sint sufficientia ad Torturam. Et Iudices Deum timentes, hoc sẽper debẽt prę oculis habere; ne aliquem iniustè tormẽtis subijciãt: vt neque ipsi in syndicatu teneantur. Nam etiã Rex, de auctoritate regia, non potest mandare aliquem torqueri, contra quem nõ extent indicia sufficientia.

Quæ autem dicantur suf-

ficientia indicia; non potest dari certa doctrina; sed remittitur arbitrio Iudicis, qui ex qualitate negociorum, & personarum, id poterit ex sua conscientia arbitrari.

Sed quaro. Nota tamen; quod per vnum indicium tantum, siue sit proximũ, siue remotum à facto; dummodo fuerit legitimè probatum, & sic ex genere indiciorum, sufficiẽtium ad torturam; potest quis tormentis subijci.

Vbi subsint. Septimò, & vltimò debet animaduertere Iudex, postquam habet legitima indicia, legitimè probata; & ad Torturam sufficientia: an reus fortè sit talis persona, quæ de Iure prohibeatur torqueri. *Quaro an Doctores.* Nam Doctores, de Iure non possunt torqueri; & ita obseruatur in hoc Ducatu. *Item quaro.* Nec etiam torquẽtur, personę positæ in dignitate: neque vti rei contra se ipsas, neque tanquam testes contra alios: & ita expressè mandauit Senatus, in causa cuiusdã Feudatarij.

Quaro etiã. Milites, qui hodierno die appellantur Equites, non possunt torqueri: nec etiam Capitanei, seu Ductores Militum; secus autẽ est, in militibus priuatis: nam ipsi quotidie torquentur.

Licet nobiles de Iure nõ possint torqueri; hæc tamen conclusio, non seruatur in hoc Ducatu: licet in Hispania frequentius seruetur. Et sic in hoc standũ est, consuetudini Prouinciæ, in qua processus agitatur. *Vlteriꝰ quaro.*

Quamuis etiã de Iure, Decuriones Ciuitatum, nõ possint torqueri: contrarium tamen seruatur de consuetudine. *Praterea quaro.*

Minores. 14. annis non possunt torqueri, sed tantummodo terrentur; & habena, aut ferula, seu virgis cæduntur: & ita quotidie obseruatur in hoc Ducatu. Licet aliquando Senatus, iussit in eculeo eleuari quendam minorem 14. annis; quod tamen fuit mirandum, eo quia agebatur tantummodo, de percussione facta cum lapidibus, ex qua non erat secuta mors, & aderat partis remissio. *Quaro nunquid.*

Senes decrepiti non debent torqueri; sed possunt terreri sub eculeo: & ita mandauit Senatus. Senes autem non decrepiti, bene possunt torqueri; & ita aliquando Senatus iussit *Non etiam.*

tor-

torqueri quendam ſenem ſexagenarium; vbi eſſet robuſtus. Et aliàs mandauit, torqueri alium ſenẽ ætatis annorum 64. eo tamen modo, quo per ætatẽ torqueri poterat.

Quære modo. Mulier pregnans nõ poteſt torqueri: nec etiam poſt partum editum; niſi elapſis quadraginta dieb⁹ purgationis. Quod etiam obſeruat Senatus, in mulieribus lactantibus: & ita in facti cõtingentia, iuſſit nõ eſſe torquendam quandã teſtem, quæ puerum lactabat.

Sed an clerici. Clerici; & etiam Præsbyteri poſſunt torqueri, *Scias tamẽ.* non tamen debet eſſe ita ſeuera in eis tortura, ſicut *Sed hic quæro.* in laicis. Et Nota, quod licet de Iure non poſsint torqueri à Iudice laico, vel miniſtris laicis, etiam de ordine Epiſcopi. Attamen de communi obſeruantia, mandante Epiſcopo, clerici à Iudicibus laicis torquentur: Aliàs enim, ſæpe numero delicta clericorum remanerẽt impunita: quia ſi non eſſent laici qui torquerent; nunquam clerici torquerentur.

Vbi nihil. His igitur requiſitis perſpectis; vbi nihil obſtet, quo minus poſsit reus tormentis ſubijci, tunc decernere debet Iudex, procedẽdum eſſe contra eum ad Torturam; nec tenetur requirere partem inſtantem: ſed ipſe ſolus reum torquere poteſt, non expectata requiſitione accuſatoris.

Sed quid agendum. Licet de Iure, ſi reus appellet à decreto Torturæ; debeat Iudex ſuperſedere. Et ideò ſolent cauti Iudices, non interponere ipsũ decretum palàm, (ne detur materia appellandi) ſed ducto reo ad locũ torturæ, ſtatim cum incipit ligari, ſolent interponere decretum de torquendo; & immediatè torquere. Quia poſtquam reus applicatur tormentis, non auditur eius appellatio. Attamen in hoc Ducatu, fruſtra interponuntur huiuſmodi appellationes; cum enim ex diſpoſitione decretorum, ſublata ſit omnis appellatio in criminalibus; etiam in interlocutorijs; eis non attentis, Iudices ad vlteriora procedunt.

Sed quid ſi ille. Si tamen reus priuſquã torqueatur, petat ſibi dari copiam indiciorum, cum termino defenſionis; tunc, debet Iudex ſuperſedere à

tor-

tortura, & audire eius defensiones: maximè si videat aliquid allegari, quo probato, nõ esset ad torturam deueniendum. Si verò dicta copia nõ petatur, potest Iudex procedere ad torturam, etiam non decreta copia processus, vel termino defensionum.

Quæro si plures. Si plures fuerint torquẽdi; regulariter incipiendũ est à magis suspectis. Si verò omnes sint æqualiter suspecti; tunc si est masculus, & fœmina, est incipiendum à fœmina, tanquam à timidiori: sed si sunt omnes masculi, incipiendum est à minori, debiliori, & timidiori.

Decreto. Nota, quod priusquam inferatur tortura, attendẽdum est, ne reus eo die: hoc est, per decem horas antequam torqueatur aliquid comederit.

Nunc de gradibus. Licet tota hæc materia, indiciorum, & torturæ (vt sæpe sæpius dictum est) videatur remissa arbitrio Iudicis: tamen animaduertẽdum est, quod non omnes rei, eodem gradu torquentur, sed aliqui grauius, aliqui leuius, secundum qualitatem delicti, personæ, & indiciorum, quæ ex processu resultant. Quinque .n. reperiũtur grad⁹ torturæ. Prim⁹, minæ detorquẽdo. Secundus, conductio ad locum tormentorum. Tertius, spoliatio, & ligatura. Quartus, eleuatio in eculeo. Quintus, squassatio. Bene verum est, quod minæ detorquendo, conductio ad locum tormentorum, spoliatio; & huiusmodi, non possunt propriè, & strictè dici species torturę. Et ideo, licet Iudex minãdo dicat reo, quod nisi cõfiteatur veritatem, faciet illum conduci ad locũ torturæ, & torqueri: nihilominus tamen, si reus meditantibus his confiteatur; talis confessio dicitur spõtè facta, non autem metu tormentorum.

Hinc etiam à fortiori, confessio facta à reo, ex eo, quod esset in carceribus detentus, non dicetur extorta metu tormentorũ: sed dicetur spontanea confessio. *Sed an Forte.*

In hoc autem Ducatu apud Senatum, non sunt nisi tres gradus in tortura. Primus est terrere: & hic comprehendit, non solum minas detorquendo; sed etiam conductionem ad locum tormentorum, spoliationem, & ligaturam: nisi *Et audiui.*

ta-

tamen ligatura esset multũ atrox, & stricta, & cum taxillis, vt faciunt plerique Iudices; talis enim posset æquipararari torturę. Secundus gradus est, ponere in tormentis, vel interrogare in tormentis: & hoc, est eleuare, & in suspenso tenere, per aliquod notabile spatium. Tertius est torquere: & hoc, est squassare; & verificatur apud nos in vno ictu funis. Si tamen Senatus iubeat bene torqueri, vel acriter; tunc solent dari duo ictus funis. Quod nota.

Debet igitur. Ex supradictis torturæ gradibus infertur; quod Iudex debet torturam metiri, ad mensuram indiciorum. Et ideò, si non adsint indicia perfecta, & sufficientia ad torturam: verbi gratia, si adsit tantùm vnus testis de uisu, qui tamen non sit integer: vel si adsint duo testes singulares, deponentes de indicijs remotis, vel huiusmodi; tunc poterit Iudex procedere, ad primum, vel secundum gradum torturæ; vel etiam ad alios subsequentes; non autem ad plenam torturam. Quia ad illam deuenire non debet, nisi pręcedat saltem, vnum indicium sufficiens ad torturam, & quod sit legitimè probatum. Plena tortura dicitur, quando reus squassatur. Et licet aliqui dicant; quod ex communi Practica, & consuetudine totius Italiæ; pro quolibet indicio, dantur tres ictus torturæ, seu (vt vulgo dicitur) *squassi chordæ*. Et quod modus torturæ temperatus est, quando quis torquetur, in tribus dieb⁹ separatim. Attamen in hac Prouincia, non seruatur talis consuetudo: nam pro vno indicio, etiam proximo actui, non dantur tres ictus funis, sed duo tãtum ad summum. Et si plura sint indicia, non dantur pro quolibet tres ictus: sed omnibus computatis, dantur duo, vel tres, & non vltra. Et si ipsa indicia plura; fuerint vrgentia, tunc torquetur reus interpellatis diebus, seu vicibus. Et iste modus torturæ, quem illi vocant temperatum, apud nos habetur pro acri, & grauissimo: Et ideò nunquam Iudices, ex quibuslibet indicijs, excedũt tres ictus torturæ; neque torquent aliquem interpellatis diebus; nisi iussu Senatus. In hac enim Prouin-

cia

cia summa iustitia, cũ summa temperantia, & humanitate administrari solet.

Quaero an tortura. In delictis capitalibus, quolibet die feriato, etiã Paschali potest reo inferri tortura: Sed in delictis minoribus, non debent Iudices Deum timentes, in diebus qui sunt feriati, in honorem Dei, reos ponere ad torturam.

Quaero nunc. Nota, quod in actu Torturæ, non debent esse præsentes aduocati; neque accusatoris, neque rei. Neque etiam (secundum obseruantiam huius Ducatus) in illa reorum examinatione, an sint torquendi nec ne, audiunt aduocati: sed imò decretum torturæ secreto fit; & quam primũ fieri potest, mittitur executioni; ne possint aduocati, seù alij reos instruere ad veritatem negandam, vt quotidie fieri videmus.

Item debet. Caueãt Iudices, ne reũ torqueri faciant modis exquisitis, & non consuetis; talia enim facientes, poti⁹ carnificibus, quam iudicibus sunt comparandi. Modus fune torquendi, manibus post terga ligatis; & est de Iure licitus, & est modus, qui apud nos ordinariè obseruatur. Et quandoque etiam, quando rei non possunt propter debilitatem, vel aliam causam fune torqueri; solent torqueri igne apposito ad pliãtas pedum: neque extra hos duos modos, solet aliquis torqueri in hac Prouincia.

In materia igitur Torturæ, Iudex omnino debet seruare, consuetudinẽ Prouinciæ in qua ius dicit; & ita non errabit. Caueat etiam diligenter, ne in torquendo excedat modum consuetum, & qui adhiberi debet iuxta qualitatem personæ, aliàs tenebitur in syndicatu. Et si fortè reus in Tortura moreretur; si quidem Iudex excessit dolo, tenetur de Homicidio: si verò excessit culpa, punitur secundũ modũ culpę. Quando autẽ Iudex, non facit nisi id quod debuit, talis mors non habetur in consideratione. Et ita expedit, quod Notarius ponat in actis processus; qualitatem, & quantitatem torturæ, omnia particulariter describẽdo; ad hoc, vt semper apparere possit, an interuenerit aliquis excessus ex parte Iudicis. *Iudex aute.*

Illata reo. Si reus in tormentis nega-

gauerit se delictum commisisse, & nihil fateatur; tunc dicitur purgasse indicia contra se existentia; & sic de Iure est absoluendus. Apud nos (quicquid sit de Iure) nõ absoluitur diffinitiuè, sed rebus stantibus, prout stant.

Et etiam quandoque Senatus, si delicta sunt valdè vrgentia, post grauem torturam, & perseuerantiã in negatione, solet reum condemnare; non quidem in pœnam ordinariam; sed extraordinariam; puta triremium ad tempus, & aliquando etiam in perpetuum; præsertim quando reus est valdè famosus.

Cæterum si reus. Si verò reus in tormentis, cõfessus fuerit delictũ; scire debes, quod adhuc non est standum, tali confessioni factæ in Tortura; nisi reus in illa perseueret, & eam ratificet extra tormenta ad bancum Iuris.

Et nota, quod non sufficit, vt tortus tacitè perseueret in confessione, illã non reuocando; sed opus est, quod illam expresse ratificet apud acta. Propterea cautus Iudex, postquã habuit cõfessionem inquisiti in tormentis, non debet permittere quod ipse conducatur ad illos carceres, in quibus sunt etiam alij carcerati; in illis enim est Academia instructorũ; & vnus docet alium, quid dicere debeat; vt euadat, & sic quod reuocet suam confessionem; sed debet eum poni facere in carcere separato.

Nota deinde; quod supradicta ratificatio, nõ debet statim fieri: præsumeretur enim adhuc durare metus tormentorum; sed debet differri ad sequentem diem, quod saltem sit vna nox intermedia. In hoc tamen statur arbitrio Iudicis, qui iudicabit ex qualitate torturæ illatæ, quanto temporis spatio, præsumatur cessare dolor, & metus tormentorum: potest enim fuisse adeò leuis tortura, vt etiam eodem die non esset inconueniens, qđ fieret ratificatio, interiecto aliquot horarum spatio. In omnem tamen casum, tutius est expectare in diem sequentem: & ita apud nos optimè obseruatur. *Et circa.*

Nota rursus; Quod talis ratificatio, non debet fieri in carceribus; sed ad bancum Iuris, & sic in Iudicio: & in loco, vbi reus tor- *Debet quoque.*

menta, seu instrumenta ad torquendum videre non possit: aliter enim dici posset, quod adhuc duraret metus tormentorum. Et licet aliqui teneant, quod tutius esset, vt in tali ratificatione, seu perseuerantia adhiberentur testes; in practica tamen hoc nō seruatur, sed sine testibus statur actis factis per Notarium coram Iudice. Qui quidem, solet facere scribi in actis, quod reus spōtè ita confitetur; non obstāte quod tortura præcesserit. Licet enim hæc assertio, vt plurimū sit falsa; nihilominus tamen per generalem cōsuetudinem, quādo tortura fuit iusta, licitū est scribere spontè: talis namque consuetudo excusat Iudicem, & Notariū à falso.

Vbi vero reus. Si reus ductus ad bancū Iuris, causa ratificandi suā confessionem, illam nō ratificet, sed reuocet, negās se delictum commisisse; tūc quia talis confessio, facit contra eum nouum indicium; debet iterum in tormentis poni, adhoc vt in ipsa confessione perseueret. Sed nota, quod si iterum positus in tormentis, confiteatur: & deinde in ratificatione iterum neget; non est procedendum in infinitum ad ipsum torquendū; sed sufficit quod tormenta repetantur, vsque ad tertiam torturam: & vbi tertiò ductus ad ratificandū, semper negaret; est absoluendus rebus stantibus.

Sin autem reus. Si verò ductus ad bancū Iuris; & sic seruatis seruandis, ratificauerit confessionem prius in tormentis factam; tunc, debet Iudex ei statuere aliquem breuem terminum; puta, duorum vel trium dierum, ad producendum, & allegādum, omnes suas defensiones; aliàs enim non posset condemnari, quia diceretur mori indefensus. Quia etiam contra propriam confessionem; maximè in tormentis factam, multa deduci, & probari posfunt: imò potest item talis confessio, etiam post ratificationem ex interuallo reuocari, & si probetur error ipsius, reus venit absoluendus. Vbi verò nihil probetur contra confessionē, tunc poterit reus, ex tali confessione condemnari.

Sanctissimi. Licet de Iure, reus qui confessus est crimē, de quo cōtra eum adsunt indicia, non possit interrogari de

alijs

alijs delictis, de quibus cō tra eum non ſunt indicia, ſaltem quando proceditur per viam accuſationis. Apud nos autem, reūs con feſſ⁹ de crimine Aſſaſſinij, ſeu Furti, aut Sfroſationis annonæ, vel ſalis; interrogatur ſuper alijs criminibus, etiam ſi contra eum non adſint aliqua indicia. Et etiam quando reus eſt bannitus, & condemnatus; tunc ſi eſt exequenda con demnatio, ſolet quandoq; torqueri, tam ſuper alijs delictis in genere, quam ſu per ſocijs, complicibus, & receptatoribus.

Vltimo. Circa Torturæ repetitionem animaduertēdum eſt; qđ ſi reus fuit leuiter tortus, poteſt repeti in tormē tis, ita vt ſufficienter torqueatur: & tali caſu ſolēt Iudices, quādo iubent reū deponi à prima tortura, ſcribi facere quod illum deponi iubent, animo repetendi, &c. Si verò reus fuit ſufficienter tortus, & nihil confeſſus, tunc nō poſſunt repeti tormenta, niſi ſuperueniāt noua indicia: verbi gratia, ſi tortus dicebat neminem illa nocte iacuiſſe, vbi maleficium fuerat commiſſum; & poſtea fuerit inuētum per teſtes, quod alius adfuit; vel his ſimilia. Ex primis autem indicijs, non debet quis in tormentis repeti. Quapropter fuit reprobata de facto, quędam fatuitas alicuius Iudicis, qui prius torqueri fecerat reum ſuper indicio famæ, & deinde ſu peruenerunt alij teſtes probantes famam, & ipſe illū de nouo torqueri fecit; & malè. Non enim ſuperuenerat indicium nouū, ſed ſolum noua probatio illius primi indicij, quod iam fuerat per torturam purgatum. Quæ tamen intellige, vt procedant, niſi prima indicia fuerint multum vrgentia, & manifeſta; nam tali caſu (quicquid ſit de Iure) de conſuetudine obſeruatur, vt tortura repeti poſsit arbitrio Iudicis: & ſic boni aſſeſſores, ſecundū qualitatem indiciorū præcedentium, incipiunt à leui tortura, & ſi ex ea habent veritatem, benè quidem; aliàs eam repetunt. Caueant tamen, ne huius arbitrij prætextu, immoderatè ſæuiant: & ſic in dubio, melius eſt ad torturam non procedere.

QVAESTIO LXV.

De Reo confesso.

Vers. 1. QVANDO reus delictum fuerit cōfessus; tūc dici solet, quod nullæ sunt partes Iudicis, nisi in condemnando. Quia talis confesio, cōtra ipsū plenè probat, poteſtque ex illa condemnari. Quod tamē intellige, dato prius ei termino, ad suas faciendum defensiones. Nam etiam contra propriam confessionem (vt supra dictum est) possunt multa allegari, & probari. Et licet secundum aliquos, non sit dandus terminus defensionis reo confesso, nisi illum petat: Attamen practica generalis contrarium obseruat; quod scilicet, etiā reo cōfesso, & dilationem non petenti, detur terminus defensionis; & ita seruando non errabis.

Sed quæro. Nota, quod si confessio fuerit spontanea, tunc vna iudicialis sufficit ad cō demnandum: nulla subsequente ratificatione, aut perseuerantia. Si verò fuerit facta in tormentis, aut metu tormentorum extorta; tunc non poterit reus condemnari; nisi in ea perseueret, illamque ratificet.

QVAESTIO LXVI.

De Reo conuicto.

QVAE de reo confesso dicta sunt, de conuicto similiter videntur dicenda. Quando enim reus, de aliquo crimine est legitimè conuictus; dummodo aliàs constet de ipso delicto, de quo conuincitur, non est vlterius quęrendum; sed debet Iudex illum condemnare: & ita practicatur. Vers. 1.

Quātum autem ad hoc, quod dicitur constare de delicto, animaduertēdum est: vt quando delictum est talis qualitatis, quod secundum id quod communiter contingit, reputatur difficilis probationis, tunc sufficiunt minores probationes: Et ponitur exemplum in furto; nam si dominus conqueratur de furto, & appareat famulum aufugisse, satis dicetur constare de furto. Aut etiam si ostendatur aliquod signū, seu vestigium alicuius circumstantiæ, ex qua verisimiliter posit præsumi furtum

tum

tum commissum fuisse; verbi gratia, fractura, aliqua in ostio, vel pariete, vel Arca.

Scias autẽ. Nota, quod hæc discussio, quæ fieri debet à Iudice, super condemnatione rei, debet fieri non secundum ipsius credulitatem, aut opinionem, sed iuxta probationes factas in processu. Quia Iudex tenetur iudicare secundum allegata, & probata: etiã si sciat veritatem esse in contrarium. Et ideò, licet proprijs oculis viderit delictũ committi, non potest reũ condemnare, nisi aliter id probatum fuerit. Et etiam vice versa; si Iudex credit, se cum bona conscientia posse condemnare reum, ex probationibus sibi factis, vti Iudici; licet ipse tanquam priuatus, sciat eũ nõ esse culpabilem, potest nihilominus eum condemnare, nec peccat. Bene verum est, quod posset Iudex hoc casu instare apud Principem, vel superiorem, vt ipse exoneretur ab huiusmodi iudicio, & causa alteri delegetur, vel ipsemet causam alteri delegare. Non tamen propter hoc, debet se abstinere à munere iudicandi.

Debent aũt. Cum in causis criminalibus, probationes debeãt esse luce meridiana clariores; ideò testes in eis, debent esse maiores omni exceptione.

Sed quid si. Nihilominus tamen animaduertendum est: quod quando delictum, non fuerit probatum in totum cũ omnib' suis qualitatibus: *Scias tamẽ.* sed tantummodo pro parte probatum, & pro parte nõ: verbi gratia, si aliquis esset imputatus de percussione cum sanguine; & probata fuerit percussio, sed non qualitas sanguinis; & his similia: tali casu, licet de iure reus videatur absoluendus, quãdo propter illam qualitatem, variatur effectus condemnationis. Non enim potest condemnari, neque etiam super eo, quod est probatum. De consuetudine tamen obseruatur, quod reus cõdemnetur super eo, de quo est conuictus. Et ratio est, quia hodie pars in querela, non se adstringit ad aliquam certam condemnationem, sed concludit generaliter. Quare petit pro prædictis, & quolibet eorũ. &c. Pariter etiam Iudices in libello inquisitionis concludunt. Super quibus om-

omnibus, & singulis &c. Propterea super omnibus deductis in querela, seu inquisitione: hoc est, de eo de quo reus est conuictus, potest sequi cōdemnatio. Et ab hac consuetudine nō recedas in Practica.

Debes etiã. Duo testes regulariter, probant plenè delictũ contra accusatum, seu inquisitum. Nota tamen, quod de Iure si talis accusatus, seu inquisitus fuerit Episcopus Cardinalis, non potest condemnari, nisi per 72. testes. Si presbyter Cardinalis, nisi per 44. Si Diaconus Cardinalis, nisi per 28. De consuetudine verò, iste numerus testium non seruatur, quando Papa procedit contra Cardinales.

Sed quæro. Summus Pontifex, etiam de Iure conuincitur duobus testibus: hoc autem, fortè non ita obseruaretur in Practica.

QVAESTIO LXVII.

De pœnis, & earum Generibus.

Vers. 1. OPTIMA methodo venit nunc tractandum de pęnis; quarum duo sunt genera: aliquæ enim sunt corporales; aliquæ non corporales. Corporalium autem, duæ pariter sunt species: nam quædam sunt capitales, quædam nō capitales. Capitalis pœna tribus modis dicitur. Primò, vltimum supplicium. Secundò, amissio libertatis, & consequenter etiam Ciuitatis: puta, si aliquis damnetur in metallum, vel opus metalli. Tertiò, amissio Ciuitatis tantum, vt cũ quis deportatur. Propriè autem, & strictè loquendo, pœna capitalis accipitur pro pœna sanguinis. In dubio tamen, debet intelligi de exilio, & non de morte. Quia in pœnis, semper debemus sequi mitiorem interpretationem. Et ideò stante statuto, quod quis capite puniatur, debemus intelligere de exilio. Quãobrem, ad euitandas huiusmodi ambiguitates, quando fertur sentẽtia mortis, per amputationem capitis, solent addi illa verba; ita quod moriatur: vel ita quod anima separetur à corpore.

Distinguendo autem, secundum communem vsum loquendi pręsentis temporis; dici potest, quod pœnarum *Distinguendo.*

rum corporalium duæ ſunt ſpecies : aliquæ ſcilicet, mortis naturalis;aliquę verò citra mortem. Genera pœnarum, per quæ mors naturalis imponitur, multa ſunt. Attamen magis cognita, ſunt pœna ignis; laquei, ſeu furcarum; & gladij, ſiue amputationis capitis. Multa alia in deſuetudinem abierunt: verbi gratia, damnatio ad beſtias. Præcipitatio quæ aliàs fiebat de ſaxo Tarpeio. Interdictio aquæ, & ignis; in cuius locum ſucceſſerat deportatio;quę neque etiam hodie eſt in vſu. Item etiam damnatio ad metallum, ſiue ad opus metalli; cuius pœnæ loco, hodie de conſuetudine, ſolēt rei damnari ad triremes perpetuo, vel ad tempus.

Non eſt etiã *Item præcipitatio.* *Item interdictio.* *Item damnatio.*

Deportatio igitur multis in locis, etiam abijt in deſuetudinem:pręcipuè in hoc Ducatu. Et ratio eſt, quia de Iure communi, nō poteſt aliquis magiſtratus deportare in inſulam delinquentes,niſi ei expreſsè inſula ipſa aſſignata ſit. Et cum Senatus non habeat inſulam;ideò apud nos deportatio non eſt in vſu: & ſic hodie eius loco, poteſt Iudex imponere pœnam, iuxta qualitatem facti, & perſonæ: verbi gratia, triremium in perpetuum, vel ad tempus, vel exilij, vel huiuſmodi ſecundum grauitatem delictorum: non autem pœnam mortis, niſi pro tali delicto, eſſet impoſita talis pœna ab ſtatuto, vel conſuetudine.

Deportatio etiam.

Pœna ſimiliter relegationis, iure veteri frequentiſſimè imponebatur; cuius loco hodie in foro ciuili imponitur exilium, ſiue cōfinatio. Et licet de Iure Canonico,hęc pœna non ſubſiſtat, Attamen de conſuetudine obſeruatur in practica. *Relegationis.*

QVAESTIO LXVIII.

De Pœna mortis, & quibus caſibus imponatur.

INTER pœnas corporis affligtiuas, ſuprema eſt vltimi ſupplicij; quæ quidem,multis in caſibus imponitur de iure, quorum tantum aliquos attingemus. Et inprimis mulier, quæ doloſè abortum fœtus viuentis procurauerit, punitur pœna capitis. *Verſ.1.* *Abortum.*

Qui doloſè percuſſit mulierem *Sed quæro.*

lierem prægnātem, ex qua percussione illa abortum fecit, si partus adhuc non erat animatus, punitur pœna extraordinaria; si verò erat animatus punitur pœna Homicidij.

Ascendens. Ascendēs cum scalis de nocte, ad domum alienā, licet de iure videatur puniend⁹, pœna vltimi supplicij. Hoc tamen apud nos non seruatur; sed hæc qualitas ascendendi cum scalis, aggrauat tantummodo principale delictum; ita ut grauius puniatur, siue sit ex causa Amoris, siue ex causa furādi, siue aliud maleficium committendi.

Castrans. Castrans se ipsum, vel castrari faciens, punitur pœna capitis. Et Ratio est; quia membra generationis sunt membra nobilia, & p quæ saluatur species humana; & ideò mutilans illa, debet puniri tanquam inimicus naturæ.

Custos. Custos carcerum, si propter eius negligentiam carceratus aufugiat, punitur pœna capitis. Quod tamen intellige, quando ille qui aufugit, detinebatur pro crimine capitali. Nam eo casu, si fuit in nimia negligentia, vtique punitur vltimo supplicio: sed si detinebatur pro crimine non capitali; tunc punitur Iudicis arbitrio, iuxta modum culpæ. Et hoc quidem locum habet, in custode qui est negligens in ipso actu custodiæ; si enim tantummodo fuerit in culpa, in deputando substitutum, qui fuit negligēs ī custodia, nō debet ipse custos principalis, puniri pœna mortis: sed tantum priuatione officij.

Diuidentes prædam cū aggressoribus viarum, puniuntur pœna mortis. *Diuidentes.*

Eximens de manibus iustitiæ condemnatū ad mortem, vel confessum, siue cōuictū de aliquo crimine, punitur pęna capitis: & ita practicauit Senatus. *Eximens.*

Extrahens pro debito, matrem familias ex propria domo, eamque ad carcerem ducens, punitur pœna capitis. *Extrahens.*

Hostibus ferrū vendēs, vel frumentum, vel sal, vel aliàs merces, punitur pęna capitis. *Hostibus.*

Imaginem Christi, aut Sanctorum, percutiens, frangens, aut vulnerans, punitur pœna mortis. *Imaginem*

Incendiarij, qui ob inimicitias, aut prædam, intra oppidum incendium *Incendiarij.*

com-

committunt, puniuntur pœna mortis.

Item illi. Qui comburunt ędes, vel aceruum frumenti, positũ iuxta ędes, furca suspendũtur: & ita fieri, aliquando mandauit Senatus. Si autẽ aliquis, nõ ædes sed tugurium combureret, non esset pœna mortis afficiẽdus & ita Senatus obseruauit in quodam, conuicto de incendio cuiusdam Tugurij, quem ad Triremes tantum per biennium condemnauit. Alium autem, pro incendio posito in fœnili, vltimo supplicio affecit. Quę quidem omnia intellige, quando data opera commissum est incendium; non autem quando culpa, vel casu.

Iniuriam. Iniuriam faciens officiali, tempore eius syndicatus, debet puniri pœna capitis; nisi ipse officialis prius iniuriam illi fecisset. Quod Nota.

Lenones. Lenones, & lenæ, puniuntur pœna mortis. Attamen de consuetudine, hæc pœna non obseruatur, sed tantummodo flagellãtur, cum mitra. Aut aliàs puniuntur arbitrio Iudicis.

Libelli famosi. Libelli famosi Auctor, qui fabricatus sit de alio, ad eius infamiam contra veritatem; aut qui illum legit, & statim non lacerauit, punitur pœna capitis. In hoc tamen Ducatu, parum obseruatur hæc pęna, semper enim Auctores talium libellorum, puniuntur pœna extraordinaria; puta, fustigationis, ictuum funis, & Triremium ad summum.

Muros. Muros Vrbis Romæ rũpens, seu transcendens, punitur pœna capitis. In muris autem aliarum ciuitatum, est pęna extraordinaria Arbitrio Iudicis; ac ita obseruatur in hoc Ducatu. Et sic aliquando iussu Senatus, quidam qui fossã ciuitatis trãsiuerat, fuit fustigatus. Et alius, qui trãsgressus fuerat fossas cuiusdam oppidi, fuit in contumaciam condemnatus, in tribus ictibus funis, aut viginti aureorum. Et ita omnino seruãdum est; maximè tẽpore pacis, & quando reus transcendisset muros, non animo eos violandi, sed aliqua alia de causa: verbi gratia, vt effugeret de manib⁹ satellitum, vel huiusmodi. Pœna enim rigurosa in hac materia, solũmodo habet locum tempore belli.

Officialis. Officialis qui publicos prouentus ſubtrahit punitur pęna capitis. Nota tamen; quod licet officialis multa acquiſiuerit in officio; ſemper præſumitur ea licitè acquiſiuiſſe, & non de bonis Fiſci, niſi id liquidò probetur.

Plagiarius. Plagiarius, qui pueros, vel ſeruos furatur, ſi ſolitus fuerit talia committere, puniendus eſt pœna mortis. Si autem non fuerit ſolitus, diſtinguendum eſt. Nam vel habuit animũ celandi; & adhuc punitur vltimo ſupplicio, Aut verò non habuit animum celandi, & eſt mitius puniendus.

Priuatum. Priuatũ carcerem exercens, punitur pęna capitis. Et ſcias, quod ille qui capit aliquem, & detinet ex iniuſta cauſa, punitur pęna priuati carceris, etiamſi illum detineat, minori ſpatio viginti horarum. Ille verò, qui alium capit ex iuſta cauſa, poteſt illum detinere ſpatio viginti horarum, & ipſum poſtea Iudici præſentare: aut ſaltem notitiam ei dare de tali captura. Prædicta verò non habent locum, in Cardinalibus S.R.E. nã hodie, quilibet Cardinalis habet priuatum carcerẽ, ad puniendum domeſticos, & familiares ſuos. Nota tamen, quod in practica reus priuati carceris, fortè non affi ceretur vltimo ſupplicio, ſed mitius puniretur: verbi gratia, pœna pecuniaria, aut alia Arbitrio Iudicis.

Proditor punitur pœna capitis, tanquam reus læſæ maieſtatis. *Proditor.*

Auctor ſeditionis punitur pęna mortis. Quod intellige, qñ tractatus præceſſit ipſum tumultum, ſeu ſeditionem: aliàs autem, ſi accidentaliter euenerit aliquis aliꝰ tumultus, vel ſeditio in populo, citra animũ turbandi quietem populi: nam eo caſu, mitius eſſet puniendus. *Seditionis.*

Se ipſum occidere volẽs, punitur pęna capitis; & licet fuerit impeditus ne id faceret, punitur perinde, ac ſi delictum conſumaſſet. Nihilominus ſtante Generali conſuetudine, quod conatus non puniatur, niſi ſequatur effectus, contrariũ fortè eſſet dicendum in practica. Nota verò, quod occidẽs ſe ipſum, moritur inteſtabilis; quia ſcilicet rumpitur, & annullatur omne teſtamentum, prius *Se ipſum.*

ab

ab eo conditum: non autē regulariter cōfiſcantur ei⁹ bona. Hæc tamen omnia procedunt in his, qui conſciētia proprij ſceleris manus ſibi inferunt. Cæterum, ſi aliqui tædio vitæ, doloris impatientia, furore, morbo, aut pudore moti, manus in ſe inferūt; nec puniuntur pęna corporali, nec confiſcatione bonorū, neque eorum teſtamenta irritantur. Et ideò, ſi quis ſe in puteum præcipitauerit, & mortuus fuerit, non debent eius bona confiſcari, niſi appareat, quod id fecit conſcientia criminis.

Transfuga. Trāsfuga, punitur pęna mortis: hoc eſt, quando illud dolosè fecit. Et nota, quod in hoc delicto, punitur affectus, licet non ſit cō ſummatus effectus.

Vaſtatores. Vaſtatores, & inciſores vinearum, & arborum, puniuntur pœna mortis, vt latrones. Hęc tamen pœna, apud nos nō ſeruatur, ſed Senatus illos condemnat pœna extraordinaria, non ſolum quando ſunt in carceribus detenti, ſed etiam quando ſunt contumaces: & ita aliquando, iuſsit condemnari quoſdam, in contumaciam pro inciſione vitium, in tribus ictibus funis, & in damnis verſus partem. Et aliàs, quidam qui vites inciderat, fuit iuſſus fuſtigari. Et aliàs quidam alius, in cōtumaciam fuit condemnatus ad triremes per quinquennium.

Violator ſepulcrorum, ex illis extrahens armata manu cadauera, vel oſſa mortuorum, punitur pœna capitis. Apud nos autem, hæc pęna non ſeruatur: quidam enim huius criminis reus, fuit condemnatus in vno ictu funis, & aureis decem. *Violator.*

Nota, quod vltra prædicta, puniuntur etiam de Iure pœna capitis, Adulteri. Blaſphemantes. Carceratus fugiens fractis carceribus. Cuſtos carcerum carnaliter cognoſcens mulierem carceratam. Extrahēs aliquem per vim de Eccleſia. Falſum teſtimonium dicens, per quod aliquis condemnetur ad mortem. Famoſi latrones, & graſſatores viarum. Fur qui rem furauerit, valoris vltra quinque ſolidos. Hæretici. Homicidæ. Iudex, qui dedit operam, vt accuſatus, vel inquiſitus, aliquid falsò cōfiteretur, per quod innocens poſtea damnaretur ad mortem. Iudex, *Adulteri.*

Mm 2 qui

qui per pecuniam, vel iracundiam, aliquem innocentem ad mortem condẽnauit. Iudex ponens indebitè aliquem ad torturam. Læſæ Maieſtatis crimen committens. Medicus malum medicamentũ ſciẽter adhibens, vt infirmus moriatur. Monialem carnaliter cognoſcens, vel eã attentans, vt rapiat, & carnaliter cognoſcat; vel cum ea de facto matrimonium contrahens. Mulier quæ proprio ſeruo ſe ſupponit: Aut quæ animali bruto ſe ſubiecit. Raptores mulierum. Sacrilegi. Seruus, qui cum domina carnaliter ſe commiſcuerit. Sodomitæ. Sortilegi, & malefici. Tutor, qui corrumpit puellam cuius eſt tutor. Et venenum malum ſcienter faciens. Hæc autem pœna capitis, in caſibus proximè dictis, regulatur ĩ hoc Ducatu, & alijs multis in locis; ac ampliatur, & reſtringitur, iuxta ea quæ ſupra dicta ſunt, in ſuis ſpecialibus. §. in quibus ipſa videre poteris, & facillimè ea inuenies ex ſerie Indicis materiarum.

QVAESTIO LXIX.

De pœna amputationis membri.

POENA amputationis membri, non erat cognita de Iure Digeſtorũ, aut Codicis. Leges enim antiquæ, non volebant homines eſſe inutiles ad laborandum, & apti ſolummodo ad comedendum: & ſic fuit inuenta de Iure Authenticorum. *Verſ. 1.*

Et nota, quod hæc pœna propriè loquendo, non poteſt dici pœna capitalis. *Quæro igitur.*

Membra propriè dicuntur illa; quibus diuerſo, ac proprio officio, corpus mouetur. Hinc eſt, quod digitus nõ eſt membrum. Et ideò, ſtatutum puniens abſcindentem membrum, nõ habet locum in abſcindẽte alicui digitum. *Item quæro*

Si aliquis fuerit condẽnatus, in amputatione manus, non exprimendo in qua manu facienda ſit executio, intelligendum erit de manu debiliori, & in qua reus minus poteſt. Et ratio eſt, quia ſemper in pœnis, benignior interpretatio eſt facienda. Hinc infer- *Pone.*

fertur, quod si condemnatus habeat vnam manum bonam, & alteram aridam, debebit ei amputari man⁹ arida. Nota tamen, quod si illa esset prorsus inutilis, aliud fortè dicendum esset, ne condemnatio redderetur elusoria. Si autem condemnandus, ex forma statuti, vel Iuris communis, in amputatione man⁹, non habeat nisi vnam manum, non est illa amputanda, ne deformetur corpus humanum; & sic tali casu, tutius est consulere Principem; vt ipse misericordia motus, pœnam iubeat commutari.

Sed quid si.

QVAESTIO LXX.

De varijs pœnis corporalibus.

verſ.1.

POENA stigmatis, qua veteres vtebantur, postea fuit sublata. Et licet hodie, in aliquibus adhuc locis fuerit in vsu; & etiam extent statuta, quod pro furto, vel alio crimine qs bulletur. Senatus tamen, non permittit exequi talē pœnam; sed illam commutat in pœnā fustigationis, vel similem.

Pœna fustigationis, seu verberationis, nō tantum de Iure Ciuili, sed etiā de Iure Canonico; etiā in personis clericorum est recepta. Debet autem moderatè exequi, & non crudeliter: Episcopus enim, qui facit aliquem crudeliter fustigari, per duos menses à missarum celebratione suspenditur. Nota, quod pęna fustigationis, non dicitur pœna capitalis.

Est etiam pœna.

Pœna torturæ, seu ictuū funis, imponitur ēt quandoque; non quidem ad eruendam veritatem, sed ad pœnam diffinitiuam delictorum.

Plerunque.

Pœna perpetui carceris, parum est in vsu apud laicos, vbicunque enim alia pœna imponi potest, nunquam imponitur pœna perpetui carceris. Apud clericos autem est vsitatissima; Adeò, vt quamuis non liceat clericis interficere quemquam, tamen potest Iudex Ecclesiasticus, clericos reos in carcerem includere, cum tanta necessitate cibi, & potus, vt famæ necentur. Laicum autem, non potest Iudex Ecclesiasticus, cōdemnare ad perpetuum carcerem; etiā quando ratione delicti, esse-

Pœna auth.

fe-

fectus esset de foro Ecclesiastico; præterquã in causa Hæresis.

Freques est. Pœna triremium, est hodie ferè omnium frequentissima; non modo in laicis, sed etiam in clericis. Discreti tamen Episcopi, non sine maxima causa, talem pœnam sacerdotibus imponere debent; quando scilicet, nulla videtur alia spes correctionis subesse.

Sunt etiam. Aliæ sunt etiam apud clericos, pęnę corporis afflictiuę: verbi gratia, detrusio in Monasterium: hęc tamen hodie recessit ab vsu. *Solent etiã.* Solent item Prælati, clericos facinorosos poni facere in Gabijs: & licet hæc pœna, non videatur licitè de Iure imponi posse, præsertim sacerdotibus; Attamen de consuetudine quandoque irrogatur.

Mitra. Mitræ quoque impositio, inter pœnas corporales cõnumerari potest: quæ quidem, quandoque imponitur de per se ad infamiã, vt quis ita mitratus producatur in publicum: aliquando imponitur fustigandis, aut igne cremandis, in maiorem ignominiam. Et nota, quod quandoque si ille, cui esset imponenda propter infamiam pęna mitrę, non sit in fortijs Iustitiæ, solet ad eius domũ, mitra per satellites transmitti.

Degradatio clericorũ, *Credo etiam* potest etiam dici pęna corporalis, quando fit actualiter; cum taliter degradatus, sit statim tradendus curiæ seculari, corporaliter (etiam ad mortem) puniendus.

QVAESTIO LXXI.

De pœna exilij.

INTER vsitatissimas pęnas; (Apud nos) vna est exilij, non solum contra reos contumaces, sed etiã contra præsentes, in pœnã diffinitiuam delictorum. *Vers. 1.*

Inprimis igitur animaduertendum est; quòd exilium, quandoque imponitur perpetuum, quãdoque temporale; & quandoque arbitrarium: & ita quotidie obseruat Senatus.

Officiales. Licet officiales rectorũ prouinciarum, qui rusticanos, vel eorum seruos, vel iumenta ad aliqua cogunt obsequia, nec non & rusticani, se spontè dictis obsequijs subijcientes, puniantur de Iure pœna perpetui exilij: hoc tamen hodie malè obseruatur.

Quam-

Vidi ego. Quamuis de iure communi, non possit fieri relegatio, nisi in loca subdita ipso Iudici releganti: Ex quo infertur, quod Iudex non potest relegare aliquem, vt non exeat de aliquo loco, vel oppido, Iurisdictioni ipsius Iudicis non subdito; quam relegationem nos confinationem appellamus. De consuetudine tamen generali, quæ viget ferè vbique locorum, contrarium obseruatur.

Quæro nunc Bãnitus in contumaciã, non efficitur infamis. Et ratio est; quia vbi condemnatio fit in contumaciam, non dicitur ferè constare de crimine; Et ideò, non debet sequi illa infamia, quę ex crimine ipso procedit.

Præterea. Hinc est, quod bannitus pro maleficio in contumaciam, non potest repelli, tanquam infamis à testificando. Et licet hæc conclusio, nõ transiret absque difficultate, stantibus statutis, vt contumax habeatur pro confesso, & conuicto: hoc enim casu, potius videtur bannitus ex crimine, probato per cõtumaciam; quam ex ipsa contumacia: & ita saltem in loco in quo est bãnitus, de Iuris rigore fortè videretur repellendus. Apud nos tamen, quotidie conceduntur salui conductus bãnitis, vt veniant ad testificandum; neque propterea repelluntur. Bene verum est, quod propter bãnum, non reputantur tanquam integri testes.

Nota, quod bannitus nõ amittit patriam potestatẽ. *Successiuè.* Neque virtute contumaciæ; (& sic fictæ confessionis inductæ ab statuto) efficitur seruus pœnæ, donec peruenerit in fortiam Iustitiæ: nisi condemnatio fuerit pura, & sine conditione lata. *Vlterius.*

Bannitus ab vna ciuitate, non censetur bannitus ab alijs ciuitatibus cum ea confęderatis. Ratio est; quia licet aliquæ ciuitates sint simul fęderatæ, remanent tamen earum iurisdictiones, & territoria penitus separata, nisi specialiter in capitulis fęderũ, contrarium dispositum fuisset. *Quæro modo* Nota tamen, & tene menti; quod quamuis in hoc Ducatu, bãnitus ab vna ciuitate, vel loco ipsius Ducatus, censeatur bãnitus à toto Ducatu, & possit in eo vbique capi, & puniri: Si tamen contingat aliquã ci-

ciuitatem, vel locum, separari à Ducatu, banniti ab illa ciuitate, vel loco, tempore quo erat vnita cum Ducatu, sunt post talem separationem, tuti in Ducatu; neque possunt in eo aliquo modo molestari.

Dixi autem Nota deinde. Quod Bãniti nostri temporis, quocunque modo sint banniti; hoc est, siue perpetuò, siue ad tempus: & siue, cũ publicatione bonorum, siue sine publicatione: & siue extet statutum, quod possint impunè offendi, siue non; neque simpliciter æquiparantur deportatis, neq; relegatis; sed est quędam tertia species de per se. Et propterea, non licet arguere de deportato ad bannitum, neque etiam de relegato ad bannitum; neque in aliquo casu bãniti tradere exemplum deportati, vel relegati: Sed standum est, vel decisioni bus Doctorum, de bãnitis in terminis loquẽtium; vel consuetudini illius Prouinciç, in qua Ius dicitur. *Quid tenendum.*

Quæro qua pœna. Frangens fines exilij, si quidem erat iussus exulare minus decennio, duplicatur tempus, quod restabat exulandum, quando fregit exilium: si verò erat iussus exulare per decẽnium, vel vltra, perpetuatur exiliũ: si iussus erat exulare perpetuò, punitur pœna mortis. Est tamen sciendum, quod Senatus quãdoque, nõ modo iubet duplicari exiliũ, sed propter temeritatem, mãdat eos etiam duobus, aut tribus ictibus funis publicè affici.

Si Iudex banniuerit aliquem arbitrio suo, Apud nos seruatur (quicquid sit de Iure) quod non censetur extinctum bannũ, mortuo Iudice, aut ab officio discedente; sed quod tale arbitrium transit ad successorem. Et ratio est, quia cum talis cõdemnatio fiat à Iudice, tanquam persona publica, & sub nomine officij: ideo, datur in ea loc' successorio edicto. *Item quod.*

QVAESTIO LXXII.

De pœna infamiæ, & quibus casibus incurratur.

Vers. 1. POENA etiam infamię potest inter graues cõnumerari: In quam (inter alios multos) incurrit tergiuersator. *Tergiuersator.*

Damnatus. Damnatus publico Iudicio

cio efficitur infamis, non solum si processum fuerit, via ordinaria: hoc est, per accusationem; sed etiam si processum fuerit per inquisitionem. Ratio est, quia cessatio solemnitatis in procedendo, non facit cessare pœnam, & consequenter neque infamiam. Quod multo magis habet locum de Iure Ciuili; secundum quod, etiam in ꝓcessu inquisitionis, imponitur pœna ordinaria. Nota tamen, quod si ipsa condemnatio, facta fuerit in contumaciam; vel etiam contra præsentem, non seruatis tamen seruandis: tūc reus ex tali condemnatione, non efficitur infamis.

QVAESTIO LXXIII.

De pœna priuationis officij, beneficij, vel dignitatis.

Vers. I. POENA infamiæ supradictæ, videtur valdè affinis, pœna priuationis officij, dignitatis, vel beneficij: in quam de iure incurrunt multi, qui pasim à Doctoribus enumerantur:

Iudex. & inter alios, Iudex committens barattariam; ipse enim priuatur officio, qd̄ de præsenti habet, & facultate alia habendi in futurum: & etiam punitur exilio, vel grauiùs secundum qualitatem facti, & pęna quadrupli, eius quod accepit. Nota tamen, quod nō semper illud quadruplum, applicatur Fisco; sed tātūmodo, quādo versatur turpitudo ex parte vtriusq;: scilicet, dantis, & recipientis. Quando autem turpitudo, est solūmodo ex parte vnius; tunc dimidium quadrupli applicat̄ fisco, & dimidium alteri parti.

Pars Iudicē corrūpēs; scilicet, dans ei pecuniam, vt pro se iniustè, aut iustè pronunciet, perdit datum, & litem. Quando verò quis daret pecuniam, ut iustitiā ministraret celeriter, non videtur Iudicem corrumpere voluisse; & ideò poterit, pecuniam datam repetere. Intrans cameram Iudicis, & non data pecunia, sed blandis verbis persuadens, vt pro se sententiā ferat, nō amittit litem; sed punitur pœna centum aureorum.

Licet de iure propter negligentiam, posit etiam Iudex officio priuari. Tamen hodie de consuetudine, officiales non syndicā- *Itē Iudex.*

tur de negligentia, quando ſcilicet, eſt leuiſſima vel etiam leuis culpa. Si verò eſſet lata culpa, & ſic dolo proxima, tali caſu de ea vtique ſyndicantur.

Ex dictis infertur; qđ officiales, tantummodo debent ſyndicari, de furtis, barattaria, & illicitis extorſionibus. Quod nota.

Notarius. Notarius condemnatus ex eo, quod deliquerit circa officium ſuum; verbi gratia, quia falſum inſtrumentum fabricauit: licet ante condemnationem, non cenſeāt priuatus officio; poſtquam autem eſt condemnatus, intelligitur priuatꝰ officio tabellionatus: & ideò nō poteſt noua inſtrumenta conficere.

Clericus. Clericus beneficiatus, ſiue ſit in ſacris conſtitutus, ſiue in minoribus tantum, ſi matrimonium contraxerit, priuatur beneficio: etiamſi matrimonium fuerit nullum, ex cauſa conſanguinitatis.

Ad intelligendum verò, an ſit priuatus ipſo iure, an autem veniat priuādus: Diſtinguendum eſt; quod aut tale matrimonium de Iure valet: verbi gratia, quia non eſt in ſacris conſtitutus, & cōtrahit cū ea, cū qua nullū eſt legitimum impedimentum: & tunc priuatur ipſo iure. Aut matrimonium eſt nullum; puta, quia talis clericus erat ī ſacris cōſtitutꝰ; vel ſi erat in minoribus, ſcienter contraxit cum conſanguinea, & non eſt ſequuta copula carnalis; & tunc, non perdit beneficium ipſo iure.

Nota, quod ſi contraxerit matrimonium, nulliter cum impubere, non amittit beneficium. Et ratio eſt, quia non poteſt verè cū impubere, dici contractū matrimonium, ſed tantum ſponſalia de futuro; propter quę certū eſt, quod clericus beneficiū nō amittit.

Nota rurſus, quod in caſibus prædictis, licet ante copulam ingrediatur monaſteriū, ipſiꝰ clerici vxor, non propterea ipſe recuperabit beneficium.

Nota deinde; quod non ſolum clericus matrimonium contrahens, ammittit beneficiū, ſed & quoſcūque regreſſus, acceſſus, & alia quęlibet Iura, ſibi ad beneficium eccleſiaſticum competentia. Et etiā penſionem, quam in reſignatione beneficij, ſibi reſeruauerat ſuper fructibus: licet talis penſio fuerit conſtitu-

tuta ſimpliciter, nullo adiecto onere ſpirituali.


Item Clericus. Clericus, qui ſuſtinet excommunicationem per annum; Aut ille qui eſt periurus, Aut ſimoniacus, priuatur beneficio. Clericus etiam, qui effectus eſt miles ſecularis amittit beneficium: Quia eo ipſo, quod ſecularē militiam aſſumit, videtur clericali militiæ renunciaſſe.

Pariter etiā Clericus item excommunicatus; eſt ipſo iure priuatus fructibus beneficij. Et nota, qđ licet clerico, qui fuerit propter crimen depoſitus, aut ſuſpenſus, exhibenda ſint alimenta ex redditibus ſui beneficij, tamen clerico excommunicato, (modo excommunicatio fuerit iuſta) etiamſi egenus, & pauper ſit, nihil datur.

Cleric⁹ colludēs in cauſa beneficiali, debet beneficio priuari. Et ponitur exemplum, in ſene infirmo, qui permutat pingue beneficium cum nepote, vel cōſanguineo dante beneficiū exile; his enim concurrentibus, talis renūciatio præſumitur facta in fraudem. Clericus etiam, qui non dicit officium, neque incumbit horis diuinis, priuandus eſt beneficio, & tenetur etiam, reſtituere fruct⁹ perceptos. Similiter Clericus Hæreticus, & Homicida, vt iam ſuis. §. dictum eſt beneficijs priuantur. Clericus pariter bannitus perpetuo, priuandus eſt beneficio, cum non poſſit in eo ſeruire.

Licet Papa, propter inſufficientiam non poſſit deponi; cæteri verò Prælati inferiores, propter inſufficiētiam deponuntur. Scias tamē, quod Epiſcopus negligens, non poteſt ab aliquo deponi, præterquam à ſummo Pontifice. *Prælati.*

Nota, quod Clericus cōmittens delictum, propter quod poſsit priuari beneficio, licet habeat ius in re, quouſque ſit priuatus. Tamen, poſtquam beneficio priuatus eſt, tenetur reſtituere fructus perceptos, à die commiſſi criminis, vel quos percipere potuit, ſiue extent, ſiue ſint conſumpti; ſiue affectus ſit locupletior, ſiue non. *Et ſcias.*



QVAESTIO LXXIV.

De Pœna depositionis ab ordine, siue degradationis.

Vers. 1. QVANDOQVE imponitur etiam, ab ecclesiasticis Iudicibus, pœna depositionis ab ordine, siue degradationis. Duplex autem est depositio, siue degradatio; verbalis scilicet, & actualis. Verbalis est, quando Episcopus pronunciat sententiam contra clericum, per quam priuat illum ordinibus clericalibus: quæ propriè loquendo appellatur depositio, licet plerunque à Doctoribus, dicatur etiam degradatio. Actualis autem depositio; quæ propriè appellatur degradatio; est quando clericus, nō modo per sententiam priuatur; sed etiam actualiter, & personaliter degradatur; exuitur, & spoliatur, ordinibus ecclesiasticis.

Regulariter. Clericus regulariter, nō debet deponi, nisi propter *Cæterum.* graue crimen. Actualiter vero deponi, seu degradari, non potest de Iure; nisi pro tribus criminibus: hoc est, Hæresis, Falsi commissi in litteris apostolicis, & Conspirationis in proprium Episcopum. De consuetudine autem relinquitur arbitrio Iudicis.

Nota quo ad solemnitatem depositionis, seu degradationis; quod si degradandus fuerit Episcopus, requiruntur de Iure duodecim Episcopi. Si Presbyter requiruntur sex. Si Diaconus, vel Subdiaconus tres. Si tandem fuerit clericus, in minoribus constitutus, sufficit proprius Episcopus; & casu quo, tales Episcopi discordent interse in pronunciando, sufficit maior pars. *Sed quæro.* Quæ tamen intellige vt ꝓcedant, quando post verbalem depositionem; veniendum est ad actualem: sed quando depositio verbalis, non fit ad effectum vt sequatur postea actualis degradatio; tunc de consuetudine obseruatur, quod solus episcopus possit verbaliter deponere, seu degradare. Imò etiam hodie (ita statuente sacro Concilio Tridentino) quādo deueniendum est ad actualē degradationem, potest solus Episcop' adhibitis Prælatis degradare.

Hæc

Scias autē. Hæc autem pœna degradationis, non solum habet locum in Clericis; sed quãdoque etiam in laicis, aliqua dignitate insignitis: verbi gratia, si sit aliquis Doctor, qui propter delictum priuandus sit cingulo doctorali: vel miles, qui puniendus est pro aliquo delicto militari; nam solet degradari, & militari exui cingulo.

QVAESTIO LXXV.

De pœna suspensionis.

Vers. 1. VBI crimen non est valdè graue, non solet clericis imponi pœna priuationis beneficij, vel depositionis ab ordine; sed tantummodo pœna suspensionis: quæ quidem suspensio est, quædam censura ecclesiastica, propter quam clerico interdicit officiũ, seu beneficium, vel administratio, seu executio ordinis, vel iurisdictionis.

Sacerdos. Sacerdos benedicens secundas nuptias, est suspensus ab officio, & beneficio; non quidem ipso iure, sed est per sententiam suspendendus. Clericus. Clericus autem notorius fornicator; vel simoniacus in ordine, est ipso iure suspensus.

QVAESTIO LXXVI.

De pœna Interdicti.

INTER Ecclesiasticas cẽsuras, est etiam pœna interdicti: quæ quidem est, separatio à iure, vel à Iudice facta, à certis sacramentis, & omnibus diuinis officijs, & ab ecclesiastica sepultura. Vers. 1.

Licet de Iure, Ciuitas, Castrum, aut villa exigens pedagia ab aliquo pro rebus suis, quas defert non negociandi causa, sit ipso facto interdicta: hoc tamẽ à consuetudine non est receptum. Et licet de Iure Canonico sancitum sit; qđ supradicto casu incurratur interdictum, contraria cõsuetudine non obstante. Nihilominus tamen, talis conclusio non est tenenda. Et ratio est, quia ea nõ obseruatur, neque in ipsa ciuitate Romana, neque in alijs terris Ecclesiæ: à quibus in concernentibus Iuris Canonici obseruantiã, debent aliȩ Ciuitates, normam, & regulã accipere. Ciuitas.

Ciuitas etiam aliquid committens, contra Episco- Itẽ ciuitas.

ſcopum ſuum: hoc eſt, qui ſit proprius Epiſcopus ipſius Ciuitatis; vt capiatur, percutiatur, vel bãniatur, eſt interdicta. Et idem ẽt dicendum eſt, ſi in aliquo loco, Epiſcop⁹ detineatur inuitus. Quæ tamen intellige, vt procedant, quando ille qui detinet, vel offendit Epiſcopum, eſt domin⁹ illius Ciuitatis, aliàs ſec⁹. Nota verò, quod ceſſante tali detentione Epiſcopi, ſtatim etiam ceſſat interdictum ipſo Iure, & abſque alia declaratione.

QVAESTIO LXXVII.

De pœna excommunicationis.

Verſ. 1. DE excommunicatione, ſucceſsiuè tractandum venit; quæ quidem eſt maior pœna, quàm Eccleſia imponere poteſt. Duplex autem eſt excommunicatio; Maior ſcilicet, & minor. Excommunicatio maior, excludit reum à perceptione ſacramentorum, & etiam à communione fidelium. Minor verò excludit tantummodo, à perceptione ſacramentorum.

Percutiens. Percutiẽs clericum, ſiue illum offendens, etiam abſque vulnere; incidit in pęnã vulgati Canonis, ſuper hac materia expreſsè diſponentis: & ſic eſt excommunicatus, ita quod non poteſt abſolui, niſi à Summo Pontifice.

Clericus etiam ſe ipſum percutiens, incidit in dictã excommunicationem, & pœnam Canonis. *Adde quod.*

Nota, quod dicti Canonis diſpoſitio, habet etiam locum contra offendentẽ clericum primæ tonſuræ, dummodo incedat in habitu clericali. Et etiam contra offendentem perſonas religioſas, quæ regulariter viuant, licet non emittant profeſſionem. *Item quæri.* *Vlterius quæro.*

Percutiẽs clericum, eũtem in habitu laicali, non erit excõmunicat⁹, ſi ignorabat ipſum eſſe clericum. Indubitatũ enim eſt; quod clericus inuentus ſine habitu, & tonſura, miſcens ſe enormibus ſceleribus, poteſt occidi abſque eo, quod occidentes incurrãt pœnam excommunicationis. *Sed an percutiens.*

Si aliquis percuſſerit clericum, ignorans iuſta, & probabili ignorãtia ipſum eſſe clericum, non incidit in pœnas Canonis. Cæterum *Succeſsiuè.*

rum ſi ignoraſſet, craſſa, & ſupina ignorantia, non effugeret pœnas excommunicationis.

Sed quid ſi aliquis. Similiter, ſi quis volens percutere Titium laicum, errans percuſſerit Caiũ clericum, putans eſſe Titium laicum, non incurrit in pœnas Canonis.

Sed nũquid. Licet clericus fuerit excommunicatus, gaudebit priuilegio dicti Canonis; ita vt ſi aliquis eum offendat, incidet in pœnas ab ipſo Canone impoſitas.

Quæro etiã. Idẽ etiam dicendum eſt, in percutiente clericum degradatum. Quod tamen intellige, ſi fuerit tantummodo degradatus verbaliter: ſi enim fuiſſet actualiter, & ſolemniter degradatus, aliud tenendum eſt.

Sed hic quæro. Si Clericus velit aliquod delictum committere, contra perſonam, vel res alterius, poteſt laicus illũ prohibere, & ita in flagranti illum impunè capere, & ligare, ſi aliter eum à maleficio prohibere nõ poteſt.

Scias tamẽ. Nota, quod diſpoſitio dicti Canonis, nõ habet locum, vbi offẽſa eſſet leuis: nam pro leui iniuria, poterit Epiſcopus ipſum excõmunicatum abſoluere.

Monachus. Monachus habitum ſuæ religionis non deferens, incurrit pęnam excommunicationis; hoc tamẽ caſu, poteſt abſolui ab eius ſuperiore. Si autem habitum deferat, ſed occultè; hoc etiam caſu incurrit in excommunicationem; niſi id fiat cum cauſa, & licentia ſuperioris.

Recipientes. Quãuis de Iure, recipiẽtes literas Apoſtolicas, dũ ipſi ſunt apud Apoſtolicã ſedem, de manu alterius, quam Summi Põtificis, aut deputatorum ad illud officium ſint excommunicati: De conſuetudine tamen hoc nõ ſeruatur, Papa ſciẽte, & tolerante.

Clerici. Clerici, qui ſcienter participant cũ excommunicatis à Papa, ſunt excommunicati. Scias tamen, quod quinque requirũtur ad incurrendam hanc excõmunicationem. Primò, quod participent. Secundò, qđ ſcienter. Tertiò, quod ſponte. Quartò, quod in diuinis. Quintò, quod talis ſit à Papa nominatim excommunicatus.

Incendiarij. Incendiarij, ſunt ipſo Iure excommunicati; qui ſi commiſſerint incendium in locis ſacris, ante denũciationem abſoluuntur ab Epiſcopo; poſt denunciatio-

tionem autem, non absol-uuntur, nisi à Summo Pontifice.

Effractores. Effractores similiter Ecclesiarum, cum spoliatione sunt excommunicati: & ẽt ante denunciationem possunt absolui ab Episcopo: sed post denunciationẽ, solus Papa absoluit. Nota tamen, quod ad hoc, vt incidant in dictam pęnam, non sufficit sola effractio, neque sola spoliatio; sed vtrũque requiritur.

Offendẽtes. Offendentes, percutiendo, capiendo, vel hostiliter insequẽdo Cardinales S.R.E. sunt excommunicati, & diffidati apud omnes: ita quod, post sententiã latam super tali causa, possunt ab omnibus impunè offendi.

Religiosi. Quilibet Religiosus, qui sacramentum extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ ministrauerit, sine licẽtia presbyteri Parrochialis, vel matrimonia solemnizauerit, est excommunicatus.

Percutiẽtes. Percutientes iniuriosè, aut temerè Episcopũ, sunt excommunicati. Nota tamen, & tene menti; Quod hæc pœna locum non habet, quando offendens Episcopum, vel Cardinalẽ, id faceret causa suæ propriæ defensionis: nam eo casu, non dicitur facere iniuriosè, nec temerè; & cõsequenter, non incidit in pœnas Canonũ, sup articulo isto disponentium. Quinimò, si ex quacunque causa excusari posit, à temeritate, & à dolo; cessabit etiam pœna.

Spoliantes. Qui spoliauerint christianos nauigantes, pro honestis causis, & negociationibus, sunt excommunicati. Hic tamen Canon non est latæ sententiæ, sed ferẽdæ. Qui verò spoliauerint rebus suis christianos naufragium passos, sunt excõmunicati. Et hic Canon est latæ sententiæ, modo competens monitio præcedat.

Christiani. Christiani deferẽtes arma, ferrum, seu alias res à Iure ꝓhibitas sarracenis, tempore quo habent bellũ cum christianis, sunt excõmunicati; & puniuntur pęna capitis: nec attenditur an deferens, hoc faciat ea intẽtione, vt christiani impugnentur, nec ne. Et nota, quod tempore belli omnino prohibitum est, ad Saracenos deferre quascunque merces; etiam ex his, quæ non sunt expresè de Iure prohibitæ. Illæ verò

quæ

quæ sunt prohibitæ, nõ possunt eo tempore deferri, etiam pro redemptione captiuorum. Cessante autẽ bello, licitum est quascunque merces deferre, modo non sint ex prohibitis. Dicuntur Sarraceni, habere bellum cum Christianis, quando bellum gerunt, cũ aliquo Principe, Dominio, aut oppido Christiano.

Magistri. Magistri, & scholares Bononiæ, cõuenientes hospitem, pro conducẽdo hospitio aliorũ magistrorũ: hoc est, Doctorũ, vel Scholarium, ante tempus conductionis elapsum, sunt excommunicati.

Scismatici. Omnes scismatici, sunt excommunicati. Nota, qđ quãdo duo, vel plures, electi in Papã contendunt de Põtificatu; si aliqui bona fide, vnum illorũ habẽt pro vero Pontifice, qui tamen legitimè non est electus, ipsi propter probabile dubiũ excusantur.

Facientes. Facientes seruari statuta, vel consuetudines, contra Ecclesiasticam libertatem: hoc est, contra priuilegium concessum Ecclesię à Deo, vel à Papa, vel Imperatore, sũt excõmunicati.

Vsurpãtes. Vsurpãtes de nouo, sibi Ius patronatus, à locis pijs vacantibus, sunt excommunicati. Nota tamen, quod ad hoc vt ipsi incurrãt, requiruntur duo. Primum, quod vsurpent dicta iura de nouo; hoc est, à 40. annis citra. Secundum, quod illa occupent ipsis locis vacantibus.

Licet sententia excommunicationis, fuerit lata ex falsa causa; nihilominus tamen valet; quando ille, qui excommunicat, etiam si sciuisset causam non esse veram, fuisset excommunicaturus. *Quæritur etiam.*

Sententia excommunicationis lata ab homine; si fuerit nulla, nec afficit, nec ligat excommunicatũ. Adeò, quod nõ est necessaria absolutio, neque etiam ad cautelam, volenti dicere de ipsius nullitate. *Solet dubitari.*

QVAESTIO LXXVIII.

De Pœna confiscationis omnium bonorum.

DE pœnis pecuniarijs nunc tractandum venit, quarum maxima est cõfiscatio, seu publicatio bonorum. Ante omnia autem præmittendum est, quod secundum iura antiqua, cõ- *Vers. 1.*

fiſcatio bonorum erat ſpecialiter impoſita in multis caſibus. Generaliter verò in omnibus illis, in quibus erat impoſita pœna mortis, naturalis, vel deportationis; in his enim in conſequentiam, veniebat pœna confiſcationis bonorũ. Hodie tamen (quidquid ſit de Iure) communiter totus mundus ſeruat; quod bona non confiſcantur in aliquo caſu, excepto crimine Hæreſis, & Lęſę Maieſtatis; niſi ex diſpoſitione particulari alicuiꝰ ſtatuti, vel conſuetudinis aliter caueatur.

Sed Pone. Si aliquis fuerit condẽnatus ad mortem, virtute ſtatuti ita diſponentis; in caſu tamen, in quo neque à iure communi, neque ab ipſo ſtatuto, imponitur publicatio bonorum (prout quotidie videmus fieri in furibus) lata ipſa ſententia mortis, certum eſt, qđ non venit in conſequentiã confiſcatio bonorum.

Apoſtata. Apoſtata, punitur in cõfiſcatione bonorum, caſu quo non extent eius filij, vel cognati, ad quos deferantur. Tripliciter poteſt quis apoſtatare; à Fide ſcilicet, ab Obedientia, & à Religione. Dicitur apoſtatare à fide, qui à Chriſtiana religione tranſit ad Iudaiſmum, vel aliam ſectã infidelium. Et Nota, quod licet Apoſtata à fide, ſit peior hæretico, (nam hæreticus in aliquo deuiat à fide; Apoſtata autem, ab ea in totum recedit) nihilominus tamen Apoſtata, etiam recipitur ad pœnitentiam, ſicut hæreticus. Apoſtata religionis, propriè dicitur ille, q relinquit habitum religionis, & ad ſeculum redit. Hinc eſt, quod Monachus vagabundus, q tamen non dimiſit habitũ ſuæ religionis, non dicitur propriè Apoſtata. Clericus autem ſecularis, dimittens habitum, ſi eſt beneficiatus dicitur Apoſtata; ſi verò non eſt beneficiatꝰ, nõ dicitur apoſtatare; ſed relinquere habitum.

Quaro nunquid. Quando pęna confiſcationis bonorum pro delicto, venit imponenda à lege, tacitè, vel expreſsè; tũc quilibet Iudex, qui poteſt ſup delicto cognoſcere, poteſt etiam illam imponere. Quando verò, venit imponenda præter legem, tunc nullus Iudex, præter ſummos magiſtratus, poteſt ipſam pœnam imponere.

Nũc videamus. Ad intelligendum autẽ, quæ

quæ ſint ea, quæ veniunt in confiſcatione bonorum; regula Generalis eſt, quod in Fiſcum trãſeunt illa omnia, quæ tranſeunt in extraneos hæredes: & è conuerſo, ea quæ non tranſeunt in extraneos hæredes, non tranſeunt in Fiſcum. Hinc infertur, quod in confiſcatione bonorum, non veniunt bona feudalia; neq; emphyteutica; quia ipſa non trãſeunt in extraneos Hæredes.

Quero modo. Ius Patronatus, quando eſt tranſitorium ad extraneos hæredes, tranſit etiã in fiſcũ; ex delicto ex quo cõfiſcãtur, omnia bona delinquentis. Ratio eſt, quia fiſcus per omnia habetur loco hæredis. Quando uerò, nõ eſt tranſitorium ad extraneos hæredes: neque etiam tranſit ad fiſcum.

Succeſsiuè. Nota, quod in publicatione bonorũ, mobilium, & immobilium, non veniũt iura, & actiones. Et proptereа, introducta eſt practica huius Prouinciæ, quod in ſententia cõfiſcationis, apponantur etiam illa verba, iurium, & Actionum, & nominum debitorum.

Item quæro. Nota rurſus, quod neq; in cõfiſcatione bonorum, veniunt bona prohibita alienari, neque etiam durante vita ipſi', qui prohibitus eſt alienare. Quæ quidem concluſio locum habet, non ſolum quando factum eſt, expreſſum fideicommiſſum, in caſum alienationis, (nam tunc indubitatum eſt, quod non tranſeunt in fiſcum; ſed admittitur ſequens in gradu fideicommiſsi;) ſed etiam, quando poſt fideicommiſſum appoſita eſt clauſula; Quia volo, quod bona perpetuò conſeruentur, in agnatione, vel familia. Et ratio eſt; quia ex ea clauſula, inducitur etiam prohibitio alienationis, & fideicõmiſſum ſimplex, & ideò, de ea idem iudicandũ eſt, ac ſi expreſsè factum eſſet fideicommiſſum, in caſum alienationis. Quando verò fideicommiſſum, vel ſubſtitutio, facta fuiſſet tantum in caſum mortis: tunc Fiſcus, poteſt apud ſe retinere bona, durante vita ipſius condemnati. Et etiam poſtea, adueniente caſu fideicommiſſi, poteſt Fiſcus detrahere ex perſona condemnati, trebellianicam; caſu quo, non ſit ipſa detractio prohibita. In omnem tamen caſum, ſolet detrahere legitimam, quãdo cõdem-

demnatus eſt filius. Quia in ea non poteſt teſtator, fideicõmiſſum, neque aliud grauamen imponere, neq; eius alienationem prohibere; vno tantum caſu excepto; hoc eſt, quando pater, propter minorem ætatem filiorum, eis prohibuiſſet alienationem omnium bonorum, vſque ad certũ tempus; talis enim prohibitio, non cenſetur oneroſa ipſis filijs, ſed potius fauorabilis: & ideò, valet etiam reſpectu legitimæ: & ita obſeruatur, & iudicatur in Magiſtratu Mediolani.

Præterea. In confiſcatione bonorum Filij familias, non veniunt eius bona profectitia. Ratio eſt, quia cum talia bona, ſint pleno iure Patris, tam quo ad proprietatem, quam quo ad vſufructum, dicuntur reſpectu filij eſſe bona aliena.

Sed quid. Idem pariter tenendum eſt, in peculio Aduentitio,

Quæro etiã. & etiam in Caſtrenſi; vt ſcilicet non veniant, in cõfiſcatione bonorum. Et quo ad peculium caſtrenſe, eſt cas⁹ valde notabilis; in quo quis poteſt contrahendo, & teſtando, liberè de bonis ſuis diſponere, non tamẽ delinquendo, ea transfert in fiſcum. Ratio autem dictæ concluſionis, tã in peculio caſtrẽſi, quã in Aduẽtitio eſt, prærogatiua patriæ poteſtatis, propter quam pater pręfertur Fiſco.

In confiſcatione autem bonorum patris, animaduertendum eſt; quod ſi pater ex ipſa cõdemnatione, amitteret etiam patriam poteſtatem, tali caſu peculium profectitium filij, trãſiret in fiſcum. Quando verò pater, vigore condemnationis, non amittit patriam poteſtatem; tunc, publicatis bonis patris, non cenſetur publicatum, peculium profectitium filij. *Quæro nũc.*

In publicatione bonorũ, mulieris delinquentis, ſi delictum fuerit commiſsũ ſoluto matrimonio, confiſcatur etiam eius dos. Si verò fuerit commiſſum, cõſtante matrimonio; tunc bona vxoris non publicantur, niſi in quinque caſib⁹; in quibus ſimul cum alijs eius bonis, etiam dos ipſa confiſcatur. Publicatis autem bonis mariti, dos ipſa non publicatur: ſed ſtatim ſecuta condemnatione poteſt vxor illam repetere. Et hoc, etiamſi ipſa ſequeretur virum, qui eſſet de *Quæro ſi bona.*

re-

rebellione condemnatus: & ita fuit iudicatum per Magistratum. Quod nota; quia sententiæ quæ feruntur per hũc Magistratum, in causis confiscationum, inter Fiscum, & priuatos, sunt tantæ auctoritatis, vt ab eis non possit appellari, nec de nullitate dici, nec supplicari, nec in integrũ restitutio peti. Et licet à sententijs latis per Senatũ, possit peti reuisio, coram eodem Senatu, facto deposito centum aureorum: tamen contra sententias Magistratus, ex ordinibus huius Ducatus, nullũ fuit relictum remedium, nec Fisco, nec priuatis. Propterea decissio supradicta est notabilis; quia eo casu nõ seruatur filijs legitima.

Solet etiã. Ad intelligendum, an in confiscatione bonorum delinquentis, veniant bona per ipsum alienata, ante confiscationem, distinguẽdum est. Nam, aut alienatio facta est ante crimen commissum: & in hoc casu, si nulla subsit suspicio fraudis, talis alienatio valet, & tenet, licet postea delinquat, & contra eum sequatur sentẽntia condẽnatoria; si verò appareat fraus verè, aut præsumptiuè, valet quidẽ alienatio, sed à Fisco postea reuocatur: quo tamen casu, tenetur Fiscus, emptori prætiũ restituere.

Fraus hoc casu ꝑbatur ꝑ coniecturas: verbi gratia, si talis alienatio, fuerit omnium bonorum ipsius delinquentis: vel si delictum in continenti, post alienationem secutum fuerit: aut etiam si secutum fuerit ex interuallo; dummodo tempore donationis, subesset iam causa, propter quam delictum postea commissũ fuerit. Vel si tempore alienationis, habebat inimicitias capitales. Vel si post alienationẽ, steterit in possessione rei alienatæ; hoc enim faceret præsumi, alienationem esse simulatam. Quod tamen intellige, dũmodo tempore alienationis, subesset causa propter quam, delictum fuerit commissum; aliàs secus: & ita practicatur. Vel si alienatio facta fuisset in oculto. Vel si in personam sanguine coniunctam: Et hæc cõiectura tenetur in practica. *Fraus autẽ.*

Post commissum delictum, valet etiam regulariter alienatio ante sententiam facta, titulo oneroso: *Cæterũ.*

ne-

neque reuocantur alienata, niſi appareat contrahẽtem, fuiſſe participem fraudis. Hoc quidem intellige vt procedat, vbi delictum ſit tale, in quo bona non confiſcantur ipſo iure: neque interdicta ſit delinquenti, bonorum ſuorum adminiſtratio: & vbi de fraude non conſtet. Vbi enim bona delinquentis, ipſo iure, & facto, propter crimen publicantur; tunc alienatio ab eo facta, poſt commiſſum delictum, eſt ipſo iure nulla, neque erit opus aliqua reuocatoria.

Et hæc omnia. Hæc omnia locũ habẽt, non ſolum ſi alienatio fiat poſt delictum, ſed etiam ſi fiat poſt accuſationem; & etiam poſt litis conteſtationem. Bene verum eſt, qđ omnis alienatio, quæ fit à delinquente poſt accuſationem, in dubio præſumitur facta metu pœnæ.

Si verò. Nota, quod ſi ipſa alienatio, fiat à delinquente poſt ſententiam condemnatoriam, contra eum latam: tunc ſi talis ſententia, fuerit per appellationẽ ſuſpenſa, valet quidem alienatio, facta pendente appellatione; ſed poſtea ſecuta confirmatione ſententiæ, officio Iudicis reuocatur. Si verò ſententia, per appellationem ſuſpenſa nõ fuerit, alienatio ipſa nihil valet. Et ſcias in hoc propoſito, quod in illis caſibus in quibus alienatio valet, ſed poſtea poteſt per Fiſcũ reuocari: non poteſt executor Fiſcalis, amouere poſſeſſores à poſſeſsione rerum, quas à delinquente acquiſiuerunt; ſed debet actionem reuocatoriam intentare, ita vt ordinariè de ipſa reuocatione cognoſcatur.

Scias etiā. Nota deinde, quod debitor delinquens, poteſt quandocunque dare de bonis ſuis, in ſolutũ ſuis creditoribus.

Contingit. Si delinquens, poſt commiſſum delictum, permutauerit, aut vendiderit bona; & bona permutata, aut pretium venditorum; aut alia res æquiualens ex ipſo pretio empta, reperitur in bonis confiſcatis; non debent moleſtari poſſeſſores priorum bonorum, quę ab ipſo delinquente fuerunt alienata. Ratio eſt, quia res permutata; aut ex pretio empta, aut etiã ipſum pretium, videntur eſſe ſubrogata in locum rei alienatæ; ita vt non poſsit Fiſcus, velle idem bis conſe-

qui

qui. Quod tamen intellige, vt procedat, nisi fraus interuenerit: nam tali casu, posset Fisc⁹, omisso pretio, vel re acquisita, rē pri⁹ alienatam recuperare.

Item in Fiscum. Sequuta confiscatione, transeunt etiam in Fiscū, omnes obligationes; tam naturales, quam ciuiles: Non autem Iura conditionalia; Aut obligationes conditionales pasiuè. Hinc infertur, quod si fuerint alicui legata alimēta, & ille fuerit bannitus, ac eius bona confiscata, tale legatum non transit in Fiscum, neque etiam durante vita ipsius condemnati; quia huiusmodi legatū dicitur conditionale.

Vlterius quæro. In confiscatione bonorum, non veniunt bona futura: hoc est, acquisita post confiscationē. Quid quod, in hoc Ducatu adest decretum, confiscans omnia bona delinquentiū, à die cōmissi delicti. Nihilominus seruatur, quod etiam ea quæ acquirunt post delictum, vsque ad confiscationis sententiam, quæ à Iudice profertur, veniunt ēt in ipsa confiscatione. In bonis autem quęsitis post cōfiscationem, quomodocūque Fiscus ea apprehenderit, vel habeat penes se, illa retinet tāquam legitimus, & iustus occupator, ex quo sunt bona banniti: Si verò reperiantur penes aliū, fortè non posset Fiscus ea petere, sed deberent remanere prius occupanti. Et ita iudicauit Magistratus.

Si tempore confiscationis, fuerit delata hæreditas delinquenti: animaduertendum est, an Ius adeundi ipsam hæreditatem fuerit transitorium, etiam in extraneos hæredes; nam eo casu, tale Ius vtique trāsit in Fiscum. Si verò non transit ad extraneos hæredes; neque etiam transit in Fiscum. *Sæpe contingit.*

Facta confiscatione bonorum patris; (quicquid sit de Iure.) In hoc Ducatu reseruatur filijs legitima: hoc est illa tantū pars, quæ ipsis regulariter debetur in bonis patris. Bonorum autem matris, quando cōfiscantur propter ei⁹ delictum, filijs nihil reseruatur. *Videndum.*

Nota, quod sententia publicationis bonorum, trahitur etiam, ad bona sita extra territorium Iudicis confiscantis: quæ quidem applicantur Domino, in cui⁹ iurisdictione sita sūt. *Sed hic quæro.*

Quod

Quod tamen intellige vt procedat, dūmodo ille dominus, habeat etiam ius cō fiſcationis bonorum: aliàs ſecus. Item intellige vt procedat, quando confiſcatio, fit ſecundū diſpoſitionem Iuris communis: aliàs enim ſi fieret ex ſtatuto, aut lege ſpeciali, non extēderetur ad bona ſita extra territorium, in quo viget illa lex, vel ſtatutū, etiam quod eſſet idē dominus, vtriuſque territorij, & ſic idem Fiſcus: niſi caſu quo huiuſmodi territoria eſsēt ſub eodem Præſide Prouinciæ; nam hoc caſu indiſtinctè omnia bona Fiſco applicantur: ſecùs tamen, ſi eſſent ſub diuerſis Præſidib⁹; & ita obſeruāt in hoc Ducatu. Tandem intellige, vt procedat in bonis immobilibus: nam mobilia non circunſcribuntur territorio, & ideò applicantur dominio Iudicis confiſcantis, etiam ſi ſint extra illius territorium. Et his caſibus animaduertendum eſt, qđ creditores vnius territorij, & dominij prorſus ſeparati, non poſſunt agere cōtra Fiſcum alterius territorij, cui bona ipſius delinquentis ſunt confiſcata. Ratio eſt, quia de facili poſſet fieri fraus Fiſco; vt ſcilicet omnes creditores, delinquentis condē nati, agerent contra bona ſita in territorio condemnantis, omiſsis bonis ſitis in alio territorio. Bene verum eſt, quod ſi bona vni⁹ territorij non ſufficerent; tali caſu, ne creditorib⁹ iura ſua perirent, eſſet eis ſatisfaciendum, ex ſitis in alio territorio: Et ita pluries fuit deciſum in Magiſtratu.

Sed quæro.

Scias deinde in hoc propoſito, quod in cauſis creditorum agentium contra Fiſcum, debet procedi ſummariè, & ſine dilatione: Hoc tamen Iudices moderni, parum obſeruāt. Quod quidem redundat, in maximum animarum ſuarum detrimentum. In magiſtratu aūt Mediolani, ī quo ex prærogatiua illi data, proceditur ſola facti ueritate inſpecta; cauſæ creditorū Fiſci, expediuntur cum sū ma æquitatis ratione, & maxima celeritate.

Quando Fiſcus ad quem perueniunt bona, cępit ea tanquam confiſcata; tenetur ad onera legatorum, fideicommiſſorum, & creditorib⁹ hæreditarijs, qua ſi hæres; habeturque loco hæ-

Sed an tenetur.

hæredis: & ſic tenetur perſoluere omnia debita condemnati. Quando verò capit ea, quaſi vacantia; Aut ex ſucceſſorio edicto: hoc eſt, deficientibus alijs ſucceſſoribus, tunc non tenetur ad onera legatorum, nec fideicommiſſorum.

Vnũ ſcias. In omnem tamen caſum animaduertendum eſt, qđ quando Fiſcus ſuccedit alicui, ſiue tanquam in bonis vacantibus, ſiue ex cõfiſcatione; nunquam tenetur vltra vires hæreditarias, etiamſi non confecerit inuentarium.

Vidi quãdoque. Nota, quòd Fiſcus præfertur creditoribus delinquentis, ex delicto; etiam in pęnis pœcuniarijs, non tamen præfertur eius creditoribus ex contractu.

Sed hic incidenter. Tandem nota, Quod Fiſcus ante commiſſum delictum; aut etiã poſt delictũ commiſſum; antea tamen quam inchoatum ſit Iudicium criminale, nullam habet hypothecam in bonis delinquentis. A die tamen latæ ſententiæ, habet Fiſcus bona delinquentis hypothecata.

QVAESTIO LXXIX.

De Pœna confiſcationis certæ partis bonorum, vel aliquarum rerum.

QVANDOQVE de Iure, imponitur pœna confiſcationis; non omniũ bonorũm, ſed certæ partis: verbi gratia, dimidiæ, aut tertiæ, aut alteri⁹ quotæ; quandoque, non certæ partis, ſed confiſcantur certa bona in ſpecie. Harum autem confiſcationũ multę in deſuetudinem abierunr. *Verſ. 1.*

Licet de Iure Arma noua, quę quis fecerit, vendiderit, aut emerit applicentur Fiſco. Attamen in hac materia, quęlibet ciuitas, vel Prouincia, habet ſua ſpecialia ſtatuta, vel conſuetudines. *Arma noua.*

Domus priuatorum, in quibus fiunt ſacra myſteria, ſine licentia Epiſcopi, aut eius Vicarij, applicantur Fiſco. *Domus.*

Quando Hęres tacitè accõmodat fidẽ defuncto, de reſtituenda hęreditate alicui incapaci; puta filio ſpurio; aufert ipſa ab eo tanq̃ ab indigno & applicatur Fiſco. *Quando.*

Fiſco. Nota tamen; quod hæres inſtitutus, à Patre filij ſpurij, bene poteſt talem hęreditatem, ipſi ſpurio teſtatoris, in teſtamento relinquere, neque id pręſumetur factum in fraudem, niſi expreſsè probetur.

Itē quādo. Quamuis de Iure, ſi hæres non vindicauit necem defuncti, priuſquam adiret hæreditatem, Fiſcus illam ab eo aufert, tanquam ab indigno. Attamen ſanctio iſta, penitus ab aula receſſit; imò quotidie, hęredes remittunt occiſoribus defuncti, & cum eis pacem faciunt; eſſet enim ſimilis lex, nutritiua peccati, ſi p eam impediretur, pax, & concordia, & iniuriarum remiſſio.

Si teſtator. Si teſtator ductus fuerit metu, vt aliquē īſtitueret, hæreditas ab eo aufertur, & Fiſco applicatur. Quod tamen intellige, quando talis inſtitutus, erat defuncto proximior in gradu, & ſic ſucceſſurus ab inteſtato. Quando verò adeſſet aliquis proximior, vel etiā in pari gradu cum inſtituto, tunc hæreditas non applicatur Fiſco, ſed ad iſtum proximiorem, vel æqualē in gradu deuoluitur.

QVAESTIO LXXX.

De Pœnis pecuniarijs.

QVANDOQVE etiā, non certa aliqua bona Fiſco applicantur, ſed delinquenti certa pœna pecuniaria imponitur. *Verſ. 1.*

Licet de Iure, bladum emens cauſa reuendendi, vt penuria ſequatur. Aut etiam miles, metator, vel menſor, qui aliquid accipit ab hoſpite in cuius domo hoſpitatur, puniantur in certis libris auri: hodie tamen iſtæ pœnæ non obſeruantur. *Bladum.* *Miles.*

Dos mulieris ſcientis factum, ex quo naſcitur impedimentum matrimonij, & eo non obſtante contrahentis, in caſu à iure prohibito; licet errauerit in Iure, ſi matrimonium fuerit carnali copula conſummatum, applicatur Fiſco. *Dos mulieris.*

Epiſcopus poteſt imponere clericis, pœnas pecuniarias pro delicto. Quia hodie Epiſcopi, de generali conſuetudine habent Fiſcum. Et licet de Iure, deberent pęnas pecuniarias, applicare cameræ Romanæ, non ſuæ; ipſi tamen de conſuetudine contrarium *In hac autē.*

ſer-

seruant.

Item quæro. Serui non possunt in pęnam pecuniariam condemnari.

Sed hic incidenter. Committens aliquod delictum, pro quo à lege sit imposita aliqua pęna pecuniaria, vel soluenda Fisco, vel danda parti; non tenetur in foro conscientiæ illā persoluere: licet teneatur emendare, seu resarcire dānum, ex eo delicto parti illatum per dolum, aut latā culpam. Ratio est, quia delinquens, nō videtur delinquendo consentire pœnæ, quæ à lege pro ipso delicto imponitur; & sic non tenetur in foro conscientię bona sua Fisco deferre; etiamsi delictum esset notorium.

QVAESTIO LXXXI.

De pœna Talionis.

Vers. 1. POENA talionis, fuit à Iure communi introducta, aduersus accusatores qui calumniantur, & in probatione deficiunt: quæ quidem est similitudo supplicij, quod inferendū esset reo, si de crimine ipso conuictus fuisset.

Sed Pone. Licet accusator, sit persona honestior quā reus; ob quod in aliquibus criminibus, venit de Iure mitius puniendus: Attamen si calumniauerit, imponitur ei pœna, quæ reo imponenda erat pro illo delicto: nō autem illa, quæ erat imponenda de Iure ipsi accusatori.

Hæc tamen pœna, de cōsuetudine hodie est sublata, & penitùs recessit ab aula. *Sed quæro.* Cuius consuetudinis ratio fuit; quia propter rigorē huiusmodi pęnæ, multi se retrahebant ab accusando: atque ita delicta remanebant impunita; pauci enim reperiebantur, qui cum tanto capitis sui periculo, vellent accusationes criminales proponere. Et ideò consuetudo, reiectis his pœnis, & difficultatibus, admisit quoscunque ad querelandum, absque eo, quod se subscriberent ad pœnam talionis. Nota verò, quod licet hæc pœna sit sublata; si tamen aliquis faceret capi aliquem, qui esset innocens, & appareret, quod id fecisset querela falsa, & per calumniam, vt illū decapitari faceret, fortè ipse non euitaret similem pœnam.

QVAESTIO LXXXII.

De pœnis statutarijs.

Vers. 1. QVIA hucusque dictũ est, de pœnis à Iure communi impositis, de pœnis statutarijs venit nunc differendum.

Statutum Primum.

Circa damna data.

Quod villa. LICET de Iure dicatur decisum, quod villa tenetur, pro damnis datis in eius territorio, quando ignoratur quis damnum dederit; aut quando scitur, sed reus non est soluendo,& villa potuit illud prohibere, & non prohibuit: Attamen in hac materia vbi extat statutum, illud seruandum est.

Quæro nunquid. Nota tamen, quod stante tali statuto,non probabitur damnum datum, ex iuramento ipsius damnum passi. Et licet statutum disponat, stãdum esse dicto, siue iuramento damnũ passi; poterit nihilominus contra tale dictum, seu iuramentum probari.

Sed quid si. Si damnum datum sit,in confinibus duarum villarum,vtraque tenetur: Vnica tamen solutio sufficiet.

Absentes tempore maleficij, etiam tenentur ad dãnum. Nota, quod hæc materia damni dati non est propriè criminalis. *Item quæro.*

Statutum secundum.

Contra bannitos.

STANTE statuto, quod nemo det auxiliũ bannito, Aduocati, & Procuratores patrocinantes bannitum,non incidunt in pęnam statuti; quia videntur præstare auxilium Iuris ministerio. *Quæro nunquid.*

Si statutum prohibeat, quod nemo loquatur cum bannito sub aliqua pœna; scribens literas ipsi bannito, non incidit in pœnam statuti. *Quæro si.*

Vxor tenetur alere virũ bannitum, ex fructibus suæ dotis; & si non sufficiant, tenetur supplere ex bonis suis paraphernalib'. *Item quæro.*

Statutum tertium.

Circa matrimonia.

NON valet statutũ,prohibens contrahi matrimonium. Hinc est,quod statu- *Statutum.*

Hinc infertur. ſtatutum prohibẽs, matrimonium contrahi cum forenſi, & contrahenti pœnam imponens; nec valet, quo ad prohibitionem, nec quo ad pœnam.

Sed nũquid. Statutum Laicorum, diſponens quod filij non poſſint contrahere matrimonium ſine conſenſu patris, ſub pœna priuationis dotis, aut ſub alia pœna; licet de Iure non ſubſiſtat; Attamen vbi de conſuetudine obſeruaretur; non eſſet à tali obſeruantia, in iudicando recedendum: non quidem circa prohibitionem matrimonij; ſed circa pœnam priuationis dotis, & alias ab ipſo ſtatuto impoſitas.

Item quæro. Non valet ſtatutum, prohibens ſororem nubere, ſine conſenſu fratris.

Sed quæro. Statuta autem laicorũ, priuãtia filiam dote, caſu quo nubat indigno, ſine cõſenſu patris: valent, & sũt firmiſsima, neque de Iure Canonico reperiuntur correcta.

Statutum Quartum.

De turbata poſseſsione.

Quæro nunquid. INGREDIENS poſſeſſionem alterius, ex decreto Iudicis inualido, incidit in pœnas ſtatuti, de turbata poſſeſsione.

Statutum Quintum.

Circa alienationes.

VALIDVM eſt ſtatutũ, prohibens rem immobilem, alienari in forenſem ſub certa pœna. Hoc tamen ſtatutum, non ligat clericos, neque eccleſias; & quatenus reſultat in eorum præiudicium, nihil valet: & multo minus, ſi prohiberet ſpecialiter alienanari, in eccleſias, vel eccleſiaſticas perſonas: nam tali caſu, diceretur expreſsè contra libertatem eccleſiaſticam; & ideò nihil prorſus valeret. *Statutum.* *Sed quæro.*

Stante huiuſmodi ſtatuto, cenſetur etiam prohibita, hæredis inſtitutio in forenſem. Non autem locatio, ſi eſt ad modicum tempus: ſed ſi fuerit locatio ad longum tempus, vtique etiam cenſetur prohibita. Ratio eſt, quia talis locatio, transfert vtile dominium in conductorem; & ſic æquiparatur alienationi. *Quæro nunquid.* *Sed nũquid.*

Si ſtante tali ſtatuto, teſtator legauerit forenſi aliquam *Sed pone.*

liquam rem immobilem: hæres tenebitur, præstare legatario æstimationem.


Item quæro. Nota, quod huiusmodi statutum prohibens alienationem, censetur etiam prohibuisse præscriptionem.

Sed quid si. Si non obstante statuto, facta fuerit alienatio, non censebitur translatum dominium in acquirentem. Licet enim non obstante statuto, transferatur possessio, secus est in dominio: qa tale statutum, impedit dominij translationem.

Quæro etiã. Si statutum prohibeat, quod aliquis non alienet rem immobilem in forensem, neque alienanti consentiat, sub pœna; & aliquis cesserit forensi, actionem ad rem immobilem, (quæ computatur etiam inter immobilia;) præstans illi consensum, non incidit in pœnam statuti.

Sciendũ est. Nota, quod tale statutum, habet locum solummodo in alienatione voluntaria; non autem in necessaria.





Statutum sextum.

Circa delationem armorum.

Quæro stat. STANTE statuto, impo nente aliquam pęnam ei, qui fuerit inuentus cum armis. Licet aliquis detulerit arma, si tamen non fuerit captus cum illis, nõ dicitur inuentus; & consequenter nõ est puniendus pœna statuti. Et generaliter, deferens vestes, aut res prohibitas ex ordinib⁹ contra formam statuti, nõ incidit in pœnam, nisi depręhendatur cum ipsis rebus prohibitis.

Sed quid si. Hinc infertur, quod si statutum puniat depræhensum cum armis; ille qui cũ eis non fuerit captus; licet testibus conuictus, quod ea detulerit, non punietur pœna statuti: & ita obseruatur. Bene verũ est, quod si statutum diceret, quod posset etiam procedi per inquisitionem; (vt communiter dicitur ĩ edictis, quæ fiunt in hoc Ducatu) tunc vtique puniri deberet, etiamsi non esset cum armis deprehensus.

Quæro num quid. Armorum appellatione, non censentur prohibita ar-

Et scias. arma defensiua. Et nota, quod licet de Iure, appellatione armorum, veniant etiam fustes, & lapides: nihilominus tamen, cum ex communi vsu loquendi, saxa, & lapides, non intelligantur appellatione armorum: ideò edicta prohibentia, delationem armorum, non comprehendunt saxa deferentes: & ita rescripsit Senatus; & etiam aliàs declarauit, quod cultellus non venit appellatione armorum.

Pone. Quando in statutis, & edictis prohibentibus arma deferri de nocte; apponitur tempus præcisum: verbi gratia, post pulsatam secũdam horam noctis; vel post pulsatam tertiã campanam: si in nocte Iouis, aut Veneris sancti, in quibus non pulsantur campanę, fuerit aliquis repertus cum dictis armis prohibitis, non tenebitur pœna edicti.

Item quæro. Deferens arma prohibita itinerando, & sic ad vsum itineris, non debet puniri pœna statuti; & ita practicatur.

Quæro etiã. Licet de Iure, qui habet domi arma prohibita puniatur; hoc tamen non est in vsu.

Nota, quod regulariter portans arma prohibita, debet ea perdere. Et etiam officialis, qui inuenit aliquem cum armis prohibitis, potest illa frangere: & ita obseruatur. *Scias aut.*

Statutum septimum.

Circa Blada.

STATVTVM, quod blada non exportentur extra territorium, validum est, etiam quo ad amissionem rerum. In hoc autem Ducatu, non solum est imposita pœna amissionis rerum, sed etiam pœna furcarum, & confiscationis bonorum, & super hoc erect' est Magistratus Præfectorum annonæ. Bene verum est, quod raro seruatur rigor ipsarum constitutionũ vt scilicet, fraudatores suspendantur; sed solent vt plurimum, admitti ad compositionem. *Statutum.*

Nota; quod talia statuta prohibentia blada, aut carnes, aut alias merces exportari, ligant etiam forẽses. Ratio est; quia cum vigeant per totam ferè Italiã, non videtur prætextu ignorantiæ excusandus, qui contra ea deliquerit. *Quæro nunquid.*

Nota

Item quæro. Nota deinde; quod licet de Iure huiusmodi ſtatuta, non ligent portantes dictas merces per tranſitum. De conſuetudine tamen, (Apud nos) ſeruatur totũ contrarium. Et ideò, illi qui volunt per tranſitum conducere, tenentur impetrare licentiam à Magiſtratu.

Vlterius quæro. Nota rurſus; quod neq; etiã de Iure, tale ſtatutũ, comprehendit exportantem pro vſu ſuo. Attamen, apud nos ſeruatur oppoſitum: nam tales etiam pro vſu ſuo exportantes, puniuntur prout cæteri omnes.

Sed Pone. Suppoſito tamen, quod ſtatutum expreſsè permittat, exportari ꝓ vſu ſuo: ſi aliquis exportauit animo conſumandi pro vſu ſuo, deinde mutato propoſito illud vendiderit, nullo modo incidit in pœnam; & ita quotidie obſeruatur.

Præterea. Stante huiuſmodi ſtatuto, extrahens farinam punietur etiam ipſius pœna: aliàs enim de facili fieret fraus legi.

Sed hic quæro. Si ſtatutum puniat eũ, qui fuerit inuentus exportare bladum, non punietur aliqs, niſi fuerit ꝑſonaliter apprehenſus, licet teſtibus conuincatur.

Pone quod. Quando quis exportat bladum extra territoriũ, ſi deprehenſus eſt in itinere priuſquam exeat; Apud nos indiſtinctè obſeruatũ; vt conſtito, quod exportabat illud extra territoriũ, perinde puniatur, ac ſi exportaſſet.

Vltimo quæro. Si ſtante hoc ſtatuto; aliquis exporret ſimul, merces licitas cum illicitis; ſolum illicitæ perduntur, & confiſcantur; niſi verba legis, vel edicti aliud expreſsè diſponerent.

Statutum Octauum.

Quod pro aliquo delicto, bona delinquentis deuaſtentur.

Plerumque. PLERVMQVE in ciuitatibus, pro aliquo graui crimine: verbi gratia, rebellionis, proditionis, vel huiuſmodi, imponitur pœna delinquenti, ut eius bona deuaſtentur: quod quidem ſtatutum de Iure non ualet; de conſuetudine tamen, communiter obſeruatur. *Sed quæro.* Et ſic quando tali caſu, delinquens habet plures domos in communi cum alijs, debent bona diuidi, & deſtrui tantum illa,

quæ

Sed quid si. quæ contingent in partem delinquentis. Si autem delinquens, habeat partem inferiorem unius domus, & alius habeat superiorẽ; tunc nõ est tota domus destruenda, sed debet pœna commutari.

Sed Pone. Si uxor condemnati, in prædictis casibus comparuerit, & pro interesse dotis suæ, se opponat huiusmodi deuastationi. Licet de iure uideatur dicendum, qđ possit talem deuastationẽ impedire, pro summa suæ dotis: nihilominus tamen, de facto contrarium obseruatur. Bona enim condẽnati, deuastantur iuxta dispositionem statuti, & Fiscus de suo satisfacit uxori, & cæteris creditoribus.

Statutum Nonum.

Augens, uel minuens pœnam.

Quæro nunquid. STATVTVM duplicans pœnam pro maleficijs, habet etiam locum in blasphemia, iniuria verbali, & alijs delictis, quæ verbo, aut scripto committuntur.

Hoc statutũ. Statutum duplicans pœnam, percutienti in domo Potestatis, habet etiam locum, in percutiente in cõfinibus ipsius domus.

Quando aliquod statutum, duplicat pœnam in delictis commissis de nocte, & aliud statutum in delictis commissis in platea: si aliquis deliquerit de nocte, & in platea, non debet ei duplicari duplicatio; sed tantummodo, debet ei duplicari illa simplex pęna, quæ pro delicto erat imposita. *Pone stat.*

Nota verò in hoc proposito: quod quando statutũ non determinat expressè, quando dicatur dies, vel nox: puta, ad sonum campanæ, vel huiusmodi: tunc standum est arbitrio Iudicis, qui considerabit, an esset tanta claritas, vt attribuendum sit diei; an tanta obscuritas, vt sit attribuendum nocti. In dubio autẽ, mitior pars sequẽda est. *Quæro quomodo.*

Stante statuto, quod cui spontè cõfitetur delictum, diminuat pœna: licet quis primò negauerit, se delictũ commisisse, si postea confiteatur, gaudebit beneficio statuti. Ratio est; quia quolibet tempore fiat confessio, verificatur conditio requisita ab statuto; quod scilicet spontè con- *Stante.*

fessus fuerit, quæ non impeditur, per negationem primo loco factam.

Statutum Decimum.

Puniens insultum.

Statutum. STATVTVM puniẽs, facientem insultum ad domum, habet etiam locũ in faciente insultũ, ad porticum domus.

Item quaro. Et nota, quod si aliquis fuerit insultatus in domo, quam habet communem cum alio, dummodo non sit communis cum ipsomet insultante, habebit locum statutũ. Quia militat ipsius statuti ratio, non minus in domo communi, quam in propria; vt scilicet, domus sua, vnicuique tutum refugium esse debet.

De dubijs statuti. xi. punientis percusiones, vel vulnera. De xij. contra homicidas. De xiij. contra fures. De xiv. & vltimi, disponentis de statutis pœnalibus in genere, suis particularibus locis plenisimè dictum est.

QVAESTIO LXXXIII.

De Pœnis Arbitrarijs.

QVANDO in delictis non est à Iure imposita, aliqua certa, & determinata pœna, tunc irrogatur pœna extraordinaria, arbitrio Iudicis imponenda. *Vers. 1.*

Iudex male iudicans ex imperitia, tenetur parti arbitrio Iudicis. *Iudex.*

Duo adsunt tituli, in materia criminum extraordinariorum. Vnus de extraordinarijs criminibus, & alter de crimine stellionat⁹: de quibus aliqua possunt videri exempla. Inprimis igitur, si quis imposturam fecerit; poterit stellionatus postulari. Et sic quidam impostores, qui torquibus adulterinis, viatores decipiebant, fuerunt iussu Senatus fustigati, & eiecti à Ducatu. Alius etiam impostor, qui mentitus erat sexum, & manus debilitationem, iussus fuit fustigari, & eijci, sub pœna triremium. Et alius in ciuitate Tholosæ, quæ finxit se esse quendam maritum qui iam per multos annos aberat ab eius vxore; Et hac

In hac autẽ. *Si quis.*

hac impostura, cohabitauit cũ ea multos annos, & ex ea liberos suscepit: deinde cum rediisset verus maritus, et res cum summa difficultate detecta fuisset, fuit ille impostor suspẽsus, & flammis combustus.

Item publicam. Vim publicam, seu priuatam committens, hodie ex generali consuetudine punitur arbitrio Iudicis. Nota; quod lex Iulia de vi publica, punit vim inferentem cum armis: lex autem Iulia de vi priuata, vim inferentem sine armis. Hinc est, quod faciens insultum cum armis punitur lege Iulia de vi publica; etiam si solus, & non coadunato cætu, huiusmodi insultum fecerit.

Compellẽs. Si quis aliquem testari coegerit, violenter cum armis, punietur pœna legis Iuliæ de vi publica; si sine armis, pœna legis Iuliæ de vi priuata. Si verò non interuenerit violentia, sed solus metus; tunc punietur arbitrio Iudicis. Hæreditas autem, per metum alicui relicta, Fisco (vt supra dictum est) applicatur.

Osculum. Osculum inferens mulieri per vim, puniendus est arbitrio Iudicis, iuxta facti, & personarum qualitatem: qui tamen nunquam pro osculo, vel cum ui, vel sine vi illato, debet imponere pœnam mortis: nisi plusquam magnæ circunstantiæ, factum aggrauarent.

Exponens partum, punitur pœna extraordinaria. Senatus tamen absoluit quandam puellam nobilẽ, quæ vt infamiam euitaret, puerum quẽ pepererat exponi iusserat. *Partum.*

Pœna etiam extraordinaria puniuntur illi, qui superstitione numinis alios terrent. Et sic quidam qui miserat præcepta Vallis Iosaphat, fuit positus ad catenam infamem. Et alius, qui trãsmiserat quoddam præceptum, sub nomine Domini Nostri IESV CHRISTI, iussus fuit renunciare præcepto & fustigari. *Puniuntur,*

Extra ordinem pariter puniuntur, illi qui iniuriã alteri faciunt cõtra bonos mores. Et sic, quidam qui Amphoram stercore plenam, in quandam mulierẽ proiecit, fuit affectus duobus ictibus funis, licet haberet remissionem à muliere, & etiam ab eius viro. *Itẽ puniẽdi.*

Nota, quod si aliquis do- *Terminos.*

losè terminos mouerit, sciens esse terminos, causa iurium occupādorum, si est noblis relegāt ad tēp⁹, si est vilis fustigatur, & relegatur per biennium. Ille verò, qui illos mouet causa fines offuscandi, punitur pœna arbitraria. Qui autem illos mouet dolo malo, non quidem animo occupandi cōfinia, neque ea offuscandi, neque lites ad sui commodum suscitandi, sed alia ex causa: puta, vt lapides ipsos furetur, vel ut alijs negocium facessat, punitur pœna quinquaginta aureorum.

Sed quæro. Quando pœna est à lege Iudicis arbitrio remissa, non potest Iudex arbitrari pœnam mortis: & hæc est mitior, & tutior conclusio. Nota tamē, quod casu quo posset vsque ad mortem arbitrari; intelligendum est tale arbitrium, vt procedat modo qualitas delicti, aut circunstantiarum sit talis, vt de Iure communi, vel de consuetudine, esset pro eo delicto pœna mortis imponenda: aliàs secus.

Præterea. Nota deinde; quod si statutum diceret, vt pro tali delicto, Iudex imponat pœnam centum, vel aliam maiorem, vel minorem arbitrio suo: debet eo casu Iudex, imponere pęnam similem, & sic pecuniariam; nō autē pęnam capitalem.

Nota rursus; Quod Iudex, etiam habens arbitrium, debet in pœnis imponendis, seruare modum consuetum. Si enim pro leui delicto, imponeret pœnam excessiuam, poterit reus appellare, & superior reducet illam pœnam, ad cōgruum modum: & ita practicatur. *Scias etiā.*

Tandem nota; quod si quis reperiatur condemnatus in contumaciam, in pęnam arbitrio Senatus imponendam; & petat à Senatu declarari arbitrium; non solet Senatus id facere, nisi prius ille se in carceribus constituat. Ratio est, quia aliàs posset declarationem faciendam eludere, præsertim si Senatus arbitraretur pœnam corporalem. *Et notā.*

Aliud est etiam, genus pœnarum arbitrariarum, quæ pœnitentiales appellantur: & sunt illæ, quæ secundum Canones imponi deberent, per confessores in foro pœnitentiali; quæ quidem pęnæ, hodie sunt remissæ arbitrio sacerdotum. *Aliud est.*

QVAE-

QVAESTIO LXXXIV.

De aliquibus conclusionibus, quas Iudicem scire oportet.

Vers. 1. POSTQVAM de pœnis dictum est, de sententijs pœnalibus dicere oportet; circa quę, aliqua notabilia animaduertēda sunt: & in primis; quod regulariter in pœnis criminalibus, nūquam potest quis puniri corporaliter, nisi dolus interueniat: nec sufficit lata culpa. Nam quādo agitur de imponenda pœna mortis, vel mutilationis membri, aut de alia quacunque pęna corporali, lata culpa non æquiparatur dolo.

Hinc infertur, quod si statutum disponat, quod homicida sit decapitādus, debet intelligi, dummodo homicidium sit commissum dolo, non autem culpa. Pro culpa vero punitur delinquens, quando culpa præcessit delictum, non autem aliàs. Bene verum est, quod etiam aliquādo, Senatus iussit puniri aliquos corporaliter pro lata culpa; licet non eadem pęna, qua punirentur pro dolo, sed alia leuiori: regulariter tamen pro culpa non solet aliquis corporaliter puniri.

Quæ dicta sunt de pœna corporali, habent etiam locum in pœna infamiæ. Quia fama, & vita æquiparantur. Et ideò condemnatus propter culpam, non efficitur infamis ex tali sententia. *Quæ autem.*

Nota deinde; quod regulariter plura delicta, simul concurrentia, omnia puniri debent. Pro faciliori autem intelligentia huius conclusionis, distinguēdi sunt duo casus. Primus est, qnando quis plura delicta, eiusdem generis committit: puta, quia plures ꝑcussiones, vel plura vulnera infert alicui; & hoc casu, siue id faciat ex interuallo, siue eodem tempore: & siue statutum loquatur per verba si percusserit, vel vulnerauerit; vel per verba, quod pro qualibet percussione, vel vulnere; semper punitur delinquens, secundum numerū percussionum, vel vulnerum. Et hoc, siue illata sint eodem ictu; facto scilicet, cum bidente, vel alio instrumento biforcato; aut *Scias etiam.*

plu-

pluribus ictibus. Quando tamen super huiusmodi casibus, orta fuerit dubitatio, poterit Iudex se informare à peritis, super interpretatione, quam talia statuta habuerunt à consuetudine, & secundum illam iudicare.

Alius est. Secundus casus est, quādo delicta sunt diuersi generis; & tunc, si committantur ex interuallo, indubitatum est, quod omnia punienda sunt. Si verò facta fuerint eodem tempore, & ad eundem finē tendant, punitur delinquens solummodo pœna maioris delicti: verbi gratia, si extent in ciuitate tria statuta; vnum puniens delationem armorum in centum; aliud puniens insultum in centum: aliud puniens vulnus in centum: & aliquis insultet alium cum armis, & vulneret; non punietur in omnibus istis pœnis; sed solummodo in centum pro vulnere. Ratio est, quia pęna insultus, & armorum, confunditur cum pœna vulneris: minora. n. delicta confunduntur cum maiori; & ideò solum maius delictum punitur: ac ita obseruauit Senatus.

Sed Pono. Si aliquis aggressus fuerit alium, animo tantum illum vulnerandi, & vulnerauit: deinde ex aliquo dicto, vel facto vulnerati, superuenit nouus impetus vulneranti, & mutato proposito illum occidit: licet tali casu duplex fuerit impetus: scilicet, primo vulnerandi, & deinde occidēdi: Attamen de vniuersali consuetudine, (quicquid sit de Iure) punietur tantum de occiso. Ratio est, quia ex vnitate rixę, min' delictum, cum maiori confunditur. Et pœna homicidij, (quæ est mortis, & confiscationis bonorū) absorbet omnes alias pœnas corporales, & pecuniarias: & ita practicatur.

Nota rursus, quod propter reiterationem delictorum, vel consuetudinem delinquendi, nunquam est augenda pœna ordinaria: & ita obseruat Senatus. *Sed hic incidenter.* Nam in delictis non capitalibus, nunquam propter quamcunque reiterationē solet pęnam mortis imponere, sed tantummodo, vel torturam atrocius inferre, vel ad extraordinariè puniendum grauius arbitrari.

Tandem nota, quod plures delinquentes simul, cō- *Vltimo quæro.*

tra vnum, omnes tenentur insolidum.

QVAESTIO LXXXV.]

De pœnæ impositione, & quæ sint in ea animaduertenda.

Vers.1. MAGNA solet quandoque, propter diuersitatem fori; originis, domicilij, vel delicti, & eorum locorum Iura, vel statuta, diuersas pęnas imponentia, in faciendis condẽnationibus oriri dubitatio: an scilicet, Iudex debeat imponere pœnam loci originis, vel delicti; & an pęnam Iuris communis, vel statuti. Ad cuius articuli intelligentiam, distinguendi sunt nõnulli casus.

Primus est. Primus est, quando Iudex loci delicti, procedit contra delinquentem; qui est etiam sibi subditus, ratione originis, seu domicilij: & hoc casu indubitatum est, quod reus est puniendus, secundum leges, & statuta ipsius loci.

Secũdus est. Secundus est, quando Iudex loci delicti, procedit contra forensem, qui deliquit in suo territorio. Et hoc casu, quando pro eo delicto, non reperitur imposita alia pęna per statuta locorum, quam ea quæ est imposita à Iure communi, indubitatum etiam est, quod reus forensis, debet puniri secundum dispositionem Iuris communis. Quando verò statutum loci delicti, imponit pro eo delicto pœnam de per se, non habito respectu ad Ius commune; tunc distinguendum est: nam aut delictum non est prohibitum de Iure communi; sed solummodo secũdũm statuta ipsius ciuitatis, vel loci: Et tali casu, non punitur forensis, nisi fuisset sciens; vel ignorantia esset supina. Aut verò delictum est prohibitũ etiam à Iure communi; & eo casu, potest forensis delinquens puniri, pęnis contentis in statuto; siue sciuerit de statuto, siue ignorauerit, etiam ignorantia probabili. Quod tamen intellige, vt procedat in pęnis secularibus; secus autẽ in pœna spirituali, prout est pęna excommunicationis à statuto imposita: illa enim, non ligat probabiliter ignorantes, etiam in actu à Iure cõmuni prohibito.

Si tamen delictũ de quo *Sed quid si.*
agitur,

ágitur, non fuerit prohibitum à Iure communi; sed tamen per totam prouinciam, vt plurimum vigeant statuta illud prohibentia; prout est, ĩ extractione frumenti, quæ communiter p totam Italiam prohibita est, per statuta ciuitatum: tali casu (quicquid sit de rigore iuris) standum est Iudicis arbitrio, qui inspecta facti, & personarũ qualitate, pro sua religione decernat, an forensis plectendus sit pœna statuti, vel in totum excusandus, vel saltem pœna ex aliqua parte temperanda. In hoc Ducatu, sępissimè excusantur forenses, qui moram non traxerunt in Dominio, à pœna imposita, contra deferentes archibusios rotatos; & his similia. Et ideò vbi aliquo modo posset ignorantia dici probabilis, semper in mitiorem partẽ debent Iudices inclinare.

Tertius est. Tertius casus est, quande Iudex originis, vel domicilij, procedit cõtra subditum suum, qui deliquit extra territorium: quo casu, ad intelligendũ, an scilicet posit imponere pęnã statuti loci originis, vel domicilij; & sic, an statuta imponentia pęnam pro delictis, comprehendant, subditos delinquentes extra territorium, distinguendum est. Nam aut statutũ expressè loquitur, de delinquentibus extra territoriũ & tunc comprehendit etiã eos, qui extra territorium delinquunt. Aut verò loquitur simpliciter, & tunc Iudex originis, vel domicilij, non potest punire subditum, delinquentem extra territorium; nisi secundum pęnã, impositam à iure cõmuni, vel secundum statuta loci in quo deliquit, nõ autem secundum statuta ipsius loci, originis, vel domicilij: & ita obseruat Senatus. Vbi enim potest haberi notitiã statutorum loci delicti, semper imponitur illa pœna; licet per constitutiones huius Ducatus, alia pœna esset imponenda.

Nota; quod si pro maleficio, sit imposita aliqua pœna per Ius commune, uel aliam legem antiquam; & deinde, fuerit condita lex noua, uel statutũ, imponẽs aliam pęnam pro eodem maleficio; tali casu imponẽda est pœna statuti, aut legis nouæ. Per ipsã .n. pœnæ Iuris antiqui derogatˉ. *Debet etiã.*

Quan-

Solet etiam. Quando à lege, vel statuto, sunt impositæ plures pœnæ alternatiuæ, pro aliquo delicto. Ad intelligendũ an tali casu electio sit Iudicis, an rei; distinguendi sunt tres casus. Primus est, quãdo verba legis, vel statuti, sunt directa ad Iudicem: verbi gratia, si aliquis commiserit tale maleficium, Iudex faciat illum fustigari, vel condemnet in tot scutis; & tunc electio est Iudicis. Et ratio est, quia lex dirigendo verba ad Iudicem, censetur etiam ei dedisse arbitrium eligendi. Secundus casus est, quãdo verba legis, vel statuti dirigũtur ad reum: verbi gratia, ille qui fecerit tale maleficium, soluat decem aureos, vel relaxet Fisco, tertiam partem bonorum suorum mobilium: & tunc, ex quo lex dirigendo verba ad reum, videtur etiam ei dedisse optionẽ; dicendum est, quod arbitrium eligendi, spectat ad ipsum reum. Tertius est casus; quando verba non sunt directa, neque ad Iudicem, neque ad reum; sed sunt impersonaliter prolata; & hoc casu, Aut vtraq; pęna est corporalis: puta, quia lex dicat, quod ꝓ tertio furto quis suspẽdatur, vel decapitetur: & tunc electio est Iudicis non rei; adeò quod, nec potest Iudex etiam si velit, relinquere ipsi reo optionem. Aut traque pœna est pecuniaria: v.g. si pro furto sit pœna decem aureorum, aut amissionis tertię partis bonorum mobilium: & eo casu electio est rei. Aut tandem altera pœna est corporalis altera pecuniaria: verbi gratia, quando pœna ꝓ delicto, est trium ictuum eculei, vel ducentũ aureorum; & hoc etiam casu electio pœnæ, est in arbitrio rei; an velit soluere pecuniariam, vel subire corporalem: & ita censuit, & rescripsit Senatus. Quæ tamen omnia intellige, vt ꝓcedant, nisi aliud ex verbis ipsius legis, vel statuti colligi posset: puta, quia lex diceret secundum qualitatem personarum; vel inspecta facti qualitate, vel huiusmodi: hoc enim casu, cum adhibenda sit causæ cognitio, indistinctè ad Iudicem pertinet electio.

Stante statuto, quod vulnerans puniatur in centũ libris, quas si non soluerit intra decem dies, ampute- *Sed hic quæro.*

Rr tur

tur ei manus dextra; si condemnatus non soluit in termino, poterit Iudex omittere pœnam corporalem, & facere executionem, pro centum libris in bonis rei.

Successiuè. Stante etiam statuto, quod non comparens ponatur in banno, de quo nõ eximatur, donec soluerit cõdemnationem librarum mille; si aliquis vocatus nõ comparuerit, cuius contumaciæ causa, fuerit positus in banno, & condemnatus in mille: si ipse voluerit stare in banno, & non soluere condemnationem, non poterit Fiscus facere executionem pro libris mille. Est enim in ipsius rei electione, aut stare in banno, aut soluere condemnationem: & ita practicatur.

Vbi agitur. Nota, quod vbi agitur de imponenda pœna, alicuius particularis cõstitutionis, oportet quod in illo casu, verificentur omnes qualitates, in ipsa constitutione expressæ; aliàs pœna nõ committitur.

Vlterius quæro. Iudex potest ex causa, minuere pœnã ordinariã, siue agatur de pęna imposita per Ius commune; siue de imposita ab statuto. Hãc tamen conclusionem intellige, vt procedat in maioribus magistratib⁹: illi enim, possunt pœnas statutarias minuere ex causa, siue talis causa sit cohærens delicto, siue sit causa extrinseca. Minores autem magistratus, bene possunt minuere pœnam, ex causa cohærente delicto: sed si volunt pęnã alterare ex causa extrinseca, debent Principem cõsulere: nisi consuetudo Prouinciæ aliter se haberet; nã eo casu, talis consuetudo sequenda est. Intellige deinde hanc conclusionem, vt procedat ante sententiam. Caueant tamen Iudices, ne id sine iusta causa, & iure approbata faciant: nam Iudex, qui in causis criminalibus, minorem pęnam impo nit; quam de Iure imponere debet, est infamis: Vltra quod debet puniri eadem pęna, qua erat puniendus reus.

Licet videatur dicendũ, quod Iudex, qui minuit pœnam, à lege, vel statuto impositam, debet exprimere causam in sententia, propter quam mouetur ad illã minuendam. Attamen sufficit, quod dicat id facere, ex iustis causis animum suũ mouentibus; absque eo qđ causam exprimat in specie.

Licet

Licet etiam de Iure, quando pœna ordinaria, ex aliqua causa minui debet, nō possit imponi pœna corporalis: hoc tamen de consuetudine non seruatur. Nam plerunque Senatus, minuendo pęnam ordinariam, trāsmittit delinquentes, ad triremes ad tempus, & quādoque etiam in perpetuum.

Non omitto. Tandem nota; quod quādo delinquens non est capax pœnæ, quæ à Iure imponitur pro delicto; tunc potest Iudex illam, in aliam commutare. Hinc est, quod si ex forma statuti, seu aliàs, alicui reo esset amputanda manus dextra, & ipse non habeat manum dextram, vel habeat illam aridam, debet officio Iudicis, illa pęna in aliam commutari. Propterea, quandoq; Senatus iussit fustigari quēdam, pro delatione armorū prohibitorum; eo quia cū esset gibbosus, non potuit affici pęna edicti, quæ erat trium ictuum funis. Quandoque ex hac causa, mutauit ictus funis, in fustigationem, vel alligationem ad catenam infamem; vel exilium, iuxta qualitatem facti, & personarum. Et quandoque pęnam triremium, in exilium. Decreuit etiam Senatus, quod pęna ictuum funis publicè, non sit irroganda mulieribus: & ideò, Iussit admitti ad compositionem, quasdā meretrices, qui ludum prohibitum luserāt. Bene verū est, quod in hoc Ducatu, non liceret Iudici inferiori hoc facere, nisi consulto Senatu. Et propter hoc, fuit grauiter reprehensus quidam Prætor; qui fecit alligari catenæ infami, quēdam condemnatum in pœnam duorum ictuum funis; eo prætextu, quod esset Herniosus.

QVAESTIO LXXXVI.

An vnus pro alio puniri possit.

REGVLARITER, vn⁹ pro alio puniri non debet. Ex qua conclusione infertur, quod dominus non tenetur, ex delictis famulorum suorum. Ratio est, quia culpa seruorum, vel quomodocunque subditorum, non debet esse nociua dominis suis: nisi casu quo dominus teneret in domo, uiros notoriè scelestos: & malæ vocis, & famę; nam eo casu vtique teneretur

Vers. 1. *Hinc infertur.*

tur pro eorum delictis. Et nota: quod quicquid facit famulus, occasione domini, eoque sciente; censetur fecisse de eius voluntate. De his autem delictis, quæ famulus facit domino inscio, vel prohibere non valente, dominus non tenetur.

Secundo infertur. Infertur secundo, quod neque etiam Pater tenetur pro filio. Et propterea, si filius fuerit condemnatus, pro aliquo delicto, nõ tenebitur pater soluere huiusmodi cõdemnationem; neque etiam ex legitima, debita ipsi filio post mortem patris. Quinimò quod magis est, pro delicto filij, non potest fieri executio, in peculio aduentitio ipsiusmet filij, neque etiam in eius proprietate, licet sit tota filij.

Scias tamẽ. Nota verò; quod quicquid facit filius occasione patris, & eo sciente, præsumitur factum de eius voluntate.

Et hac quidem. Supradictis non obstantibus, (quæ procedunt de plano, secundum dispositionem Iuris cõmunis) validum erit statutum ex causa, quod vnus puniatur pro alio; dummodo pęna non sit corporalis, sed solum pecuniaria. Imò etiam, potest aliquis pro alterius culpa, puniri pęna infamię. Quod quidem licet durissimum sit: nam apud bonos viros, honor, & vita æquiparantur; potest tamen tollerari in crimine læsæ Maiestatis, propter eius immanitatẽ.

Ex hac conclusione infertur, quod valet statutum disponens, vt dominus teneatur pęna pecuniaria, pro familia delinquente. *Et ex hac.*

Infertur etiam, quod potest lex humana, propter publicam vtilitatem, & ex causa, statuere; vt propter parentum culpam, filij, vel nepotes, pœna amissionis bonorum, vel alia simili afficiantur. *Infertur.*

Valebit etiam proculdubio, statutum disponens, quod pater teneatur, soluere cõdemnationem pro filio, vsque ad legitimam. *Valebit.*

Nota tamen, quod huiusmodi statutum non habebit locum, quando filius fuerit condemnatus in cõtumaciam; virtute alterius statuti disponentis; vt contumax habeatur pro confesso, & conuicto; sed tantummodo, quando filius præsens in Iudicio, & factis defensionibus, fuerit per veras probationes conui- *Sed quæro.*

uictus. Vbicunque enim ex ſtatuto, pater obligatur pro delicto filij; vel filius ex delicto patris, ita demũ vnus pro alio tenetur, ſi verè conſtet de delicto.

Hæc intellige, vt procedant, quando verba ſtatuti ita ſunt concepta, vt appareat ſtatuentes voluiſſe patrem, ex ipſo delicto filij teneri: verbi gratia, quia dicant; quod vbicunque filius aliquod delictum commiſerit, pater teneatur ad ſoluẽdum &c. nam eo caſu, vtique opus eſt, vt de ipſo delicto verè appareat. Quãdo verò verba ſtatuti, non delictum, ſed condemnationem reſpiciunt: verbi gratia, quia dicunt, quod pater teneatur ſoluere quãcunque condemnationem, factam contra filium; tali caſu ſecuta condemnatione, ſiue contra filium præſentem, ſiue in eius contumaciam, poteſt pater cogi ad illam ſoluendam. Cæterum, ſi filius compareat, & eius confeſsione, vel alijs probationibus conſtet de maleficio; tunc, vtique pater tenebitur virtute huius ſtatuti, etiam ſi in eo Iudicio citatus non fuerit.

Ex hac etiã. Tandem ex hac concluſione infertur, valere ſtatutum, quod villa teneatur, pro maleficio commiſſo in eius territorio.

QVAESTIO LXXXVII.

An ex ſola ſcientia delicti committendi, veniat aliquis puniendus.

IN ſententia condemnationis ferenda, debet Iudex animaduertere, non modo titulum delicti commiſsi; ſed etiam quæ ſit illa qualitas, de qua præcipuè imputatur delinquẽs: ſæpiſsimè enim contingit, quod in eodẽ crimine multi interueniunt, qui tamen omnes ſunt, diuerſis puniẽdi pœnis. Poteſt autem delinquẽs imputari; aut quod delictũ ipſum, proprijs manibus cõmiſerit; aut quod ſciens, ac particeps fuerit; aut quod de delicto faciendo tractauerit; aut conſilium, ſeu mandatum dederit; aut auxilium præſtiterit; aut maleficio ãſtiterit; aut illud poſtea ratum habuerit. Aliter etiam punitur delinquens, qui maleficium tantummodo attentauit, aliter maleficio iam cõſummato: de quibus omnibus, quia ſuper eis quo- *Verſ. 1.*

tidie

tidie in practica disputari contingit, breuiter videndum restat.

Et inprimis. Regulariter igitur, ex sola scientia delicti cõmittendi, nõ potest aliquis puniri: maximè quando scientia est in eo, qui non habet facultatem prohibendi. *Punctus est.* Est tamen speciale, in crimine læsæ Maiestatis; quod sciẽs tractatum proditionis, cõtra personã Principis, vel contra eius statum; & illũ non reuelans, debet puniri pœna mortis. Cuius specialitatis ratio, in his duobus casib⁹ esse potest; quia nemo negabit; quod si famuli scirent aliquos decreuisse de nocte, ingredi domum, & dominum suũ trucidare, idque ei non notificarent, dicerentur rei ei⁹ mortis. Idem igitur à fortiori, in subdito erga eius Principem, & ipsius statũ dicendum est. In alijs autem casibus, & tractatib⁹, licet sint comprehensi in crimine læsæ Maiestatis, nõ est puniendus pęna mortis subditus non reuelans; sed alia extraordinaria, arbitrio ipsius Principis: qui quidem, in huiusmodi casibus, potius humanitate, quam seueritate vti debet; & ex quacunque iusta, vel probabili causa, subditos excusare à pęna mortis.

Nota, quod non solum, *Dictum est.* quando quis prohibere nõ potest; sed etiam quando prohibere potest, nunquã ex eo, quod non prohibuerit delictum committẽdũ, venit aliquis puniendus, excepto (vt dictum est) casu læsæ Maiestatis. Et dato, quod in aliqua Prouincia, obseruaretur contrarium, hoc est, quod sciens teneretur prohibere, & defendere: nihilominus tamen, licet id non fecerit, non tenebitur in foro conscientiæ; ad emendationem damni.

Hæc omnia, quæ de sciẽ- *Hæc autem.* tia, & de eo, qui prohibere potuit, & non prohibuit dicta sunt; intellige vt procedant, quando sciens delictum committendum, illi non consensit: si enim consenserit, distingue. Aut est tantummodo simplex consensus; & non punitur. Aut uerò quis consentit delicto, per viã auctoritatis, & defensionis: verbi gratia Prælatus, qui dissimulat aliquem concionatorẽ in sua diœcesi, falsa dogmata prædicantem. Vel dominus Ciuitatis, aut Villæ, qui non perse-

persequitur latrones spoliantes, & occidentes eos, qui transeunt per suum territorium : nam tunc, plus puniri debet talis sciens, & consentiens, quam ipse delinquens.

Quod tamē intellige, vt procedat in similibus grauioribus delictis: in alijs enim minoribus, non maiori; sed tantum pari pœna punitur.

Hinc est, vt illud dictū; quod agentes, & consentientes, pari pœna puniuntur, intelligendum est: quando consensum, & auxilium præstiterunt ex proposito, ad committendum delictum.

Quero nunquid. Nota deinde, quod ad intelligendum, quando aliquis posit puniri pro ratihabitione: hoc est, quia delictum commissum ratificauit, animaduertendum est: Quod quædam sunt delicta; quæ solent committi principaliter, propter libidinem ipsius delinquentis: prout est, Adulterium, Stuprum, & huiusmodi: & in talibus delictis, non habet locum ratihabitio; nisi casu quo, facta fuissent animo principaliter iniuriandi : verbi gratia, si appareret Adulterium commisū fuisse, non propter libidinem Adulterantis; sed propter iniuriam mariti, ad alterius instantiam; nam tunc dici posset gestum nomine illius; & consequenter posset ratum haberi. Quædā vero sunt, quæ principaliter committi solent, ad offensam, & iniuriam alteri⁹; prout est, Homicidium, & huiusmodi; & talia delicta, possunt rata haberi per alium.

His sic positis; ad hoc vt ratificatio delicti obliget ad pœnam, duo requiruntur. Primum, quod delictum fuerit commissum nomine meo. Secūdum, quod ego sciens illud commisū fuisse meo nomine, illud tā quam meo nomine factum ratificem. Bene verum est, quod in dubio, ex eo quod quis ratum habet aliquod delictum, censetur illud ratum habere, vt nomine suo gestum. Et ideo opus est, vt ratum habens, probet quod non fuerit gestum nomine suo. Quod nota.



QVAE-

QVAESTIO LXXXVIII.

An ex consilio, ad delinquendum dato, veniat aliquis puniendus.

Vers. 1. QVANDO aliquis, dat alicui consilium vt delinquat; Ad hoc vt intelligatur qualitas delicti, & quantitas pœnæ infligendæ, distinguendum est. Aut enim ille cui consilium dedit, non erat aliàs ipsum delictum commissurus: & tunc consulens, pari pœna cum delinquente punitur. Aut verò, ille nihilominus erat patraturus delictum, & eo casu, consulens nõ est pari pœna, cum delinquente puniendus, sed mitiori.

Hoc autem. Hoc idem, quod dictum est in consulente; habet etiam locum in exortante: nam exortans aliquem, vt committat delictum, tenetur & ipse; si ille aliàs non fuisset commissurus: si uerò fuisset aliàs commissurus, non tenetur. Senatus tamen, solet huiusmodi exortatores, seu persuasores delictorum, prius torquere super mandato, & vbi negent mandatum dedisse, illos punire extra ordinem. Et ita obseruauit in quadã muliere, quæ persuaserat adultero, vt virũ suum interficeret; nam pri' torta super mandato, cum nihil fassa fuisset, iussa fuit fustigari.

QVAESTIO LXXXIX.

An ex mandato delinquenti dato, debeat aliquis puniri.

MANDANS fieri delictum, debet puniri eadem pœna, qua puniẽd' est mandatarius ipse, qui delictum commisit: & ita obseruauit Senatus. *Vers. 1.*

Stante statuto, puniente facientem delictum: animaduertendum est; quod aut statutum loquitur in personam: verbi gratia, si quis occiderit; si qs vulnerauerit, &c. & tali casu non comprehendit mandãtem. Ratio est, quia mandans non dicit propriè facere, sed interpretatiuè. Aut verò loquitur in rem; scilicet in ipsum maleficium: verbi gratia, pro maleficio sit pœna mortis: & hoc casu, vtique *Sed quære.*

que comprehendit mandãtem. Nota verò, quod si in aliquo loco, statutum recepisset talem interpretationem à consuetudine; quod scilicet, quando etiam loquitur in personã, comprehenderet mandantem: eo casu, talis interpretatio esset obseruanda.

Scias antẽ. Nota, quod mandans homicidium committi, tenetur de homicidio propter mandatum: non autem ex mandato. Vtilitas huius conclusionis potest esse maxima: quia cum teneatur de homicidio propter mãdatum: hoc est, de delicto consummato causa, & occasione mãdati; sufficit quod in accusatione, vel inquisitione, ponatur locus, & tempus secuti homicidij; absque eo quod ponatur locus, & tempus dati mandati. Itẽ poterit puniri in loco commissi homicidij: Et scias in hoc proposito, qđ licet ignoretur nomen mãdatarij, potest procedi contra mandantem.

Pone aliquis. Si aliquis mandauit Titio, vt vulneraret Seium. & Titius illum occidit; tali casu distinguendum est. Nam aut mãdatum fuit ad percutiendum alapa, vel baculo, & tunc si mãdatarius occidat, non tenetur mandans de occiso. Ratio est, quia facilè poterat ille percutere, & nõ occidere. Nec etiam, si fuerit datum mandatum ad sfrisandum. Et Ratio est; quia licet sfrisatio sit vulnus: Attamen cũ fiat in facie cæsim; de sui natura non solet ex eo sequi mors. Et ideò cum appareat, quod talis mãdans iusit fieri actum, ex quo vt in plurimum non datur vulnus lęthale; propterea non ordinaria, sed pœna tantummodo extraordinaria venit puniendus. Quãdo verò mandatum, fuit ad vulnerandum; tunc si mandatarius occidat, ipse mandans tenetur de occiso. Quia vulnera non dantur ad mensuram, & nulla ferè est pars corporis præter faciem, in qua vulnus nõ possit esse lęthale: vt experientia docet.

Sed hic incidenter. Quando dominus, qui ab aliquo iniuriã accepit, dicit famulo, Vade, & nõ reuertaris domum, donec sentio nouum de tali: si ipse famulus postea illum occiderit, præsumendum est ex eo mandatum occidendi, ab ipso dño præcessisse: & hoc, siue iniuria facta

fuerit principaliter domino, siue ipsi famulo.

Sed quid si. Idem similiter dicēdum est, quando dominus, post acceptam iniuriam ab aliquo, loquitur ad aurem famulo, vel cōsanguineo suo; & paulo post, talis famul[9], vel consanguineus, illum interfecerit: nam eo casu, propter breuitatem temporis, præsumendum etiam est, dominum mandatum occidendi dedisse. In omnem tamen casum, dominus ex eo solo, non est puniendus pœna homicidij: nisi alia concurrerent adminicula; puta, quia dominus solitus esset similia facere, & quod iniuria esset talis, pro qua verisimiliter debuisset mādare illum occidi. Et sic in dubio, tutius erit torquere dominum; & etiam ipsum punire pœna extraordinaria, quam pœna mortis.

QVAESTIO XC.

An pro auxilio delinquenti præstito, debeat puniri auxiliator.

Vers. 1. TRIBVS modis potest auxiliator, pręstare auxilium delinquenti. Primò ante delictum. Secundò in ipso delicto. Tertiò, post delictum consummatum.

Posito igitur hoc fundamento; nunc ad intelligendum, qua pœna sit puniendus auxiliator, distinguendum est. Quod aut delictum commissum fuit, præuio tractatu, vel deliberatione, accedente consensu; vel saltem scientia ipsius auxiliatoris: & tunc, indistinctè puniēdus est auxiliator, eadem pœna qua principalis delinquens: & hoc, quocūque tempore auxilium præstiterit, siue ante delictum, siue in delicto, siue post. Ratio est, quia licet corpore, ipsi delicto nō interuenerit; animo tamen censetur interuenisse: præsertim si illud auxilium, erat vsque à principio destinatum: verbi gratia, quia auxiliator scienter promisisset, volenti alium interficere, accommodare equos, super quib[9] patrato delicto, posset fugam arripere; & huiusmodi. Aut vero non præcessit aliquis tractat[9], vel deliberatio; & tunc, si quidem auxiliator præbuit causam delicto, punitur eadē pœna. Si verò non dedit causā delicto, puniēdus est mitiori pœna, quam ipse principalis delinquens: pręsertim *Aut vero.*

sertim, si præstitit auxilium post cómissũ delictũ. Nam reuera propriè loquendo, prẹstãs auxiliũ post cómissum delictum, non dicitur verè auxiliator: & ideò regulariter, non est puniend⁹ ea pœna, qua principalis, sed mitiori. Aut tandem dubium est, nũquid prẹcesserit tractatus, siue deliberatio, saltem respectu auxiliatoris: & tunc auxiliator, est inprimis torquendus super ipsa deliberatione, aut tractatu, aut scientia delicti: & vbi nihil fateatur, debet adhuc pro ipso auxilio, puniri pœna extraordinaria. Maxima enim est suspicio contra eũ, qui præstitit auxilium delinquenti, etiam post commissum delictum, quod fuerit particeps, & conscius ipsius delicti committendi. Et ita seruauit Senatus, in causa cuiusdam imputati, de assistentia ad vulnera illata animo deliberato; fuit enim bis tortus super scientia; & cum perstitisset in negatiua, fuit absolutus.

Hoc tñ intellige vt ꝓcedat, nisi qualitas facti, & personarũ, aliud suaderet; puta, si nulla alia esset suspicio contra eum, neque affinitatis, neque amicitię, vel huiusmodi, & auxilium esset valde remotum, ab ipso actu maleficij; prout contigit in eo, qui commodauerat ballistam alteri, cũ qua ille deinde alium interfecit.

Licet in accusatione, seu inquisitione, non fuerit facta mentio de auxilio; nihilominus tamen, si in processu constabit de auxilio præstito, poterit fieri super eo condemnatio. Nam in criminalibus, licet ista qualitas auxilij, aut alia non sint expressa in libello, sufficit quod Iuris præsumptione, ex narratis in ipso libello colligatur. *In hac autẽ.*

Nota; quod quando sũt duo tantum, solet dici in inquisitione; Alter alteri auxilium, & fauorem præstitit, &c. Sed quando sunt tres, aut plures; tunc debet dici; Vn⁹ alij, vel alijs, auxiliũ præstitit &c. aliàs inquisitio non procederet: nam verbum alter alteri, secundum rectum sermonẽ, non conuenit, nisi duobus. *Item aduerte.*

Nota deinde: qđ si duo simul vulnerarũt aliquem, vel aliud maleficium fecerũt; ad hoc, vt possint puniri, nõ solum tanquam principales, sed etiam vt auxilia- *Aduerte ẽt.*

liatores non sufficit, quod in accusatione, vel inquisitione dicatur, quod alter alteri auxilium, vel fauorem præstitit; (nam illa verba intelligerentur, quod auxilium præstitit vulnerando, vel percutiendo; & sic solummodo posset de vulnere puniri, non autem de auxilio) sed requiritur, vt expressè dicatur; quod alter alteri, auxilium præstitit assistendo, vt alius delictum facilius committeret.

Scias etiam. Licet Bartolus, & alij teneant; quod ad hoc, vt possit procedi contra auxiliatorem, debet primo in processu constare, principalem deliquisse aliter quam ex ipsius contumacia. Attamen in hac prouincia, hoc non practicatur; nam secuta condemnatione contra principalem contumacem: & quandoque etiam ea nō secuta, semper proceditur cōtra auxiliatores, nulla facta distinctione, an aliter quam per contumaciā constet, principalem delictum ipsum commisisse.

Item scias. Quamuis in materia auxilij, non distinguatur, an delinquens aliàs fuisset facturus, vel non; nihilominus, vbi delinquens aliàs facturus fuisset, & auxiliator illi simplicem fauorem præstitit, est mitius puniendus.

Quando aliquis assistit armatus vulneranti, vel occidenti; si non assistit à longe, sed iuxta homicidam, vel cum eo, vtique dicitur ei præstare auxilium. Et etiam; vbi ex assistentia delinquens potuit reddi audacior, plerunque Senatus solet puniri assistentes; saltim aliqua pœna extraordinaria. Plerumque etiam iubet illos torqueri, & interrogari an scienter, & tractatè, maleficio astiterint. Quando autem appareret, quod aliquis astitisset, animo, & intentione, ipsos rixantes inter se diuidendi, & separandi, non esset aliquo modo puniendus. *Quaro nunquid.*

Receptatores furtorum, eadem pœna, qua ipsimet fures puniendi sunt. *Quaro etiā.*

QVAESTIO XCI.

An ex sola cogitatione quis puniatur.

INDVBITATVM est de Iure Ciuili; quod ex sola cogitatione, non est aliquis *Vers. 1.*

quis

quis puniendus; etiam in crimine lęsæ Maiestatis, nisi ad aliquem actum exteriorem processum fuerit. De Iure tamen Canonico secus est: nam in aliquibus casibus, etiam ex sola cogitatione quis punitur. Et potest poni exemplum in Hæresi; nam cum illud delictum, sola mentis cogitatione perficiatur; solent inquisitores punire etiam hæreticum in mente.

QVAESTIO XCII.

An puniatur affectus, licet non sequatur effectus.

Vers. 1. LICET de iure communi, puniatur affectus, & conatus ad delinquendum, etiam si non sequatur delictum. Attamen de generali consuetudine; nedũ in Italia, verum etiam per totum mundum approbata; non punitur affectus, neque conatus, siue attentatum, nisi sequatur effectus: & ita regulariter obseruat Senatus.

Nias tamẽ. Nota verò, quod in atrocissimis delictis, adsũt variæ opiniones, & sic distinguendum est. Quod aut lex, vel statutum, expresse punit in ipsis solum conatum; & tali casu seruanda est. Aut verò non punit expresse conatum: & tunc standum est generali consuetudini, vt conatus non puniatur, nisi sequatur effectus: & hæc est tutior opinio. Nihilominus tamen Senatus, in ipsis atrocissimis solet diuersimodè iudicare. Nam aliquando punit talem conatum, pœna ordinaria; & aliquando pœna extraordinaria. Et propterea videtur in practica, relictum arbitrio Iudicis, adhærere cui opinioni maluerit, inspecta facti, & personarum qualitate. Melius autem erit, vt semper in mitiorem partẽ inclinet.

In his verò quæ atrocissima non sunt, nullo modo debet Iudex, pro solo conatu pœnam mortis imponere; nisi id expresse (vt dictum est) aut lege, aut statuto caueatur: & neque ẽt eo casu; nisi deuentum fuerit ad actum proximum, & immediatum ipsi maleficio. Regulariter autem, non debet Iudex conatum impunitum relinquere, sed semper aliquam pœnam extra ordinem infligere. Et

nota, quod in casibus in quibus ille, qui deuenit ad actum proximum, non potest puniri pœna ordinaria; debet tamen acrius puniri pro motu Iudicis, quã ille qui deuenit tantummodo ad actum remotum.

Scias etiam. Ex his infertur, quod in omnem casum; dispositio Iuris quæ expressè punit solum conatum, etiam non secuto effectu; semper est intelligenda vt procedat, quando deuentum est ad actum proximum maleficio.

QVAESTIO XCIII.

De forma sententiarum Criminalium.

Vers. I. CVM iam dictum sit de pœnis, quæ secundũ delictorum qualitates, in sententijs imponi debent; restat nũc breuiter tractare, de ipsarum sententiarũ formis. In quo articulo, inprimis sciẽdum est; quod licet de Iure, sententia ferri, & pronuntiari debeat, ore proprio ipsiusmet Iudicis: Nihilominus tamen de consuetudine Italię, Notarius legit sententiam, & Iudex deinde dicit; ita absoluo, vel ita condemno.

Fuit aliquãdo. Quamuis in sentẽtijs criminalibus, soleant Iudices pluribus in Prouincijs, exprimere causas, quæ ipsorum animum mouẽt ad ita sententiandum. Apud nos tamen non seruatur talis practica, nisi quando rei in contumaciam condemnantur: quando enim sunt præsentes, nõ dicitur, nisi: Viso processu, condemnamus, vel absoluimus; & sententia valet, & tenet.

Quæro nunquid. Stante statuto, vel consuetudine; quod valeat sententia hoc modo cõcepta; Condemno Titium in centum, quæ si nõ soluerit amputetur ei manus. Vel condemno te in centum, quæ si non solueris intra decẽ, condemno te, vt soluas in quadruplum; valebit vtique. Vbi vero non vigeret statutum, vel consuetudo id disponens, talis sententia nullius esset momenti.

Quæro si Iudex. Sẽtẽtia, qua condẽnatur aliquis in maiori summa, quam statutum disponat, nullius est validitatis. Et Iudex qui male Iudicauit, tenebitur versus Rempublicam ad interesse.

Sed pone. Et nota, quod licet aliqui teneant, vt si Iudex non fuerit valde expertus, præ-

præſertim in pœnis ſtatutarijs, poterit pronunciare hoc modo: Condemno Titium ex tali cauſa, in centum; ſaluo, & reſeruato, qđ ſi condẽnatio eſſet in plus, vel minus, quam eſſe deberet ex forma ſtatutorum, illam ex nunc reduco ad debitam quantitatem. Attamẽ, apud nos hæc practica non ſeruatur: quinimò Iudex, qui ita iudicaret, fatuꝰ ab omnibus reputaretur.

QVAESTIO XCIV.

An appellatio in cauſis criminalibus, vel dictio de nullitate ſit admittenda.

Verſ. 1. DE iure cõmuni in cauſis criminalibus; Aut reus eſt de ipſo delicto plenè conuictus; & etiam illud eſt ſpontè confeſſus: & tunc nullo modo poteſt, à ſentẽtia appellare. Et caſu quo appellauerit, reijcienda eſt appellatio, neque debet ab executione ſuperſederi. Aut eſt confeſſus tantum, & non conuictus; & tunc ſi non reuocauit ſuam confeſſionem, non auditur appellans, ſed poteſt iuſtè tradi morti; niſi adducat in appellatione, cauſam probabilem contra ſuam confeſſionem.

Dicunt etiam aliqui, quod quando delictum eſt notorium, nunquam debet admitti appellatio. *Solet etiam.* Hæc autem omnia ſupradicta, & illarum diſcuſsio; in hoc Ducatu ſunt ſuperflua; quia per conſtitutiones, ſublata eſt in cauſis criminalibus omnis appellatio, & dictio nullitatis; etiam ſi reus non ſit proprio ore crimen confeſſus: & talis conſtitutio ſeu ſtatutum ualet, & eſt in obſeruantia. *Cæterum.* Licet enim, aliqui tenuerint quod non valeat, ex quo appellatio eſt ſpecies defenſionis, quæ eſt de iure naturali; & conſequenter à lege, ſeu ſtatuto tolli non poteſt. Nihilominus tamẽ, vſu, & conſuetudine receptum eſt, talia ſtatuta ualere: & ſic ab hac conſuetudine, non recedas in practica.

His igitur ſuppoſitis, quæ apud nos in practica obſeruantur; *Quæro nunquid.* redeundo ad ius commune; notandum eſt, quod in cauſis criminalibus, appellatio vnius prodeſt alteri. Et ideò ſi plures complices, ſint condemnati,

nati,& vnus appellet, eius appellatio alijs prodest. Regulariter autem in criminalibus,potest quilibet de populo, pro reo condemnato appellationem in terponere: etiam si fuerit Clericus.Et Ratio est,quia cum appellatio veniat ad defensionem rei, meritò potest Clericus illam inter ponere.

Sed an etiã.

Sed Pone. Si Titius, condemnatus in amputatione capitis, & confiscatione bonorum appellauerit, & pendente appellatione decesserit:certum est, quod respectu pœnæ corporalis,crimen habetur pro extincto: respectu autem cõfiscationis bonorum,distinguendum est. Quod aut sententia,est cõcepta per dictionem cum: verbi gratia, cõdemnamus Titium ad mortẽ, cũ confiscatione bonorum:& eo casu,cum publicatio bonorũ sit accessoria ad pœnã corporalem, extinguitur morte, sicut & ipsa condemnatio corporalis. Aut uerò sententia est concepta per copulatiuam; puta,condẽnamus Titium in amputatione capitis, & in confiscatione bonorum; & hoc casu, etiam si reus moriatur pẽdente appellatione, non extinguitur confiscatio bonorum.

Quæro nunc. In causa appellationis (quidquid dicant aliqui) nunquam venit citãdus Iudex,nisi ageretur de condẽnando Iudice propter sordes,vel iniustitiam;sed tantummodo citatur Fiscus, cuius interest; prout etiam citatur in causa principali.

Scias autẽ. Potest item,dici de nullitate sententiæ criminalis. Et nota, quod pendente causa nullitatis,non fit executio sententiæ, quæ contineat pœnam irretractabilem;etiam si cognitio talis nullitatis, requireret altiorẽ indaginẽ. Hinc est,quod cum pendente causa,huiusmodi nullitatis non calũniosæ, bannum sit suspensum; ideò, non potest interim bannitus impunè occidi.

Est etiam. Alius etiam adest mod' veniendi contra sententiã criminalem: scilicet,quando condemnatus in contumaciã, admittĩ ad nouas defensiones. Hæc autem admisio,nõ fit nisi p Principem: & hoc ex stylo; & cõsuetudine inolita.In hoc Ducatu nõ fit nisi per Principem,vel per Senatum, qui representat personam Prin-

Principis, & cui Princeps commisit omnia ad iustitiã pertinentia: & ita declarauit Senatus obseruari debere; qui quidem habet arbitrium, concedendi litteras admisſionis ad nouas defensiones, vel etiam eas denegandi, iuxta facti, & personarum qualitatem. Regulariter autem illas cõcedit; nisi indicia sint adeò vrgentia, vt reus verisimiliter se tueri non possit, nisi producendo falsos testes.

Et Nota, quod vigore cuiusdam Senatus consulti; admisſi ad nouas defensiones, pro causa quæ constitutionẽ personalem requirat, tenentur se constituere intra terminum decem dierum, à die concesſionis admisſionis, aliàs admisſio habetur pro non facta. Et ideo ex stylo Senatus, semper opponitur in ipsis litteris, terminus decem dierum impetrantibus, ad eas præsentandum, & personaliter se constituendum; qui quidẽ terminus nunquam solet prorogari.

Nota deinde, quod istæ literæ admissionis ad nouas defensiones, non solum conceduntur à Senatu reis petentibus; sed etiam quandoque non petentibus.

Nota rursus. Quod licet aliqui teneant, quod hæc admissio ad nouas defensiones, veniat de iure cõcedẽda. Nihilominus tamen in hoc Ducatu, remissa est arbitrio Senatus, qui intellectis indicijs, quandoque illam concedit, & quandoque etiam negat.

QVAESTIO XCV.

De executione sententiæ criminalis pecuniariæ.

QVANDO condemnatio in causis criminalibus, fuerit pecuniaria, & reus in carceribus detẽtus; solet retineri donec soluerit ipsam condemnationem, nec relaxatur, etiã si offerat idoneam cautionem. Et aduerte, quod licet in ciuilibus, condemnatus in pecunia, habet terminum quatuor mensium ad soluendum, aliud tamẽ est in criminalibus: nam ille, qui est pro crimine condemnatus ad soluendã pœnam pœcuniariam, non habet huiusmodi terminum quadrimestris, sed compellitur ad soluendum statim, vel intra modicũ tempus, Vers. 1.

arbitrio Iudicis. Et etiam quãdoque, si dubitetur an reus habeat modum soluẽdi, vel timeatur ne bona eius mobilia, occultè alio transferantur, solet (Fisco instante) fieri apprehensio bonorum condẽnati. Quando verò reus, cõdemnatus in pœnam pecuniariam, est extra carceres: tunc, si quidẽ in principio processus, præstitit fideiussorem de se cõsignando; vocatur fideiussor, qui eum consignet: & vbi sit consignatus, non dimittitur donec soluerit. Si verò præstitit fideiussorẽ, de iudicato soluendo: vocatur fideiussor vt soluat, & contra eum si non soluerit, conceditur executio. Et nota, quod contra fideiussorem de iudicato soluendo, potest executio fieri sine nouo processu. Si autẽ reus non sit in carcere, neque sub fideiussore; tunc secuta cõdemnatione, statim conceditur contra eius personam, & cõtra eius bona, executio realis, & personalis.

Sed quid si reus. Quando reus non habet modum soluendi; seruanda est tali casu regula; quod qui non habet in ære, luat in corpore. Quapropter poterit Iudex, qui videt reum non esse soluendo, commutare pœnam pecuniariam in corporalem: & ita quotidie obseruatur. Bene verũ est, quod in hoc Ducatu, hæc commutatio, non fit nisi per Senatum.

Et scias. Hęc regula habet locum, tam in eo qui deliquit in fraudem legis, sciens se nõ esse soluendo, quam in quolibet alio reo, siue deliquerit ea cogitatione, siue non. Et licet hæc conclusio, de Iuris rigore seruãda esset, etiam contra officiales, qui condemnantur in syndicatu, in pœnam pecuniariã: nihilominus de consuetudine, hoc non seruatur cõtra ipsos, sed solummodo tenentur in carceribus donec soluerint. Quid quod, officiales vt plurimum, tã in principio officij, quam tempore syndicatus, præstant idoneos fideiussores, qui deinde compelluntur, ad soluendas condemnationes contra eos secutas; & sic ista quæstio, rarò contingit in practica.

Sed quare. Si pars cui in totum, vel pro parte, venit applicãda pœna pecuniaria, velit consentire, vt iste condemnatus qui non est soluendo, possit luere in corpus: Iudex tali casu, non debet ali-

quid

quid decernere, sed permittere, vt condemnatus stet in carceribus.

Sed Pone. Et nota, quod iste condẽnatus ex delicto in pœnam pecuniariam, licet offerat cedere bonis, nõ est audiẽdus; sed opus est, quod luat in corpore. Nam quamuis debitor ex contractu, possit vtique cedere bonis. In obligationibus autem, descendentibus ex maleficio, regulariter non potest quis vti beneficio cessionis bonorum.

Quæro quid. Nota etiam, quod si iste reus in soluenda pœna, in vno nummo contumaciter deficiat, adhuc opus est vt luat in corpore.

Quæro etiã. Si reus fuerit soluendo, maluerit tamen subire pęnam corporalem, quam pecuniariam, nõ erit audiendus; sed potius cogendus est, soluere pœnam pecuniariam.

Hæc autem. Hæc omnia locũ habent, in condemnatione pecuniaria, per sententiam diffinitiuam prolata. In mulcta autem Fisco debita, nõ est necesse propter paupertatem rei, illam commutare in pœnã corporalem; sed potest Iudex illam diminuere, & etiam remittere: & ita obseruat Senatus. Et etiam Magistratus solet, sumptis informationibus de paupertate, mulctatos admittere ad compositionẽ, quæ non sit minor quarta parte totius mulctæ.

Solet etiam. Quando pars pœnæ applicatur Fisco, & pars delatori, vel notificanti, vel alteri priuato: tota ipsa pęna est soluenda Fisco; & postea ille cui debet pars, debet ire ad Fiscum, & suam partem petere: & ita sæpi⁹ fuit conclusum in Magistratu.

QVAESTIO XCVI.

De executione sententiæ corporalis.

Vers. 1. LATA contra aliquem sententia capitali, licet de iure, non possit statim executioni demandari, sed debeat differri, donec lapsi sint decem dies, quod est tempus à Iure cõmuni concessum, ad interponendam appellationem. Attamen de consuetudine contrarium obseruatur: nã sententiæ capitales, immediatè mittuntur executioni, non expectatis dictis decem diebus. Quæ quidem consuetudo, in casibus in

Et hac quidem. quibus reus non poteſt appellare; aut Iudex, non tenetur appellationi deferre, videtur conſona rationi. In illis autem, in quib⁹ reo conceſſum eſt appellare, & Iudex tenetur deferre appellationi, non videtur tolleranda. Nihilominus tamen in omnem caſum, non recedas à cõſuetudine Prouinciæ.

Quæro nunquid. Quãdo bannitus in cõtumaciam, venit in fortiã officialis qui eum condemnauit; tali caſu debet Iudex facere, quod bannitus recognoſcat bannum, & fateatur ſe eſſe eum, qui in ipſo banno eſt nominatus, & deinde ſententiam exequi; & ita practicatur. Quid ſi bannitus negauerit ſe eſſe illum de quo in banno, poterit Iudex ipsũ torquere, vt confiteatur ſe eſſe perſonam, quę in banno deſcripta eſt.

Sed nũquid. Hac attenta cõcluſione; non debet Iudex capto bãnito, vlterius inquirere veritatem criminis: ſed abſq; aliqua criminis inquiſitione, debet fieri executio bãni, & ſententiæ. Cum enim ex diſpoſitione ſtatutorũ, habitus ſit bannitus pro cõfeſſo, & conuicto; ſupinus eſſet Iudex ſi eum admitteret, ad nouum proceſſum faciendum; aut ipſe vlterius inquireret: niſi caſu quo ille peteret à Principe, aut Senatu, ſe admitti ad nouas defenſiones; nam tunc eſſet per Iudicem audiendus. Et nota; quod tali caſu, licet poſt admiſſionem nihil probet quod releuet: nihilominus tamen ſi indicia cõtra eum exiſtentia, fuiſſent valde debilia, non fit executio ſententiæ, ſed vel torquetur, vel commutatur pœna, & mitigatur.

Sed pone. Quamuis de Iure ſit audiendus bannitus, quando vult opponere exceptionẽ contra bannum, & impedire illius executionem; dummodo exceptio ſit talis, quæ ſi fuiſſet oppoſita à principio ante bannum, nõ fuiſſet compulſus iudicium ſuſcipere. Attamen apud nos de conſuetudine, & ex ordinibus huius Ducatus, nunquam auditur bãnitus, ad aliquid opponendum, niſi (vt ſupradictum eſt) fuerit à Principe, vel Senatu ad nouas defenſiones admiſſus.

Sed quid ſi bannitus. Nota quod ſi bannitus, exiſtens extra territorium Iudicis bannientis, fuerit ductus per vim in eius territorium; non poterit contra

tra eum exequi ſententia; ſed debet priſtinæ libertati relaxari. Quod tamen intellige, vt procedat quando ita per vim capitur, & ducitur à priuatis; ſi enim fuiſſet extra territorium Iudicis condemnantis, captus à Iudice alterius territorij, & remiſſus ad Iudicem bānientem; poſſet vtique contra eum exequi ſententia. Licet enim Iudices diuerſorum territoriorum; præſertim ſub diuerſis Principibus exiſtentium, hodie de conſuetudine, non teneantur delinquentes, & bannitos interſe remittere: nihil tamen prohibet ſi volunt, quo minus talis remiſſio fieri poſsit: & ita pluries fuit obſeruatum.

Quæro etiã. Quando Iudex Eccleſiaſticus, aliquem ab ipſo condemnatum, remittit curię ſeculari puniendum; Iudex ſecularis, cui facta eſt remiſſio; ſi crimen pro quo fuit condemnatus eſt merè eccleſiaſticum: verbi gratia, Hæreſis, aut ſimilia; tenetur ſtatim ipſam ſententiã exequi, abſque aliqua cauſæ cognitione: & ita obſeruat Senatus. Si verò crimẽ fuerit ſeculare, vel mixtum: hoc eſt, ſuper quo potuiſſet Iudex ſecularis cognoſcere; tali caſu non tenetur præſtare auxilium Epiſcopo, niſi fiat ſibi fides de proceſſu.

Pariter etiam; ſi Iudex laicus è conuerſo, remittat clericum ad Iudicem eccleſiaſticum; non tenetur ipſe Iudex eccleſiaſticus, ſtare proceſſui facto, coram Iudice ſeculari remittente. *Quid autẽ.*

Nota, quod Iudex vnius territorij, non poteſt exequi ſententiam criminalẽ, latam per Iudicem alteri' territorij, quando territoria ſunt ſub diuerſis Principibus: ſecus autem eſt, qñ ſunt ſubdita eidem Principi: nam eo caſu, vtique poteſt Iudex talem ſententiã exequi, non modo ad requiſitionẽ Iudicis, qui ſententiam protulit, ſed etiã à ſe ipſo; ſi videat, quod executionẽ meretur. Quod tamen intellige, quando etiam territoria ſunt ſub eodem Præſide prouinciæ: non autem aliàs. Nam officialis in hoc Ducatu, non poteſt exequi ſententiam latam, per officiales in Regno Neapolitano, licet ambo ſint ſub eodem Principe; Ratio eſt, quia in omnibus, & per omnia, haben *Item quæro.*

tur

tur tanquam regna, & dominia separata.

QVAESTIO XCVII.

Ex quibus causis, executio sententiæ capitalis sit differenda.

Vers. 1. LICET aliqui viriliter defendant, quod si post condemnationem capitalem, contra aliquem secutam; cōpareat aliquis tertius, & dicat reum condemnatum, debere sibi reddere rationem, alicuius mercaturę, negotiationis, vel administrationis, vel huiusmodi: tali casu differendā esse, sententię executionem, donec reddita fuerit talis ratio. Nihilominus, cōtrarium seruatur de consuetudine: non expectata enim huiusmodi rationis redditione, sententiæ capitales, executioni mittuntur. Nota tamen, quod quicquid obseruet consuetudo: videtur rationi consonum, vt adueniente casu, non denegetur breuis dilatio; puta bidui, aut tridui; vbi appareret, illā non peti in fraudem differendæ, aut vitandæ executionis; nec subesset timor, quod condemnatus posset de carceribus euadere, aut alterius scandali: modo ille tertius, non potuisset prius petere talē rationem sibi reddi; atque ex eo quod non redderetur, pati posset aliquod præiudicium irreparabile. Nemo enim ex aliena culpa damnum pati debet.

Licet etiam, quādo reus condemnatus, alium de aliquo crimine accusauit, veniat de Iure differenda sententia, donec Iudicium accusationis perficiatur. In practica tamen, difficilè esset hoc obtinere; maximè si esset suspicio, quod in fraudem fuisset instituta talis accusatio. *Est etiam.*

Similiter quando officialis, cui à Principe iussum est, vt faceret aliquem decapitari, aut suspendi; videret illud mādatum Principis esse iniustum; dicunt aliqui communiter teneri, quod deberet illius executionem differre, & Principi rescribere. Nihilomin⁹, hoc est valde periculosum; & sic potest relinqui arbitrio Iudicis, qui secundum qualitatē Principis, casus, & temporum, faciat quicquid velit; vtrumque enim salua cōscientia facere pōt. *Item est.*

Si

Sed Pone. Si reus morti tradēdus, nolit pœnitere, nec peccata sua cōfiteri; bonum erit supersedere ab executione, per aliquod spatium tēporis, vbi non fuerit periculum in mora. Quia salus vnius animę, pro qua Christus mortuus est, cæteris omnibus rebus videtur anteponenda. Ita tamen vt propter talem dilationem, non differatur in alium diē executio. Nō enim est consulendum, Iudicibus inferioribus; vt vltra illud tempus, inconsulto Principe executionem differāt. Multa namque possent interea contingere, & Reipublicæ damnosa, & Iudicibus ipsis periculosa.

Nota, quod licet Princeps, aut Senatus Iudici rescribat, vt aliquem reum incontinenti, aut nulla interiecta mora, morti tradat: debet tamē semper Iudex, illi concedere competens spatium temporis, si sua peccata velit sacerdoti confiteri; & si id negaret malefaceret; & Deum, & proximum grauiter offenderet.

Differtur. Differtur etiam sententia; non solum vltimi supplicij, sed etiam quælibet alia corporalis, contra mulierem si ipsa fuerit prægnans, donec pariat: & ita obseruat Senatus.

Quæro etiā. In diebus feriatis in vtilitatem hominum, indistinctè fiunt executiones sententiarum criminaliū, etiā capitalium. In feriatis autem in honorem Dei, vel sanctorum, & qui pro festis seruantur; non debet exequi aliqua sententia criminalis, in qua imponatur pœna sanguinis. Quamuis enim non esset peccatum; est tamen horrendum, & miserabile spectaculum, & à quo propter Dei reuerentiam, est omnino abstinendum: & ita apud nos obseruatur. Semper enim executio, in alium diem non feriatum differtur: & ita etiā seruant Iudices Deum timentes.

Regulariter. Regulariter autem, non debent Iudices differre, executionem sententiæ capitalis. Aliqui enim eam differunt, vt criminosi gratiam habere possint. Attamen malè faciunt; quia amicus Dei est, qui interficit inimicos Dei.

QVAESTIO XCVIII.

Ex quibus causis; executio sententiæ capitalis impediatur.

Vers. 1. SI condemnatus dum ad supplicium ducitur; aut aliàs confugiat ad Ecclesiam: seu transeat per Ecclesiam, vel cęmiterium; non potest inuitus extrahi ab ea, sed debet in pace dimitti. Quod intellige in illis casibus, in quibus delinquens potest gaudere immunitate.

Sed Pone. Si condemnatus ad mortem, aufugiat è manibus satellitum; & amplectatur sacerdotem, portantem sacratissimam Eucharistiã; erit liberandus, perinde ac si ad Ecclesiam confugisset.

Sed quæro. Nota tamen, quod dato, qđ Ecclesia permittit reos ad mortem condemnatos, post confessionis sacramẽtum, sumere sacram Eucharistiam, non poterit reus sumpto sanctissimo Sacramento, dicere se esse liberatũ. Quia hoc modo Ecclesia, quæ est cultrix Iustitiæ, fieret auctrix iniustitiæ; qđ nullo modo est dicendum.

Sed quid si. Nota deinde; quod licet condemnatus dicat, quod ante delictum, emiserat uotum ingrediendi religionẽ; talis cautela apud nos nullius esset momenti. Et ratio est; quia præsupposito etiam voto, non potest talis re⁹, ante impressionem characteris clericalis, vel susceptionem habitus, dici exemptus à Iurisdictione seculari.

Si condemnatus dum ad supplicium ducitur, obuiũ habeat Cardinalem, qui galerum suum purpureum, in capite ipsi⁹ condemnati poni faciat; rationi consonũ est, vt pœna mortis mitigetur, & reus ad triremes transmittatur: nisi crimen esset ex atrocissimis. Et hoc in reuerentiam amplissimi ordinis Cardinalium; qui æquiparantur Regib⁹, & in quibus residet, tota fere maiestas Christianę Reipublicæ. *Vlterius quæro.*

Licet in aliquib⁹ locis obseruetur; quod quando cõdemnatus ducitur ad supplicium, si meretrix compareat petens illum sibi dari in maritũ, reus liberatur. Et ratio, (secundum aliquos) esse potest; quia maius supplicium est illi condemnato accipere uxorẽ, quam mori. Vera autem ratio *Quæro etiã.*

tio eſt, quia ſic anima mere tricis, reducit ad uiã ſalutis æternæ. Hæc tamen in hoc Ducatu non obſeruantur.

Sed nũquid. Si poſt ſententiam, appa reat de innocentia rei, non debet exequi, ſed nec põt Iudex reũ abſoluere: Quia lata ſententia, fũctus eſt of ficio ſuo: ſed debet ſupſe dere, & Principi reſcribere.

Vltimo quæro. Tandem nota, quod ſi in in ipſo actu executionis, ſe curis nõ poſſit caput ampu tare cõdemnato, vel laqueus rũpatur, ita vt reus ſurgat incolumis. Licet fortè de iure hoc parũ prodeſſet. De conſuetudine tñ (maximè quãdo reus, antea ꝓteſtatus fuit ſe eſſe innocentem) practicatur, quod ſuperſeditur executio, adhoc vt impetretur gratia à Principe, & ita obſeruauit Senatus.

QVAESTIO XCIX.

De forma exequendi ſententias corporales.

Verſ. 1. FOrma exequendi ſentẽ tias corporales eſt, qđ ex mãdato Iudicis, reus cõ ſignatur collaterali, qui præeſt ſatellitibus, ut per miniſtrum Iuſtitiæ illam exequi faciat: Et ita ſeruat. Si tamen ſententia fuerit capitalis, eſt optima conſuetudo, quod intimetur condemnato per virum religioſum, qui accomodatis verbis reo mortem denunciet, illumque hortetur ad patientiã, & pęnitentiã, ac ſacramẽta Eccleſię ſuſcipiẽ da; & vbi ſupplicium in aliũ diem differatur, mittuntur etiã uiri religioſi, qui eũ confortentur. Serua ſẽper (vt pluries dictum eſt) conſuetudinem loci.

Licet de Iure, capitaliter cõdẽnatis permittat Eccle ſia, dari Sãctiſſimę Euchari ſtiæ Sacramentũ. In hoc ta men Ducatu non ſeruatur. Nota verò, qđ vbi eis dare tur; eo caſu, propter Sanctiſ ſimi Sacramẽti reuerentiã, nõ deberẽt illa die qua cõmunicant, vltimo ſupplicio affici. Extrema autem vnctio, non debet dari capitaliter condemnatis. *Sed quæro.*

Sed Pone. Quando in ciuitate nullus adeſt carnifex, qui ſẽtẽtiam capitalem exequatur; põt Iudex propter publicã vtilitatẽ, cogere aliquam perſonã vt ſit carnifex, ẽt quod in nihilo deliquerit: dũmodo ſit perſona vilis: puta, ſeruus, mendicãs, & ſimiles: & hoc caſu, debet ei ſoluere mercedem quin que aureorum.

Vu Ex

Quaro hic. Expensæ executionis Iustitię; puta, furcarum, carnificis, &c. de iure pertinẽt ad Fiscum; si autẽ adfuerit consuetudo in contrariũ, tali casu seruanda est.

Item quaro. Executio Iustitiæ, regulariter debet fieri in loco cõsueto; præterquã in delictis enormissimis, & famosis latronibus; isti enim suspendi debent, in loco vbi grassati sunt: Ad hoc vt sint solatio cõsanguineis occisorum, & alijs terrori.

Vnũ tamen. Nota; quod quãuis lege, aut statuto caueatur, aliquem reum, esse flammis comburendum: prout in crimine hæresis, &c. Attamẽ vsꝰ obtinuit apud Christianos, vt prius stranguletur, quam comburatur. Ratio est, ad euitandum periculum, ne propter lentũ, & atrox genus mortis, condẽnatus forte in desperationem inducatur. Et hoc, generaliter procedit in omnibus casibus, vno tantum excepto: scilicet, quando dãnatus propter hæresim, nollet pęnitere, neq; ad catholicam fidẽ redire: tũc enim, cum nulla sit spes salutis, parum est de eius desperatione curandũ.

Quare etiã. Si animal irrationale, delictum cõmiserit (si tamen præsupposita carẽtia rationis, potest delictũ appellari;) v. g. quia hominem interfecerit, vel huiusmodi; nunquam debet puniri; nisi casu quo, homo se cũ bestia carnaliter commiscuisset; tunc enim propter detestationem criminis, & ad terrorem aliorum; si homo est suspendendus, vel comburendus, pariter animal irrationale cum ipso homine debet suspẽdi, aut cõburi. Vbi autem, non esset etiam de homine simul suppliciũ sumendum; tunc nec videtur faciendum de solo animali irrationali.

Nota; quod in nonnullis regionibus, viget etiam cõsuetudo procedẽdi contra locustas, &c. contra quas, fiunt processus, & anatematizationes: hęc tñ apud nos nõ obseruãtur in practica.

Si aliquis reperiatur condemnatus pluribus pœnis; animaduertẽdũ est, an sint pecuniariæ an corporales. Nam si pecuniariæ, omnes sunt exequendę: nisi vna absorberet aliam; v.g. quando post cõdemnationem pecuniariam, superueniret confiscatio bonorũ: eo enim casu, statim secuta cõfiscatione, confusæ sunt omnes cõdemnationes, & mulctæ pe- *Vltimo quaro.*

cunia-

pecuniariæ præcedentes, siue sint inflictæ ex eodẽ delicto, siue ex diuersis. Et ideò, si reus haberet gratiã à Principe, pro delicto pro quo fuisset condemnatus in pœnam mortis, & confiscationis bonorum, nõ posset retineri in actu approbationis gratiæ, propter condemnationem pecuniariã, prius contra eum secutam. Et ita pluries fuit decisum per Senatum.

Si verò fuerint corporales, tunc distinguendũ est. Aut enim sunt inter se compatibiles: puta, quia ex vna sententia fuit condemnatus, in amputatione mẽbri, & ex alia, in pœna mortis: & tali casu, omnes sũt exequendæ, ita tamen vt incipiatur à minori: scilicet, ab amputatione membri, & deinde inferatur vltimum supplicium, non autẽ è conuerso. Aut verò, sunt incompatibiles inter se; puta, q̃a omnes sunt capitales, & nemo potest nisi semel mori: & tunc est in arbitrio Iudicis, exequi quam pœnã velit. Ratio est, quia cum omnes illę, sint debitę iustitię ad publicam vindictam, potest Iudex eligere q̃ vult, nec datur electio reo. Et ideò, si quis sit condẽnatus pro homicidio, in amputatione capitis; & pro furto ad furcas; non debet fieri executio, vt prius suspendatur, deinde amputetur caput; sed Iudex eligit, quam pœnam vult exequi, & illa sola infertur. Si tamẽ essent plures condemnationes cõtra aliquem, in eadem sententia prolatæ, tunc sunt ordine suo exequendæ: & ita videmus plerũque, reos forcibus candentibus laniari, deinde manum amputari, & postea decapitari, & successiuè etiam in frustra scindi: licet tales pœnæ, nõ sint nisi in atrocissimis delictis imponendæ: minus enim, quam fieri potest, sæuiendum est in humana corpora; salua tamen semper Iustitia.

QVAESTIO C.

De cadaueribus damnatorum.

FACTA capitali executione, damnatorũ corpora sepeliuntur: habita tamen prius licentia à Iudice; aliàs enim non solent deponi, neque tradi sepulturæ; prout etiam seruatũ fuit, in sacratissimo corpo- *Vers. 1.*

re Saluatoris nostri, qui de licētia Pilati Prȩsidis, fuit à cruce depositus, & traditus sepulturæ. Bene verum est, quod quandoque condemnati, propter immanitatem criminis; puta, læsæ Maiestatis: & etiam aggressores publicarum viarum, solent postquam suspensi sunt, relinqui in loco patibuli; & etiam in aliquibus Prouincijs obseruatur, qđ in signum latronum, cadauera membratim diuisa, in locis vbi frequentius grassati sunt, pendere permittuntur.

Quæro nunquid. Nota; quod de cōsuetudine obseruatur, vt Medicis petentibus, dantur eis cadauera damnatorum ad faciendam Anatomiam; habita tamen prius licentia à Principe, vel Senatu.

Vestes damnatorū, sunt distribuendæ iuxta consuetudinem Prouinciæ. Apud nos obseruatur, quod uestes uiles, quibus indutus est condemnatus, tempore quo afficitur vltimo supplicio (præter eas cum quibus est honestè sepeliendus) sunt carnificis: præciosæ uerò; distribuūtur inter milites, siue satellites; prout etiam inter ipsos distributæ fuerunt, vestes Saluatoris nostri, tempore sacratissimæ suæ Passionis; cuius meritis nos, ad cȩlestia perducat gaudia; illique sit laus, & gloria, in sempiterna seculorum secula. Amen. *Quæro etiā.*

FINIS.



24 carm
340 pagine
Collez Congol
X

Sententia Clar.

ribus criminibus ſeparatim accuſari: & de pluribꝰ quoque puniri, non ſolum ſi ex diuerſis factis reſultent; ſed etiam ſi ex eodem facto oriantur; dummodo ſint ſpecie diuerſa. Et vbi ſuper vno crimine ſit concluſum in cauſa, & in puncto ferendæ ſententiæ: erit ſuperſedẽdum, donec cauſa ſuper alio crimine expediatur. Quod tamen intellige, quando tal
ſæ tractantur ſub
dice; ſi enim cora
ſis, vnuſquiſque p
alio non expectat
eſſet in vno loco
tus, tunc enim d
lio ſuperſederi.

QVAESTIO

Accuſare, qui
vel non

Verſ. 1. QVILIBET pot
cuſare, qui no
iure prohibitus: na
edictum eſt permi
& ſic omnibus e
ſum, qui expreſsè
ti non reperiuntu

Prohibentur a
qui. Aut propt
tatem; vt clericus
Aut propter defe

cernentem ſtatum perſonæ; vt filius famil. vel ſeruus. Aut propter defectum ætatis; vt pupillus, & minor. Aut propter imbecillitatem ſexus; vt mulier. Aut propter indignitatem perſonæ; vt criminoſus, infamis, damnatus, excommunicatus &c. Aut propter diffidentiam; vt inimicus, & pauper. Aut propter reuerentiam debitam;

porrectam, propter aliquã ex prędictis cauſis: ex quo ipſi etiam ſine querela partis poſſent ex officio procedere. Imò talis querela, aperit viam aſſumendi informationes, etiã ſi ſit porrecta ab eo, qui de Iure accuſare non poteſt.

Volo etiam. Nota tamẽ vnum in hac materia: quod omnes ſupradicti, & alij prohibiti à Iure; admittuntur nihilominus indiſtinctè ad accu-

mittuntur ad accuſandũ.

Dixi etiam. Filiusfamilias, in cauſis criminalibus, ſiue agendo, ſiue defendendo: ſiue agatur de crimine publico, ſiue de priuato; poteſt ſtare in iudicio ſine conſenſu patris: & nulla in hoc adeſt dubitatio.

Sed quid in maiore. Maiores annorum 14. (quicquid ſit de Iure) de conſuetudine admittuntur indiſtinctè ad accuſandum.

illus; ob defectum ę- *Dicebam.*
mulier ob defectũ *Præterea.*
epelluntur ab accu
iſi ſuam, vel ſuorũ
n proſequantur.
t; quod mulier po-
cuſare homicidam
te mariti; ſunt e-
o in carne vna.
ad criminoſum au- *Dixi quoq;.*
ſtinguendum eſt.
loquimur in crimi-
ondum diffamato,
cuſato. Aut de iam
ato, ſed nondum ac-
. Aut de accuſato
m condemnato, ne-
ſoluto. Aut de iam
o. Aut de iam con-
to.
o caſu; quando lo-
de criminoſo, nõ-
ffamato, nec accuſa
diſtinguendum eſt,
orum eccleſiaſticũ,